ALBII TIBULLI

CARMINA

EX RECENSIONE CAR. LACHMANNI

PASSIM MUTATA

EXPLICUIT

LUDOLPHUS DISSENIUS

SOCIETAT. REG. GOTTING. SODALIS

ACADEM. REG. BAVAR. RESPONDENS PER EPISTOLAS.

PARS PRIOR,

Disquisitiones de Vita et Poesi Tibulli. Carmina.
Accedunt lectiones editionis Pinellianae nunc primum collatae.
Supplementum Collationis Editionis minoris
A. MCCCCLXXII.

GOTTINGAE, MDCCCXXXV.

TYPIS ET IMPENSIS LIBRARIAE DIETERICHIANAE.

FRIDERICO JACOBSIO

ET

FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO

VIRIS CONIUNCTISSIMIS CELEBERRIMIS

LUDOLPHUS DISSENIUS

S.

Albium Tibullum edens, quod Vobis ante omnes mitto opus meum et Vobis imprimis id consecratum volo, Viri egregii, non mirabimini, qui et cognitione singulari poeseos antiquae polletis, et mihi faventes maxime dudum iure *ἀντίδωρον* exspectare poteratis pro Vestris muneribus praeclaris retribuendum. Ac vehementer laetor, quod nunc tandem officio satisfacere possum iucundissimo. Nam inter tot mala valetudinis iniquae, quibus conflictor, amicitias et familiaritates virorum praeclarorum, quibus utor, semper pro magno et insigni munere habui propitio numine mihi tributo; nec disiungere soleo hos sensus a studiis meis, sed probari cupio ubi

quid meditor et scribo prae ceteris ab amicis: his si quid placet, maxime laetor, ab his quid erraverim primum moneri et doceri cupio. Ita etiam nunc quam velim Vobis ne displiceat liber, quem edo! Agedum accipite quid egerim aut voluerim agere. Post egregiam Caroli Lachmanni recensionem maximopere impulit me animus, ut operam meam in interpretatione cari poetae ponerem, quam et ipsam emendatione egere videbam. Atque hoc feci. Sequor igitur recensionem Lachmanni mei, nisi quod passim discessi, et mutavi nonnullos locos, ubi quid genuinum esset, vix dubitari posse videretur; de universa vero lectione ut habetur, ad Lachmanni librum relego lectorem, qui recensionis suae rationem accurate exposuit et lectiones librorum suorum sub textu indicavit omnes. Haec editio praeclara dudum in omnium manibus est; ego excerpsi tantummodo potiora, ut fit, ex varia lectione, quibus addidi meum qualecunque iudicium, ubi aliquid vel confirmandum vel mutandum videretur, sed breviter, cetera Explicationi reservans, ubi quidquid harum rerum cum interpretatione coniunctum, disertius plerumque tractavi. De interpretatione autem mea iam haec dicenda habeo. Recordamini quid statuant vulgo de ratione horum carminum, cum ne de Scaligero dicam, Heynius in multis fragmenta tantum nos tenere crediderit, alii deleverint quidem lacunarum signa, neque tamen unitatem poeti-

cam demonstraverint satis, Vossius autem denuo duas elegias distraxerit in quattuor, denique plurimi omnino imperfectas esse censeant compositiones Tibulli, quod nuper repetiit Bernhardy in historia literaria sua. Accedunt dissensiones de tertii et quarti libri origine nondum compositae. Quae ego cum considerarem, facile intelligebam interpretem requiri optimo poetae, qui praeter vulgarem etiam altiorem, quam dicunt, hermeneuticam adhiberet, compositionem et unitatem elegiae cuiusque data opera examinaret, artem poeticam Albii accuratius explanaret, et tandem profligaret opiniones praeclaro poeta indignas. Absit a me ut contemnam merita egregia tot virorum praeclarorum, qui Tibullo explicando operam navarunt, sed in aliis rebus versabatur docta cura eorum, in hac vero parte, quam dico, laborat non solum Tibulli, sed etiam aliorum multorum scriptorum interpretatio. Ne multa; iam olim editor Tibulli post Wunderlichii mortem, tentavi nunc etiam hic, quo me studiorum meorum ratio ferebat, adhibuique idem genus interpretationis Albio quod nuper Pindaro, probatum multis intelligentibus viris. Ac primum quidem illustravi unamquamque elegiam Introductione, ubi de causis externis et de compositione eius disputatum est; ex argumentis vulgo praemissis laudabo si quis vel unius elegiae veram compositionem intellexerit, nunc autem crediderim non posse in posterum de unitate ha-

rum elegiarum vere poetica dubitari. Explicationem vero quod attinet, talem dare volui, ubi adesset quod ad intelligendum poetam per se necessarium videretur; quare ita adornavi commentarios, ut et partium ac locorum maiorum compositionem nexumque explicarem, et singulorum verborum, locutionum, sententiarum rationem, usus ceterum observationibus priorum interpretum ubi poteram, et horum nomina citans, ubi offerrent quibus opus. Dixi vero ubique aut dicere volui quae necessaria; supervacaneam doctrinam omisi. Atque haec de Explicatione. Sed cum vel sic etiam diligenti studio permulta non liceat assequi, nisi simul universam artem scriptoris penitius explores, quemadmodum in Pindari editione mea disputationem de ratione poetica istorum carminum posui, similiter nunc Tibullianae poeseos vim et artem accuratius examinavi et explicare studui. Habet tres partes haec disquisitio: dixi enim de argumento poeseos Tibullianae, de forma et compositione harum elegiarum, et de elocutione Tibulli. Proficiscitur quidem studium scriptorum a singulis locis et rebus, sed non subsistere debet in iis, pergendum est etiam longius ad communem fontem singulorum dictorum omnium explorandum, qui est in indole et arte scriptoris propria, si penitus cognoscere eum studes. Sunt quidem difficiles hae quaestiones, ut gaudeas si prope aut proxime attigeris veritatem, sed qui plane defugiunt hunc

laborem, non possunt toto officio interpretis dici defuncti. Quare optandum est ut frequentius huiusmodi disquisitiones scribantur, et perficiatur communi virorum doctorum studio haec quoque pars hermeneuticae nimis diu neglecta. Verum in viam redeo. Composui enim praeterea etiam Vitam Tibulli, cum non satisfaceret quae apud Heynium legitur Synopsis; traditae quidem notitiae paucae sunt, ut constat, videbantur vero alia verisimilia addi posse, constituto probabili ordine carminum. Nec declinari hic labor poterat, sed erat necessaria pars provinciae susceptae; nam ut singulae elegiae et causis externis et consilio poetico scriptoris nituntur, sic totius operis explicatio praeter disputationem de ratione poeseos desiderat etiam Vitae conspectum quantum fieri potest probabilem et clarum. Atque his Dissertationibus duabus denique etiam eas quaestiones persecuti sumus, quae tertii et quarti libri originem spectant; postulat enim huiusmodi res partim singulorum locorum considerationem, id quod in commentariis ad ipsa illa carmina factum, partim maiores et generaliores disputationes, quas in Vita Tibulli et in Dissertatione de poesi eius legetis. Albio tribuo cum aliis elegidia quarti libri, tertium vero librum et panegyricum in Messalam dico ortos quidem et editos isto tempore, sed non a Tibullo scriptos.

Atque haec quidem sunt, quae in hoc libro meo in-

veniuntur, quem nunc Vestro et aliorum aequo iudicio commendo. Sunt qui vigorem sensuum et phantasiae poeticam alacritatem frangi credant artis usu et caecum furorem praeferant, qui mihi parum accurate et poetas legisse et rem ipsam per se considerasse videntur. Nimirum frangit ars ingenium quae dissimilis, adiuvat quae conformis, classicus autem scriptor omnis et arte et ingenio pollet, habetque haec ita coniuncta, ut una sit vis utriusque. Quod etiam Tibullus exemplo suo comprobat egregie. Verum quid talia Vobis, quibus nemo rectius de poeseos ratione iudicat? Valete igitur, Optimi Viri, et pergite ut facitis mihi favere, quorum amicitia mirum quantum laetor.

VITAE TIBULLI EX ANTIQUITATE SERVATAE.

VITA TIBULLI

EX CODICIBUS ET EDITIONIBUS VETERIBUS. *)

Albius Tibullus eques Romanus, insignis forma cultuque corporis observabilis ante alios Corvinum Messalam originem (leg. oratorem) dilexit, cuius et contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus est. Hic multorum iudicio [et maxime Quinctiliani, viri in studia [et] litterarum acerrimae licentiae,] principem inter elegiographos obtinet locum. Epistolae quoque eius amatoriae, quanquam breves, omnino utiles sunt. Obiit adolescens. [tempore Virgilii, ut indicat epigramma infra scriptum.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores
Aut caneret forti regia bella pede.]

---

*) Vide quae de ea annotat Heynius. Huschkius eam a P. Burmanno Secundo ex Codice Bibl. Reg. exhibet descriptam. Nos Lachmannum sequimur.

VITA TIBULLI

AUCTORE HIERONYMO ALEXANDRINO. *)

Albius Tibullus eques illustris et insignis forma in urbe romana ubi natus pergratus et militaribus ‡ et togatis signis fuit quum vir esset doctus † nec ‡ ut solent quidam vultum austerū ‡ et tristem sed hylarem ‡ et iocundum erga omnes habuit † Quippe Tibullus statura pulcher ‡ corpore agilis Facie iocundus ‡ lingua comis ‡ moribus dulcis † et familiaris erat ‡ Ante alios vero sibi omni officio ‡ et benevolentia Messalla corvinus favit † Erat hic orator insignis ‡ atque conscilio et opera Octavius princeps gravibus in rebus ac maximis utebatur ‡ Amavit quidem Tibullum Messalla † Eundemq; ‡ et domi et foris multis donis ‡ et favoribus sublevavit † Neque vero Tibullus fide minus integra quacunque in re obeunda solicitus † Sed percupidus honoris eius et cultor erat † Aegaeum vero cum eo navigans mare mala valitudine captus est † Tunc salutis causa proximam in terram phaeatiam bona cum Messallae licentia conscilio voluntate concessit armaque posuit ibi † Ac spraetis qui divitias auro fulvo cūgererent † Ad litterarum ocia quae iam reliquerat rediit † Epistolas familiares ad Amicos complures et delectabiles ‡ metro et prosa dedit † Libros autem tres amatoria de re suam ad deliam eligiato † metro scripsit † Sic enim quae nomine vero Plautia vocaretur hoc isto ficto nomine ac non suo appellavit † plura non scri-

---

*) Descripsit Huschkius ex editione Regiensi, servata interpunctione. Exstat ea etiam in Cod. Colbert. et edit. Venet. an. 1475.

psisse Tibullus memoratur † Obiit mortem in flore iuventutis Natus vero est hyrtio † et pansa consulibus biennio postquam cesus est Iulius Caesar † Natalis quoque ovidio Nasoni poetae annus idem fuit Se quidem memorat natum uterque versu isto Cum cecidit fato consul uterque pari † Nam ad liberandum brutum consules hyrtius † et pansa missi apud Mutinam fugatoque Antonio pempti sint † Haec sunt quae de Tibulli vita invenire potui † *)

---

*) Annotat Huschkius: „Auctorem esse Hieronymum, patet e Vita Propertii, in cuius fine legitur: Vale gratissime lector † et memor Hieronimi Alexandrini (mi) † qui tibi tris uitas clarissimorum poetarum in lucem dedit Catulli Tibulli † et Proptii †"

DISQUISITIONES
DE VITA ET POESI TIBULLI.

DE VITA TIBULLI. *)

Albius Tibullus, nam praenomen ignoratur, nec quo anno natus sit constat nec quo mortuus; tamen coniectura probabilia assecuti sunt viri docti. Ac primum quidem Domitius Marsus in Epigrammate quod supra legisti et in fine editionis iterum videbis, scribit:

Te quoque Virgilii comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios:

quibus verbis significat non multo post Virgilium esse Tibullum mortuum. Cum autem Virgilius ann. urb. 735. obierit, ut constat, Tibullum eodem anno aut a. 736. decessisse iure statuunt. Sed quando natum dicemus? Non licet uti in hac re loco III, 5, 17:

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.

---

*) Praeter ea quae apud Heynium habentur, confer I. H. Vossium in Praefat. ad Translat. Germ. poetae, Bachium in disputationibus editioni suae praemissis, Spohnium in Dissert. acad. de vita et carminibus Tibulli Lips. 1819., Philipp. Amat. Golberyum de Tibulli vita et carminibus Paris. 1824., Passovium in Censura h. duorum script. Ephem. Halens. ann. 1825. Nr. 131 sqq., Hermannum Paldamum in libro: Römische Erotik, ann. 1833. pag. 49 sqq.

Nam tertium librum non esse Tibulli cum aliis certum habeo et infra multis argumentis ostendam. Sed etiam qui Tibullo adscribunt, tamen hunc locum spurium habent, cum ann. 711., quo A. Hirtius et C. Vibius Pansa Coss. in pugna Mutinensi cum Antonio dimicantes ceciderunt, nullo modo Tibulli natalis esse potuerit. Dicit Ovidius Trist. IV, 10, 51 sqq. se et Propertium Tibullo minores natu:

Virgilium vidi tantum, nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi,
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Quodsi ann. 711. natus Tibullus, eundem cum Ovidio natalem annum habuit, Propertio vero iunior fuit, qui saltem ann. 706. aut 707. natus est. Deinde ex hoc calculo Tibullus duodecim et tredecim annorum puer bello Aquitanico in Messalae comitatu interfuisset, quod gestum ann. 723-724., eodemque tempore iam amasset Deliam; nam eleg. I, 1. scripta ann. 723. et eleg. I, 3. auctumno ann. 724. Quae inepta. Ac Scaliger, Dousa, Vulpius, Brouckhusius, Heynius secundum versum spurium dixere, Spohnius totum distichon. Sed frustra. Verius iudicarunt qui totum librum tertium intellexerunt non esse Tibulli. Spreto igitur hoc testimonio quod nullum, cum alia via ingredienda esset, Dousa coniecit poetam ann. 690. natum, quam sententiam probarunt Brouckhusius, Fabricius, Vulpius, Massonus, Sanadonus, verius autem Vossius circ. ann. 695. natales Albii posuit, cui assensi sunt Bachius, Spohnius, Passovius, alii, quamquam perperam Messalae aetate comparata, qui non ann. 695., sed ann. 685. natus videtur. Sed amicus suppar aetate, ut videtur, Horatius erat, qui

ann. 689. natus Tibullum candidum iudicem sermonum suorum appellat Epist. I, 4., non facturus tanti iudicium hominis multo se iunioris, quamquam aliquot annis iunior esse potuit Tibullus. Quodsi circ. ab ann. 695. ad ann. 736. vixit, conveniunt omnia optime: dici potuit iuvenis decessisse noto usu verbi, imprimisque favent huic calculo quae de vitae suae cursu comperta habemus aut coniicere licet, per annos digesta. In hoc igitur acquiescendum. Paldamus pag. 49. contendit ann. 700. poetam natum. Sed *nutriculae* mentio et *dulcis alumni* in loco Horatii Epist. I, 4. statim afferendo non indicat necessario multo iuniorem poetam. Ridet iocose Horatius mollem, non satis masculum animum Albii, qui modo miserabiles elegos decantaverat propter Glyceram. Ut his verbis minime commovear. De fortuna vero poetae luculentum est testimonium ille locus; nam omnibus bonis ornatum praedicat, quibus opus ad iucundam vitam:

Non tu corpus eras sine pectore; di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus non deficiente crumena?

Ac formae pulcritudinem etiam Vita antiqua testatur; valetudinem poetae, qui non multum ultra quadraginta annos vixit, imprimis Nemesis amor infaustus fregisse videtur. Divitias Horatius paullo post mundum victum dicit, qui est neque sordidus neque nimis amplus et opiparus, atque ita Tibullus ipse I, 1, fin. scribit: „Despiciam dites, despiciamque famem." Habebat enim praedium avitum in regione Pedana, ut est apud Horatium,

inter Tibur et Praeneste, quod cum prius peramplum fuisset, nunc multum imminutum significat eleg. I, 1:

> Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
> Custodes, fertis munera vestra, Lares.
> Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
> Nunc agna exigui est hostia parva soli.

Et paullo post:

> Non ego divitias patrum fructusque requiro,
> Quos tulit antiquo condita messis avo:
> Parva seges satis est.

Quo vero casu imminutum fuerit, non constat; statuunt in illa agraria largitione factum, quae ann. urb. c. 713. Italiam misere perturbavit, conf. Virgil. Vitam apud Heynium, Tibullo circiter octodecim annos agente. Sane teneo cum aliis sibi ademta bona queri poetam, non ante se a patre iam factam iacturam. Ac primum quidem mentionem facit rei in citat. eleg. ann. 723., at in eleg. I, 10., circ. 712. scripta ut statim videbimus, nondum memorat, nec pauperem se dicit sed simplicitati priscae addictum; tunc ad stipendia merenda avocabatur, potuit igitur cum absens esset, accidere calamitas. Plura de hac re dici nequeunt. Sed persequamur nunc omnia secundum ordinem annorum, quae de vita poetae explicanda sunt; certa quidem pauca sunt, possunt tamen alia satis probabiliter constitui. De pueritia suavia verba sunt I, 10, 16. Carmen vero eorum, quae habemus, primum dico ipsum hoc I, 10. Cum enim editores Tibulli Brouckhusius, Heynius, Vossius male de Aquitanica expeditione acciperent quae ibi dicuntur, et inter primam et tertiam elegiam libri primi hanc ponerent scriptam; primus Passovius egregie perspexit in Commentatione academica „*de Ordine temporum quo primi libri*

elegias scripsit Tibullus, Vratislav. 1831." tum eam factam, cum primum aetas militaris ad stipendia vocaret adolescentem a foco avito. Fuit autem aetas militaris inde ab anno decimo septimo, ut constat; quare circ. ann. 712. videtur penates reliquisse; Passovius dilatam aliquot annos profectionem putat, ut circ. 715. viginti annorum adolescens carmen indicatum scripserit, sed causam coniecturae desidero. Post discessum potuit accidere ista, quam ante memoravi, calamitas praedio. Abfuit diu. Rediit certe circ. 722. Nam equitibus dena stipendia facienda erant Polybio teste, quod observatum fere libera republica credibile est, donec postea sub imperatoribus varie mutarentur leges militares priores. At confecta stipendia declarat haud obscure in elegia prima libri primi, quae ann. 723. scripta, ubi ad inertem vitam nunc transire se velle testatur v. 5., mox v. 25. haec scribit:

Iam modico possum contentus vivere in arvo,
Nec semper longae deditus esse viae.

Etenim redux e bellis innotuerat M. Valerio Messalae Corvino, cui mox eximie placuit. Creditur quidem a quibusdam carmine gratulatorio IV, 1. se huic viro commendasse, cum is ann. 723. consulatum iniret, sed illud carmen etsi revera illo tempore scriptum a iuvene quodam, qui, ut alii multi, partem agrorum proscriptione amiserat, Tibullo tribui non debere infra in introductione explicationi poematis praemissa disertius ostendo. Illud verum, eximie placuisse poetam Messalae, a quo bis ad societatem belli invitatus est, ut versaretur in comitatu eius et dona militaria mereretur, quo tam familiariter usus est usque ad finem vitae, ut suum dicat et egregiis carminibus celebraverit ipsum et filium. Et primum

quidem, ut dixi, ei innotuisse videtur cum post stipendia confecta Romam rediisset, unde paullo post cum bellum contra Antonium pararetur ab Octaviano, initio ann. 723., invitatus est ut comitaretur patronum. Sed Tibullus civilia arma exosus nolebat, et fatigatus bellicis laboribus tandem ad rusticam vitam redire cupiebat, qua diu caruerat. Sic scripta elegia prima libri primi. Accedebat amor Deliae, et ipse primum in hac elegia memoratus. De quo nunc dicam. Etenim circa idem tempus, quo in Messalae amicitiam venit, etiam Deliam amare coepit, puellam formosissimam, cuius faciem, teneros lacertos, comas flavas I, 5, 43. laudat. Verum nomen eius *Plania* fuit, ut ex Appulei. Apolog. 106. Oudend. novimus, ubi legitur: „*eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit — et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.*" Quae vulgata lectio. Alia lect. *Plautia* ab Elmenhorstio p. 327. e Fulv. notata est et ap. Hieron. Alexandrin. in Tibull. ed. Huschk. T. I. p. XC. habetur. Alii denique coniecerunt *Flavia, Plancia, Planca.* Sed verum nomen *Plania* etiam Spohnio iudice, ad quod firmandum iam olim Brouckhusius Inscriptiones ap. Grut. contulit ad Tib. I, 1, 57. quae probant Romanum fuisse nomen, Passovius autem in Seebodii Horreo philol. et paedag. ann. 1825. p. 191. narrat sententiam viri cuiusdam docti, qui Deliae nomen ita a δῆλος ductum putabat ut Planiae a *planus*, et illud huius translationem Graecam. Sed de hoc alius comparare malit Cynthiam Propertii manifesto propter Apollinem poeseos auctorem dictam. Ipsa vero puella sive libertinae conditionis, sive quod malim omnino plebeiae originis, haud dubie ex eo feminarum ordine erat,

qui medius inter matronas et viles meretrices morum suavitate et vestitus liberioris elegantia iuventutem Romanam tenebat, cf. I, 6, 67. Ac pater mortuus erat, mater laudatur aliquoties, vid. I, 3, 84. I, 6, 63 sqq. Erat honesta familia et non egena, quae ancillas aliquot haberet (I, 3, 87.), et servabat illaesam pudicitiam Delia, ut videtur, cum primum Tibulli amorem excitaret, qui in matrimonium quidem ducere eam non cogitabat, ut perperam visum Spohnio, at pro uxore secum habere volebat et tenere ad mortem, si fida mansisset. Quod non fecit. Nam Tibullus, qui civili bello interesse noluerat, paullo post iterum invitatus a Messala ad Aquitanicum bellum, negare dubitavit, et sub finem ann. 723. cum hoc viro in Galliam profectus est, quem discessum describit I, 3 9 sqq. Debellatis Aquitanis, cui rei interfuisse se poeta I, 7, 9. gloriatur, Messala continuo ad Orientem componendum ab Augusto vocatur, Tibullus comitatur, sed in Corcyra morbo corripitur. Messala continuat iter, et Ciliciam, Syriam, Aegyptum componit, de quo apud Tibullum I, 7, 13 sqq. dicitur; poeta remanere coactus scribit carm. I, 3. sub auctumnum ann. 724. cf. Introd. ad elegiam, et haud dubie non multo post ipse etiam redit Romam. Hic invenit Deliam aegrotantem opinor, nisi paullo post in morbum incidit, et tum praestitit officia descripta I, 5, 9 sqq. ad lectum eius ipsa hieme. Exposuimus in Introductione ad illud carmen de alio tempore cogitari commode non posse. Quemadmodum autem supra in prima libri elegia vidimus post confecta stipendia equestria ad rusticam vitam transiturum poetam, sic nunc post reditum ex recentissimis periculis fortius resurgit ruris amor. Volebat igitur tandem missis itineribus bellicis ad inertem

vitam redire, et cogitabat nunc etiam Deliam, si reconvaluisset, secum ducere in praedium et cum ea vivere semper, quemadmodum pulchre describit I, 5, 19 sqq. Verum enim vero haec iam inter absentiam Tibulli, ut videtur, fidem mutare et aliorum promissis aurem praebere coeperat; poeta recipitur quidem post reditum ut ante et aegrotanti opem fert, sed Delia vix restituta valetudine relabitur ad levitatem et ditiorem amatorem admittit. Tibullus quo tum dolore correptus fuerit, elegia indicata abunde docet; hucusque se unicum amatorem crediderat et imaginatus erat summam felicitatem, si rure secum haberet Deliam perpetuam vitae sociam, nunc mutantur omnia, nec miraberis exsecrationem gravissimam lenae corruptricis, quae tantam calamitatem attulerat. Notamus hoc loco cum Bachio et Spohnio errorem mirum Vossii, lenam istam pessimam putantis matrem Deliae fuisse, quod etiam Passovio placuit in Censura supra laudata. Nempe elegiam sextam ante quintam credebant scriptam, quod secus; scripta est quinta ante sextam, ut statim dicam, nec potuit postea aurea anus dici et maxima laude ornari, quae ante diris devota esset. Igitur alia haud dubie mulier fuit ista saga. Inter Tibullum vero et Deliam discidium ortum. Vides, ut narravimus, clara omnia et ordinem rerum consentaneum. Quare pergo. Non diu tulisse videtur poeta discidium quod dixi, et potuit iam vere aut sub aestatem anni 725. scribi eleg. I, 5., ubi in gratiam cum ea redire cupit. Quod tamen non statim plane successit. Iste quidem dives amator postea abiit, sed iam aderat alius, si vere dixit in fine carminis: quidquid fuit, Delia circa hoc tempus nupsisse viro ei videtur, qui in sequentibus carminibus I, 2. et I, 6. memoratur. Sed Ti-

bulli amor maior erat quam ut desperaret, nec Delia plane desierat favere poetae. Cum igitur sub hiemem rediret Romam Tibullus rure, credibile est continuatas preces; nam tulit iterum promissa favoris. Ac cum primum nova limina tentaturus esset, Delia vero nondum ausa fallere custodes frustra exspectaretur, scripta elegia I, 2., quod factum suspicor hieme 725-726. cf. Introd. ad illam elegiam. Gerebatur his temporibus bellum in Cilicia cf. v. 69. sub auspiciis Messalae, qui Orientem componebat. Tibullus vero ista nocte frustratus spe, mox aliis noctibus admissus est et labitur pars anni 726. felix amanti, donec puella, qua erat levitate, novo amatori copiam sui daret. Tum scripta elegia I, 6. me iudice, ultima in hoc amore, poeta congerente quidquid severae hortationis restare videretur ad extrema redacto amanti. Sed non multum effecisse videtur. Certe Delia post haec relicta est. Atque haec mea est de ordine harum elegiarum sententia, quam pluribus firmavi in Introductionibus ad singula carmina. Quaedam recte vidit Passovius, sed elegias I, 2. 5. 6. male ordinavit. Nunc pergo ad sequentia. Ann. 727. Messala rediit ex Oriente et d. XXIV. Sept. de Aquitanis triumphavit; non diu post dies natalis eius incidisse videtur, quem Tibullus elegia septima celebravit. Circa haec tempora scripta etiam videntur carmina in Marathum. Passovius ea ceteris priora statuit, quod non credo verum. Neque enim puer amaverit puerum aut fingendis huiusmodi amoribus aptus fuerit, sed potius post Deliae amorem cum vacaret melioribus sensibus nec puellam haberet, ad hos frivolos lusus delatus est, et praecepta artis didicit, a qua olim alienus erat. Convenit nitor insignis horum carminum. Ann. 728. edi potuit liber primus. Atque haec quidem de his.

In secundo libro aliam amatam Tibulli cognoscimus Nemesim, praeter quam cum Horatius od. I, 33. *Glyceram* memoret, primum de hac videamus. Dicit Horatius:

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Fuisse Glyceram eandem cum Delia et miserabiles elegos librum tertium Spohnius uberrime demonstratum ivit, sed frustra. Non immitis erat Delia neque hoc nomen ullo modo in eam quadrat; nec quod iunior praeniteat queritur in carminibus ad Deliam Tibullus, sed quod ditior. Liber tertius vero certissime alium auctorem habet. Quare etiam miserabiles istos elegos sic hic non reperias. Monuit haec iam Passovius in Seebodii Horreo philol. et paedag. ann. 1825. fasc. II, p. 189 sqq. ubi contra eam sententiam omnimodo firmare studet, quae olim Scaligero placuerat, Nemesim fuisse Glyceram. Atque hoc nomen verum fuisse puellae, alterum fictum et poeticum. Sed minime mihi persuasit Passovius hanc sententiam; ferri etiam haec ratio nequit. Primum enim quod data opera exponit, fictum et poeticum nomen eundem numerum, quam verum, et quantitatem eandem syllabarum habere, ut alterum pro altero salvo metro substitui possit, vera res per se, cf. etiam Weichertum in Reliqq. poetar. Latinor. p. 412 sqq., sed scire cupio quomodo in his carminibus II, 4, 59. ubi nominativus habetur, possit *Glyceră mea* pro *Nemesīs mea* per metrum substitui. Sed hoc argumentum ipse evertam. Nempe quod non notavit Passovius, regula ista sic certa est, ut qui fictum nomen posuerit in carminibus suis, tale censendus sit elegisse quod quanti-

tate syllabarum vero par esset; at alium poetam quid cogebat idem facere, quid cogebat Horatium puellam Tibulli similiter tali nomine designare, quod vero par esset quantitate syllabarum? Sic igitur possint nihilominus Glycera et Nemesis eadem puella esse. Quare nunc addam alia quae obstant. Recte notarunt Heynius, Mitscherlichius ad Horatium, et Spohnius p. 48., in Nemesi avaritiam deplorari, in Glycera perfidiam, quod discrimen gravius est quam Passovio visum. Laesam fidem in carminibus ad Nemesim nusquam queritur poeta, nec locum ibi habere potest haec querela, cum Nemesis meretrix esset non uni Tibullo obstricta, sed admittens qui satis munerum et pecuniae offerret, nec postulat poeta usquam ut sibi soli dedita sit, sed ne tam saepe excludat. At cum Glycera arctius foedus iunxerat credo, veluti olim cum Delia, et fidem ab ea postulabat quemadmodum a Delia, sed placuerat iunior quidam, cum Nemesis ditiores praeferret. Hoc verum discrimen est, quod nulla interpretatione deleas. At enim dicunt, duas tantum puellas a Tibullo amatas agnosci Ovidio Amorr. III, 9:

> Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
> Altera cura recens, altera primus amor:

esse igitur necesse, ut Glycera alterutra fuerit. Ego quomodo Ovidii verba tot viris doctis fraudem facere potuerint, nunquam intelligere potui. Ovidius, ut par erat, *edita opera Tibulli* respiciebat, in quibus duae comparent amatae, nam tertium librum haud dubie sciebat non esse Tibulli. Durant carmina poetarum, ait, sic Nemesis et Delia nomen habebunt. Dicas quidem Epicedium scriptum cum sepeliretur Tibullus et ante editum Albii librum secundum, qui postumus; sed sive tum sta-

tim, sive alio sit tempore factum, editi sunt Amorum libri quinque secundum Massonum circ. 739. et serius etiam qui hodie habentur tres, h. e. diu post Tibulli mortem, et vides non potuisse edere Ovidium, quod repugnaret Tibulli carminibus editis, quae cum nonnisi duas laudent puellas et memoriae tradiderint, de his solis dici debuit ab eo, etiamsi sciret poetam, cum viveret, alias praeterea amasse. Quae cum ita sint, ego ut Ayrmannus, Heynius, Mitscherlichius, Vossius, Glyceram aliam et diversam habeo a Delia et Nemesi, quam tamen amaverit Tibullus non post Nemesim et in fine vitae, ut perperam visum, sed post Deliam circ. ann. 729. et 730. Poeta etiam tum ea aetate erat, ut iunior ei praeferri posset, quemadmodum Horatius indicat. De temporibus, quibus Horatius libros poematum suorum scripserit, nuper contra Bentleium data opera disputavit vir doctissimus Kirchnerus in *Quaestionibus Horatianis* Numburg. ann. 1834., unde discas etiam hinc nihil obstare sententiae nostrae. Elegi autem isti lamentabiles certissime non editi erant, sed inter amicos habebantur, unde eos Horatius noverat. Nam praeter primum librum videbis infra nihil edidisse Tibullum. Quodsi denique quaeritur quorsum abierint isti elegi, vereor ne plus scire velimus quam licet; fortasse postea displicebant Tibullo, ut ipse eos deleverit, si nimis flebiles et lamentabiles erant, quemadmodum ex Horatio suspicari licet. Ceterum unum carmen ad Glyceram forte aetatem tulisse suspicor, scriptum vero illud priore tempore huius amoris, quod sine nomine puellae repertum in schedis Tibulli inter quarti libri carmina editum est nr. 13. (Adde nr. 14.) Deliae scriptum non fuit, quae non immitis et superba erat, ut haec, et cuius nusquam

servitium dicitur, ut hic fit in exitu. Nec pro Nemesi hanc puellam habeo; cum statim primum distichon arctius foedus indicet, ubi fidem sibi iuraverant amantes perpetuam: monui iam supra hoc alienum a Nemesis amore, at bene convenit Horatii verbis, secundum quae postea laesam fidem querebatur Tibullus, ut hoc loco puellae dubitanti suam fidem illaesam affirmat. Plures autem amatas Tibulli non novimus, et provoces perperam ad I, 5, 39: *Saepe aliam tenui*, ubi minime de amatis puellis agitur, sed de vilibus meretricibus, quas isto tempore adibat ingentem dolorem Deliae amissae repressurus. Atque haec hactenus. —

Post Glyceram amatam cum iterum vacaret amore Tibullus, non inepte suspiceris scripta ab eo *Elegidia libri quarti*, ubi Sulpiciae et Cerinthi amores depinguntur. Haec enim tam pulchra sunt, quemadmodum infra videbis, ut si non haberent Tibullum auctorem, alium necesse esset statuere tum vixisse pariter egregium poetam eundemque Tibullo simillimum. Immo Tibullus scripsit, ut cum plerisque viris doctis iudico: copia sententiarum plane accommodata magnitudini carminum, vis paullo minor quam ubi suos ipsius amores canit, sed satis nervosa et argumento apta, compositio partium pulcherrima, dictio Tibullianae simillima. Bis expertus perfidiam puellarum levium, nunc vere amantis puellae sensibus adumbrandis animum recreat. Nec dubito cum Vossio epistolas amatorias, quae in Vita antiqua Tibulli laudantur, has ipsas elegias intelligi, ut codicum Wittianus A. constanter tantum non omnes nominat epistolas. Nec movent me ut aliter sentiam in Vita Tibulli confecta ab Hieronymo Alexandrino, sed nullius pretii, memoratae epistolae ad familiares poeticae et prosa scriptae,

quas vel errori vel fraudi debitas credibile. Sulpiciam fuisse Servii Sulpicii Rufi celeberrimi filiam, qui Ciceronis aequalis erat, qui ann. 703. consul fuit et circ. 710. mortuus, vid. Ellendtii Prolegom. ad Ciceron. Brut. p. CIII sqq., iure dubitari potest. At filius Servius Sulpicius paternae laudis aemulus potuit postea filiam habere, cuius aetas nubilis in haec, quae dicimus, tempora incideret. Nam non esse rem diu ante actam, sed tunc ipsum cum carmina scriberentur, ostendit elegia II, 2. Messalam amicum domus fuisse patet ex uno elegidiorum, et facile coniicias etiam Tibullum usu cum familia coniunctum. Sic fieri potuit, aio, ut, dum ipse vacabat amore, huius amoris, quem vidisset, componeret suavissimam adumbrationem, et possis Horatii epistolam quartam commode ad hoc tempus revocare:

> Albi, sermonum nostrorum candide iudex,
> Quid nunc te dicam facere in regione Pedana,
> Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
> An tacitum silvas inter reptare salubres?

si tum forte in praedium secesserat diutius. Ac dixi iam supra, in sequentibus ab Horatio rideri mollem animum poetae, qui, credo, modo flebiles istos elegos propter Glyceram decantaverat. Circa hoc vero tempus etiam elegia prima libri secundi scribi potuit, siquidem in illo carmine nulla fit mentio puellae quam amet (vacabat enim amore), cum tamen in carmine ad Messalinum, quo tempore Nemesim amare coeperat, etiam novum hunc amorem commemorare non obliviscatur. Satis de his.

Pervenimus nunc eo ut de *Nemesi* dicatur. Dubitari nequit fuisse hanc meretricem maxime superbam et avaram, et nullo tempore uni Tibullo addictam, quae

ditioribus copiam sui faceret, atque etiam Tibullum deceptum pulchritudine eius et moribus suavibus nonnisi munerum magnorum mercede admitteret, et hunc quidem raro ut minus divitem, saepius vero excluderet:

tunc morior curis, (ait,) tunc mens mihi perdita fingit,
quisve meam teneat quot teneatve modis.

Fuisse hanc ultimam amatam poetae Ovidius in Epicedio testatur, et cum nonnisi tria carmina in eam habeamus, etiam sic coniicias non diu ante finem vitae hunc infaustum amorem ortum. Quod factum videtur circ. 733. In carmine ad Messalinum dicit Tibullus se iam annum saucium iacere hoc amore, quod ex hoc calculo ann. 734. scriptum fuerit. Elegiae vero in Nemesim, ut infra alio loco notabo, eo fere ordine scriptae videntur quo nunc leguntur. Tibullus in hoc amore mortuus est, teste Ovidio in Epicedio, ubi Nemesis dicit:

Me tenuit moriens deficiente manu,

qui versus depromptus ex elegia prima libri primi Tibulliani, etiamsi non ad verbum urgeatur, hoc certissime probat, nondum finitum fuisse hunc amorem, cum obiret Albius, sed *in* amore, ut dixi, mortuum poetam. Haec hactenus.

Tertium librum non esse Tibulli primus observavit Ioannes Henricus Vossius in Calendario poetico (Musenalmanach) ann. 1786., idque postea amplius confirmare studuit in praefatione, quam Translationi suae Tibulli ann. 1810. editae praemisit. Assensi sunt Eichstadius primum paucis verbis in Programmate Ienensi ann. 1806. cui titulus: *Disputantur nonnulla de iis, quae novo Tibulli editori vel cavenda vel faciunda sint*, postea uberius communita Vossii sententia tribus aliis programmatis acade-

micis *De Lygdami carminibus*, *quae nuper appellata sunt*, ann. 1819. 1823. 1824. ubi primam et quartam elegiam diligentius examinavit, deinde Passovius in Censura supra laudata, et Lachmannus olim ad Propertium, nuper vero pluribus verbis in Annotatione praeclara libro tertio praemissa in sui Tibulli editione, repetita etiam in nostra, praeterea alii. Atque ego quoque nihil certius habeo, quamvis etiam defensores vulgatae traditionis exstiterint, quibus commoti multi hodie dubitant in re non nimis ambigua. Ac plerique Tibullum credunt etiam hic suos amores, sed sub Lygdami nomine, cecinisse, ut Bauerus, Bachius, Spohnius, alii. Cui opinioni quid obstet, iam dicam. Primum poeta ipse natales suos indicat III, 5, 17. 18. qui annus cum non potuerit Tibulli esse natalis, eiicere voluerunt locum, sed repugnantibus legibus sanae criticae; videbis in Commentario vanitatem argumentorum. Notatum deinde est, ab Ovidio saepius expressum Lygdamum ut alias Tibullum, quod verum. In Epicedio quidem Amorr. III, 9, 51 sqq. non respicit Lygdamum III, 2, 11—13. sed Tibullum I, 3, 5 sqq. V. 17. Epiced. Spohnius perperam explicat p. 70: „idem ille Tibullus iacet, qui nos II, 5, 114. sacros vates, III, 4, 43. curam deum dixerat.“ Potius verus sensus: Attamen dicimur et credimur vulgo sacri et cura deorum, nec ad unius, sed ad omnium provocatur auctoritatem. Ceterum non nego, cum ederet libros suos Ovidius, potuisse ab eo respici simul verba Tibulli II, 5, 113. 114., ubi certe de vita et morte sermo, cum apud Lygdamum III, 4, 43. plane alia sententia sit. Satis contra Spohnium. Nec certa comparatio locorum Lygd. III, 6, 49. 50. et Ovid. Art. Am. I, 633. 634. cum etiam talia saepe et a multis dicta sint.

At iure conferunt Lygd. III, 5, 16. et Ovid. Art. Am. II, 670; Lygd. III, 5, 18. et Ovid. Trist. IV, 10, 6; denique Lygd. III, 5, 19. 20. et Ovid. Amorr. II, 14, 23. Adde Lygd. III, 6, 40. et Ovid. Art. Am. III, 36. Sed quid hoc ad rem? Nihilominus certum Lygdamum ab Ovidio non pro Tibullo habitum, qui Tibullo se iuniorem dixerit, hunc autem poetam eodem secum anno natum legeret, quique non agnoscat Neaeram, ut alioquin fecisset. Nam quibus editis libris amores Tibulli contineri sciebat, eorum ita sequi debebat auctoritatem, ut puellas in iis a poeta laudatas in Epicedio nominaret. Expressit credo nonnulla ex libro tertio non quod eum pro Tibulliano haberet, sed cum non spernendum duceret, qui in collectione Tibullianorum operum editus esset. Veniamus ad alia. Neaerae nomen dedisse poetas Latinos omnino amatis puellis Spohnius notavit, neque ubique levitatis et perfidiae significatio inest, etsi haec puella fidem deserat. Nata fuit in culta, locuplete et liberali domo, non humili loco, sed honestis et fortunatis parentibus, ut praeter Heynium Vossius, Spohnius et nuper Oebeke in libello mox nominando bene docuerunt. Ac poeta eam in matrimonium ducere volebat, unde coniugem appellat. Quare in maximo errore versabatur Spohnius, qui Deliam et Neaeram putabat eandem, et primum tertiumque librum sic coniungebat, ut unam inde historiam componeret; Ovidii quidem testimonium de duabus puellis Tibulli favere videtur, sed verissime explicante Passovio in Censura laudata et in Seebodii Horreo Delia et Neaera manifesto diversae sunt, nec eodem loco natae, altera uxor, altera pro uxore futura, si fida mansisset, nec denique nomen Neaerae eandem habet syllabarum rationem, quam Deliae aut Planiae.

Non melius ii, qui contra Ovidium statuunt tertium amorem hoc libro a Tibullo cantatum, et Bachius quidem ante carmina primi libri poetam vult de hoc coniugio cogitasse; vidimus autem elegiam decimam istius libri ab adolescente Tibullo scriptam, aetatem militarem ingresso, ante quod tempus puer fuit. Haec atque talia continuo obiicias iis, qui Tibulli amatam dicunt Neaeram; sed non his solis eos refutamus: gravissima argumenta offert dissimilitudo manifesta poeseos, h. e. diversa vis, inventio, compositio, elocutio, quam rem ego in sequenti dissertatione explicatius persequar, quam ante me est factum. Ibi igitur lector cetera inveniet ad hanc quaestionem pertinentia. Atque eadem haec quae dixi discrimina inventionis, compositionis, elocutionis etiam alteri opinioni obstant Vulpio et Huschkio placitae, qui Tibullum amici cuiusdam Lygdami amores credunt his elegiis cecinisse. Tibullus nullo modo auctor esse potuit, quidquid fingas. Quod cum sentiret vir doctus Oebeke, in gymnasio Aquisgranensi literas antiquas tradens, nuper in programmate scholastico ann. 1832. probare studuit Cassium Parmensem auctorem fuisse. Hunc, nam antiquior erat, expressum a Tibullo multis in locis, quod colligit ex Horat. Epist. I, 4, 3. Vix tamen cuiquam hanc opinionem persuaserit. Ac primum mutat vers. Lygd. III, 5, 18. sic:

Cum cessit fato consul uterque pari,

intelligens annum 671. ab urb. cond. ubi L. Cornelius Scipio et C. Iunius Norbanus Coss. vique et dolis ab C. Cornelio Sulla in Italiam reverso devicti: illum perfide deseruisse exercitum largitione corruptum, hunc proelio profligatum. Hoc igitur esse fatum par. Sed ne alia opponam, apertum est v. *fatum* sic et in tali locutione

incommodam esse, quae bene posita in tradita lectione. Ceterum etiam Ayrmannus olim *cessit* reponebat, intelligens ann. urb. c. 705. ubi C. Claudius Marcellus et L. Cornelius Lentulus Coss. appropinquante Caesare ex urbe et Italia cum Pompeio cesserunt; sed hunc Spohnius refutavit et Passovius. Vides quam ambiguum sit v. *cessit.* Deinde Oebeke, ut ostendat ab Tibullo Lygdamum expressum, multos locos confert, quorum unum exemplum apponam. Dicit Lygdamus III, 1, 7:

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat ut digna est versibus illa meis.

Huc respexisse Tibullum I, 4, 61. 62. ubi legimus:

Pieridas pueri doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.

Eiusdem generis sunt aliae comparationes multae, quibus Lygdami quasi semina et simulacra in Ovidio deprehendi probare vult, veluti cum Lygdamus dicat III, 2, 5:

Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor,

hinc lucratum Ovidium in Amorr. III, 11, 1. 2:

Multa diuque tuli: vitiis patientia victa est.
Cede fatigato pectore, turpis Amor.

Vides virum doctum inanem operam consumpsisse, cupidius quam rectius comparantem quae sic comparari non possunt. Porro cum Lygdamus religiosus dicat III, 5, 7. 8:

Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae,

Tibullus autem I, 6, 21 sqq.:

Exibit quam saepe time, seu visere dicet
Sacra Bonae maribus non adeunda deae.

At mihi si credas, illam sequar unus ad aras:
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis,

colligit etiam hinc antiquiorem fuisse Lygdamum, siquidem prius maior horror horum sacrorum esset. Sed vide quae dixi ad illos locos. Denique imperfectam artem poetae rusticitatem appellat horridioris aevi. Sed his atque talibus nihil efficitur quod commovere quemquam possit; quare nunc mitto istam opinionem. Optime vero et rectissime Oebeke, ut fecerat etiam Spohnius, refutat Vossium repugnantia multa de Lygdamo fundentem. Neque enim Graeculus fuit et libertinae conditionis, sed Romanum se dicit ipse, ut observatum primum a Wagnero est, initio libri tertii:

Exoriens nostris hic fuit annus avis,

neque egenus potuit esse, qui lautum convivium in sexta elegia describit, ubi etiam unguenta pretiosa non desunt, et amat omnino elegantiam et luxum quendam, veluti cum librum amicae missum describit aut honores mortuo sibi reddendos. Sed dicendum nunc de editione elegiarum est quid sentiam. Nempe acute mihi Lachmannus meus statuere videtur in Annotatione libro tertio praefixa, editos tres ultimos libros ab alio post mortem Tibulli. Tibullus, ut vidimus supra, mortuus erat *in* amore Nemesis, qui amor cum non finitus esset, nec liber secundus dici potest a Tibullo finitus, sed probabile est longiorem futurum fuisse et priori magnitudine similiorem, si poeta diutius vixisset; neque enim edidisset ante finem amoris. Nunc igitur ut habetur, ex schedis Albii ab alio editus est, ac cum omnia satis elaborata videam, est tamen in tertio carmine descriptio servitii Apollinei apud Admetum, in qua ultimam manum desidero. Sed idem ille, qui hunc librum edidit, simul

etiam tertium et quartum addidit, in cuius fine manifesto Tibulliana elegia nr. 13. Ac Lygdamus quidem, cuius verum nomen ignoratur, potuit amicus esse iunior Tibulli, quippe natus, ut ipse dicit, ann. 711., qui se ad imitationem Albii composuerat, quantum posset pro ingenii ratione. Credas propemodum repertas has elegias in domo Tibulli, qui fortasse ipse eas emendatius edere voluerat, si quod suspicor, mortuus erat poeta praemature: nam cum omnes imperfectae sint, non est tamen omnium pariter elaborata compositio. Iam vide quid egisse putem editorem: Tibulli eas non esse ut crederet, suadebat annus natalis diversus et tractatio multis modis imperfecta et vitiosa; contra ante oculos erat color quidam Tibullianus, et videri poterat Tibullus sub alio nomine cecinisse positoque ficto anno natali, sed non admovisse ultimam manum, quemadmodum etiam hodie visum est quibusdam; ita fieri potuit ut dubitaret homo, essentne eae alius poetae an Tibulli. Quare cum relinqui non possent, placuit deleto nomine, quod eleg. II, 29. in exemplo primitivo legebatur neque vero constabat verum esset an fictum, Lygdamum nomen substituere et cum hoc nomine eas addere Tibullianis. Verissima enim mihi cum Passovio (in Seebodii Horreo) eorum videtur sententia, qui hoc nomen cum Albio nomine compararunt, cum sit λύγδος albus et Lygdinus onyx indeque deductae ad candorem designandum significationes notae essent Romanis; neque tamen Tibullus suum nomen sic obtexit, ut perperam statuerunt, sed editor libri, acute suspicante Lachmanno, ita rescripsit, optime sic nominans eum, qui nec Albius videbatur certo dici posse, nec non dici Albius, et esset quasi alia quaedam persona dubia Albii. Neque vero

repugno, si malis auctorem libri ipsum se Lygdamum nominasse, quod nomen commodum retinuerit editor propter causas significatas hoc sensu, quem dixi. Satis de his. — In quarti libri initio editor posuit carmen ad Messalam gratulatorium, quod cum aliis et ipse abiudico Tibullo, ut abunde expositum videbis in introductione ad explicationem carminis. Sed est illius temporis, non serioris aevi, cuius nulla certa vestigia habet, nec credo quartum librum, quam habet formam, a librariis accepisse, sed a primitivo editore. Sentiebat is, opinor, diversitatem artis, sed cum fundamenta carminis non mala, h. e. divisionem rerum claram et magnifici viri laudi accommodatam videret, tractationem imperfectiorem variis causis tribuere potuit, veluti minori usui poetae in epica poesi, quem ceteroquin inter omnes constaret admiratorem Messalae fuisse atque etiam patrimonii fecisse iacturam, qualem auctor huius carminis significat. Ita vel habuit pro Tibulliano vel non ausus est relinquere quod pro Tibulliano ei traditum fuerat, iudicans fere idem de hoc opere, quod de tertio libro. — Post hoc carmen collocavit elegidia de Sulpiciae et Cerinthi amoribus in schedis Tibulli reperta una cum carm. nr. 13. et 14. Iuvenis, quem amabat puella, haud dubie Romanus fuit non ignobilis, idemque amicus Tibulli; qui si in lucem edere haec carmina voluit, ut credimus, ipse videri potest poeticum nomen intulisse, Lachmannus vero ab editore postea id impositum putat. De qua re vide quae in praefatione ad haec elegidia disputavi. Legitur idem in secundo libro eleg. II. et III. At ibi causa vix erat, quare non verum nomen Tibullus poneret, ut alias Messalam nominat, ut Horatius, Propertius, alii vera nomina eorum nominant, quibus

dedicant carmen. Sed cum sive a Tibullo sive ab editore esset in quarti libri elegidiis Cerinthi nomen positum, debuit editor idem constantiae causa in secundo facere, cum eadem persona esset, quod non dubitabis. Atque ita redimus unde profecti sumus, cum diceremus ultimos tres libros simul editos videri post mortem Tibulli ab alio quodam homine. De qua re dictum quantum satis.

Priapea duo carmina, quae Iosephus Scaliger se in codice Cuiaciano inter Tibulli opera reperisse testatur, quomodo huc venerint ignotum; pro Tibullianis ea non habeas.

Subiicio conspectum brevem vitae Tibulli, prout res ordinare tentavimus.

Circ. 695.	Natus videtur Tibullus.
ann. 712.	Penates reliquit stipendia equestria meriturus aetate militari. Scripta elegia I, 10.
ann. 722.	Rediit post decem annos, confectis stipendiis equestribus. In Messalae amicitiam recipitur. — Eodem tempore Deliam amare coepit.
ann. 723.	Scribit eleg. I, 1., cum invitatus a Messala ut secum iret in bellum contra Antonium, sequi nollet. Ad rusticam vitam tandem se rediturum dicit. (Ab alio iuvene tum carm. IV, 1. scriptum.) Tamen sub eiusdem anni finem cum Messala in Aquitaniam proficiscitur.
ann. 724.	Auctumno cum Messala in Orientem proficiscens, morbo retinetur in Corcyra ibique scribit eleg. I, 3.

Restituta valetudine Romam reversus, Deliam aegrotam invenit, nisi paullo post in morbum incidit, et praestitit ei tum officia laudata eleg. I, 5.

ann. 725. Discidium ortum, cum Delia, quae iam absente Tibullo clam fidem deseruisse videtur, post morbum aperte divitem amatorem admitteret.

Sub aestatem tamen scripta videtur eleg. I, 5., cum discidium non ferret diutius. Sed Delia circa hoc tempus viro nubit.

ann. 725-26. Hieme reddit favorem Delia poetae, qui scribit eleg. I, 2. cum primum nova limina tentaret.

Gerebatur circa hoc tempus bellum in Cilicia sub Messalae auspiciis, qui Orientem componebat.

Anni 726. pars felix amanti. Tum Delia novum amatorem admittit et poeta scribit eleg. I, 6. — Postea relicta est.

ann. 727. Carmina ad Marathum scribi coepta. — D. XXIV. Sept. Messala, redux ex Oriente, triumphavit de Aquitanis. Paullo post Tibullus natalitia eius celebravit eleg. I, 7.

ann. 728. Edi potuit liber primus elegiarum.

ann. 729. et 730. Glycera amatur et canuntur propter eam flebiles elegi. Initio amoris scribi potuit carm. IV, 13.

ann. 731. Post Glycerae amorem elegidia libri quarti componere coepit.

circ. 733. Nemesim amare coepit, cui deinde tria carmina consecrata.

circ. 734.	Messalino in collegium Quindecimv. cooptato scripta eleg. II, 5.
ann. 735. aut 736.	Moritur Tibullus in amore Nemesis.

Post mortem editi tres ultimi libri ab alio homine.

DE POESI TIBULLI.

Postquam de vita Tibulli dictum est, dicemus etiam de ingenio et poesi eius. Disputarunt nonnulla de ea re interpretes Albii et scriptores historiae literariae, nec non Wielandius ad Horatii epistolam libri primi quartam et nuper Hermannus Paldamus in libello, cui titulus: Römische Erotik, uberius vero ceteris imprimisque eleganter olim Manso in Additamentis ad Sulzerum Tom. II, fasc. 1; sed nemo horum omnes quaestiones persecutus est quibus opus, si penitus illustrare scriptorem studeas; ego vero ita rem tractare conabor, quemadmodum etiam iusta hermeneutica postulat, ut quae propria Tibullianae poeseos et ad veram rationem eius cognoscendam necessaria iudico, eorum potiora complectar omnia, refutaturus hoc modo simul errores de arte poetae vulgo perperam sparsos. Dicam vero primum de argumento poeseos Tibullianae, quo fere pertinent disputationes laudatae, deinde de forma et compositione harum elegiarum, denique de elocutione poetae.

I. DE ARGUMENTO POESEOS TIBULLIANAE.

Albius Tibullus, natura alienus a rebus gerendis et magis in mollium sensuum desideriis et affectibus habitans quam ad militiam et honorum contentiones factus, ut puellarum amoribus toto pectore deditus erat, ita

ruris et rusticae vitae studio tenebatur maximo, nec vidit antiquitas poetam elegiacum, in quo utrumque sic esset coniunctum. Gestae ab eo rei nemo veterum mentionem fecit, stipendia vidimus invitum meruisse, post quae semel iterum sola amicitia Messalae abstractus est domo; nec urbis splendor et ambitio tenuit eum, qui aliis voluptatibus a puero assuevisset. Ac domesticae vitae otiique tranquillitas, simplicitas ruris, antiquitus amata Romanis, etiam pulchrior necesse erat videretur generosioribus, postquam luxuria omnis generis urbem invaserat et perierat libertas publica; nec praedam prae Venere laudabant omnes, etsi ferreum esset saeculum *); Tibullus vero cum imprimis proclivis esset ad has affectiones, tamen etiam deminutione ista, quam supra memoravimus, patrimonii multum confirmatus videtur in hoc genere sensuum vitaeque, ad quod natura ferebatur. Non videtur unquam sine dolore quodam recordatus esse amissorum bonorum cum vitula innumeros lustraret iuvencos: sic etiam carius factum quod relictum, carior sedes veteris avi, cariores lares felicis olim nunc pauperis agri custodes, et qui divitiis patrum amplioribus se destitutum videbat, nunc pauperior factus totus ad hanc tenuitatem fortunae animum composuit, et *in mediocritate placida vitae, quae in simplicitate ruris et in puellae amatae usu transigeretur, felicitatem idealem quaerebat, cuius desiderium innatum erat animo.* Atque in his sensibus habitat, hi sunt fundamenta poeseos Tibullianae. Bellicosa non erat Musa Tibulli, nec ad politicas res celebrandas propensa; cum nihilominus bis in hunc campum descendere deberet, iuvat observare quam scite

*) II, 3, 35.

etiam hoc argumentum mox ad ruralia revocaverit. Sed videamus propius singula.

Igitur primum quomodo describit *rus* et *rusticas res?* Non canit amoenitates regionis, arborum umbras, pratorum colores, fontium susurrus, neque omnino ipsam per se rerum naturam depingit, sed vitam laudat rusticam et prima ornamenta vitae ac gaudia debita ruri, et cum in urbe luxuria omnis generis regnet, ruris imaginem fingit simplicitate pulchra colorum placentem mirifice. Rure, ait, cultioris vitae et felicitatis fundamenta orta. Hic primum casae structae et victus melior inventus, hic artes musicae in deorum honorem primum tentatae, et earum quae ad cultum et ornatum pertinent simpliciores, coronis vernis Laribus nexis et ex lana ovium vestibus femineo labore confectis; hic denique etiam Amor primum natus est. Atque his rebus absolutus felicitatis verae ambitus, a qua luxuriae voluptates abessent et vitia crescente luxu illata plurima in vitam. Rure vero etiam nunc nihil est iucundius. Vide primum *negotia* rustica, plantare vites, et arbores, tenere interdum bidentem et stimulo increpare boves, inspicere pecus et agnam fetumve capellae referre domum: nec minus suaviter Deliae futura negotia adumbrata, si cum poeta vivere rure voluisset. Altera pars rusticarum rerum *religiones* et *festa* sunt agrestia, quorum descriptionibus plena omnia in his carminibus. Erat vero pius poeta magnopere addictus agrestium deorum cultui, ut ipse profitetur I, 1:

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
    Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
    Libatum agricolam ponitur ante deum.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

Splendor cultus divini luculentior in urbanorum templorum publicis sacris et sacerdotum numerosis collegiis; Tibullus autem domesticorum sacrorum privata solemnia maxime amabat, ut natalitia carmina ostendunt, et ruralium religionum ritus ac gaudia. Quam pulchre depingit haec festa cum epulis lucorum iocisque petulantibus iuvenum, ubi non rubor vino madere errantes et male ferre pedes! Sic ambarvalia sua describit II, 1. et alius suavis huius generis locus est II, 5, 87 sqq. Atque haec quidem festa sunt; negotia ante vidimus. Claudam quae attuli generali observatione. In quonam inest horum omnium, quae vidimus, suavitas summa et praestantia secundum Tibullum? In simplicitate praeclara: qualis enim olim fuit simplicitas vitae pulcherrima mythico tempore, cum nondum divitiis inhiarent homines, huius superest hodieque similitudo in rustica vita, in rusticis moribus, negotiis, festis, voluptatibus, quemadmodum iam adolescens Tibullus egregie sensit, cum primam elegiam suam (1, 10.) scriberet. Atque huius idealis simplicitatis imago ut animo Albii penitus insidebat, ita descriptionibus ruris poeticis eius subest omnibus. Addamus denique quod solum hic restat commemorandum, oppositionem militiae belliquc dico vere Tibullianam, ut absolvatur totum. Nempe poeta egregie iam in primo carmine (1, 10.), cum primum avocaretur ad stipendia merenda, opponit sibi belli pericula

mortemque praematuram, habendi cupiditate arcessitam, et felicitatem rusticae vitae in pace actae, nititurque tota istius elegiae vis hac oppositione. Similia in aliis sequentium elegiarum videas. Nam carm. I, 1. cum nollet Messalam in bellum Actiacum comitari, sic orditur:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Ac versatur etiam ista elegia usque ad finem in hac oppositione illustranda. Deinde cum in Corcyra aegrotaret, alio modo significat idem I, 3., aureum saeculum, ubi non bellum nec habendi cupiditas erat, laudans, dum sibi reditum ad patrios Lares precatur. Et iure quidem haec omnia. Quam iuvat domi in securitate et otio vivere composito laetum acervo, ubi Pax arva colit!

Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga panda boves,
Pax aluit vites et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum:
Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs,
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.

Denique hinc est quod Musa Tibulli etiam in bellico et politico argumento ad ruralia et pacatarum rerum descriptiones transit, ut eleg. I, 7. et II, 5. factum suavissime. Satis de his. Et nunc diximus quantum opus de rustica rerum parte apud Tibullum. *Est simplicitas aurea et hilaris tranquillitas vitae rusticae, quo redeunt*

dicta omnia; hanc puta praestantiam summam ruris, qualem laudat Tibullus!

Venio ad *amores* poetae et *eroticam* partem rerum. Cum Tibullus rusticam vitam tantopere laudet, vides primum etiam amores agrestium non potuisse taceri inter has laudes. Profecto omnes descriptiones ruris ornavit huiusmodi locis, confer modo I, 10, 53 sqq. II, 1, 67 sqq. 5, 35 sqq. 5, 101 sqq. Nam rure natus Amor, rure degit etiamnum lubens, placet sibi in rusticis moribus, loquitur rustica verba aratoris, interest laetus et petulans festis et voluptatibus agrestibus. Ipse vero Tibullus primum uxorem ducere et in agris vivere cum ea volebat, quod non observatum a viris doctis. Ita vero dicit I, 10, 39 sqq.:

Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim.

Postquam autem Deliae pulchritudine incensus, coniugii iusti consilium abiecerat, tamen etiam hos amores non seiunxit cogitatione a rustica vita, quamdiu quidem Delia innupta fuit, nec nisi morbo animi in fine vitae eo adduci potuit, ut vendere avitas sedes se paratum diceret, si Nemesis avaritia iuberet. Sed dicamus singulatim de amore harum puellarum.

Ac *Delia* quidem per se bona et proba puella fuisse videtur, honestis moribus, ingenio non inculto, quae Tibulli amore initio non indigna esset. Passovius dicit minus bene et liberaliter educatam; ego quaeram, qualem censere debeamus, a qua Messalam poeta excipi volebat in praedio suo. Observabis deinde scripta ad eam

carmina plena sublimium sensuum, quorum tamen intellectum aliquem necesse est habuerit. Callidas artes aliarum puellarum credam ab ea alienas, cum Tibullo innotesceret; at amabiles mores fuerunt, sive educatione sive alio modo parti. Ingenium erat mite; saevitiae et superbiae nullum vestigium exstat. Nec luxuriam, cui Nemesis tantopere dedita, in his elegiis queritur poeta, sed potius probabile est simplicitatem quandam vitae ex origine plebeia, antequam corrumperetur muneribus aliorum, ab ea retentam, quam post reditum e Corcyra invenire velit vespere inter ancillas ad lucernam matre fabellas narrante femineo caste occupatam labore, quam sperabat negotia domestica in praedio suo curaturam sic, ut describit in quinta. Certe a Nemesis fastu aliena haec. Talis fere cum Delia esset, Tibullus primum incensus pulchritudine eius, sic eam amare coepit, ut quam perpetuam sociam vitae ad mortem habere cupias. Quid mollius his verbis I, 1, 59:

Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
  Te teneam moriens deficiente manu.

Ac volebat eam, ut supra dixi, pro uxore secum habere rure, et felicem vitam sibi fingebat, si amata quasi materfamilias omnia curaret, quemadmodum pulchre describit I, 5, 21 sqq.:

Rura colam frugumque aderit mea Delia custos,
  Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
  Pressaque veloci candida musta pede,
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
  Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
  Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

Illa regat cunctos, illi sint omnia curae:
Et iuvet in tota me nihil esse domo.

Ac statim in prima elegia licet non dicat idem expressis verbis, tamen etiam hic rusticae vitae iucunditatem et Deliae amorem sic ad unam otii fortunati imaginem revocata vides, ut alterum ab altero non videatur mente disiungere. Nempe quaerebat Tibullus in amore placidam consuetudinem mutua fide securam, quaerebat animorum coniunctionem iucundam cum usu tranquillo puellae, non voluptatum dissolutam varietatem; parvi ducens divitias, gloriam ceteraque ornamenta vitae externa prae amoris fructu, hunc instar omnium censebat: amore vota, desideria sua maxima continebantur, hic curarum requies, felicitas summa. Et talem vitam agere cum Delia cogitabat in ruris aurea simplicitate, ubi haec omnibus praeesset, ipse frueretur usu et adspectu amatae inturbato et requiesceret in lacertis eius. Est autem non dubium puellam et ipsam carum habuisse poetam,

— — — — — quae me cum mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.

Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Et quid suavius his verbis:

Tum veniam subito nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar coelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.

Non potest in maxima simplicitate adumbrari pulchrius coniunctio arctior amantium, qualis aliquamdiu fuit! Omnino notatum etiam ab aliis est, carmina ex priore tempore huius amoris miram spirare suavitatem sensuum. Sed erat in Delia naturae vitio deplorabilis levitas animi, unde factum ut in lenae pravae laqueos incideret et fidem frangeret. Ortum inde, ut supra iam dictum, primum est discidium, gravissime dolente Tibullo, qui spem pulcherrimam sic ad irritum cecidisse videret. Postquam autem nupta viro puella in gratiam cum poeta redierat, cui favere non desierat, vitae quidem rusticae felicis, quam imaginatus erat, non potuit amplius seria cogitatio esse, nati vero isti ingeniosi doli furtivi sunt, quos in secunda et sexta elegia descriptos habemus. Est etiamnum desiderium indelebile formosae puellae, cuius usu carere nequit, etiamnum cum amata vel in solitudine, si possit, vivere velit lubens, sed aestus amoris aliquantum auctus videtur et cupiditas maior facta impedimentis, unde insignis vehementia affectuum orta in his carminibus conspicua et persuasio nihil intentatum relinquens, quae tamen in ultimo carmine (I, 6.) in castigationem acerbiorem transit, et adhibet quidquid gravissimorum verborum amatori restabat. Tum enim novam perfidiam Delia admiserat, quae iam etiam lascivior erat facta (*neve cubet laxo pectus aperta sinu*), successerant irae frequentiores et pulsationes adeo acciderant. Tamen etiam in hoc carmine multa vestigia amoris patent, qui nova cum vi resurrexisset, si potuisset Delia redire ad meliorem frugem. Quod cum non esset factum, postea relicta est, credo, non sine dolore gravi. Absolvimus historiam huius amoris; superest observatio ad cognoscendam pulchram indolem eius gravissima.

Etenim habet hic amor per omnia tempora sua propriam quandam sublimitatem religioso sensu, qui in eo regnat. Videtur poetae sacrum foedus in perpetuum iunctum, quod ipsa Venus et Cupido tuentur, et saeviunt dii temere relicti. Quare cum aegrotaret in Corcyra, quo dolore accusat se quod invito deo puellam reliquerit:

Audeat invito ne quis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.

Similiter Deliam saepe hortatur ut casta sit sanctique pudoris memor, ne deorum iram incurrat. Atque etiam cum virum haberet, dum ille coniunx est, poeta amator et amatus vult unicus et verus esse, et poenas coelestes denuntiat corruptoribus. Profecto non laudo ego quod maritum decipiebat Tibullus, sed hoc loco de poetae sententia quaeritur. Hic, Non ego te laesi prudens, ait, ignosce fatenti. Iussit Amor; contra quis ferat arma deos? Nempe coniunx iure civili erat Deliae iunctus, se coelesti igne credebat tactum et puellam divina lege suam. Quare abstineant alii omnes rivales:

Parcite quam custodit Amor violare puellam,
Ne pigeatm agno post didicisse malo.

Nefas tangere puellam a diis datam, nefas etiam amantem laedere in tutela Veneris euntem:

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.

Atque hoc sensu se tollit altius poetae spiritus in tot locis: vocat magiam in subsidium, adit Bellonae sacerdotem, implorat iram deorum adversus lenam corruptricem; nam sunt numina amanti. Observabis vero etiam Deliam religiosis sensibus deditam fuisse. Atque

imprimis quidem Isidem colebat, cf. I, 3, 23 sqq., quem cultum notum sane multas tum feminas libidinis causa secutas, cui rei opportunitatem praebebant templa deae; sed non omnes credo tali cupiditate ductae sunt, atque etiam in Tibulli loco indicato nullum talis in poeta suspicionis vestigium, sed probabile est Deliam prioribus huius amoris annis alienam fuisse ab ista turpitudine, quam postea etiam Bonae deae sacra nolebat poeta sine custode subsequente adire. Sed hoc postea, prius alia res; nam certum est eam omnino religiosam fuisse, cf. I, 3, 10 sqq., similem etiam in hoc Tibullo. Atque ita factum ut plenae sint hae elegiae descriptionibus religiosis, quarum quaedam si taedium faciunt nonnullis superstitionem fastidiose contemnentibus, ego aliter iudico, qui etiam hic numine plenum animum Tibulli agnoscam, poeticam autem vim harum rerum videam non parvam. *)

---

*) Mirari satis non possum, quid acciderit Passovio, viro dum vivebat accurati iudicii, ut in Dissertatione de temporibus elegiarum supra indicata pag. 11. sic scriberet: „Animus lenis, „benevolus, ad ruris gaudia propensus insignisque erga patrios „deos pietas cesserunt insanae vehementiae impotentique furori, „quibus ad extrema quaeque abripi se patiebatur *in omni faci-„norosae urbis dedecore volutatus* foedissimisque deditus falsae „religionis superstitionibus.“ Laudat I, 2, 43-66. 6, 43-56. 5, 9-16. Credas de spurcissimo homine loqui virum doctum. At quam iniuste! Ipse affert Goethii nostri verba eleg. Rom. IV, 1:

Fromm sind wir Liebende, still verehren wir alle Dämonen.

Sane sagam adit Tibullus et Bellonae sacerdotem et lustrat puellam aegrotantem adhibita maga, sed quomodo probabis inde poetam exuisse pietatem erga patrios deos et abiecisse sensus priores, qui postea in secundo libro agrestes deos et rusticae vitae simplicitatem cecinit pulcherrime! Verbum non addo. Nempe generosior animus etiam superstitione vulgi, si credit, ad altiora revocat

Dixi de Deliae amore, cui non absimilem fuisse credam *Glycerae* amorem. Sed ultima amata *Nemesis* fuit, quam nunc considerabimus. Erat puella formosa haud dubie et elegans, sed probitate Delia inferior, quippe meretrix iam tum cum Tibullo innotesceret. Pecuniae servire coeperat postremo etiam Delia, sed Nemesis avara erat: luxuriae ultra modum dedita (Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem incedat donis conspicienda meis. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa texuit, auratas disposuitque vias: Illi sint comites fusci, quos India torret, solis et admotis inficit ignis equis: Illi selectos certent praebere colores Africa puniceum purpureumque Tyros), munerum pretiosorum ita erat cupida, ut satis dari non posset. Ac cum Delia bona et mitis, sed nimis levis fuisset, haec dura, aspera, saeva, superba, male callida fuit, aliis ditioribus facilis, Tibullo difficillima, quem saepissime remittebat a limine. Quod enim in fine elegiae sextae libri secundi lenae omnem culpam tribuit, puellam vero bonam dicit, persuaserat sibi hoc amor poetae, revera autem Nemesis non videtur digna fuisse ea laude, quam credibile est non amasse bona fide Tibullum, sed id egisse callida arte, iudice etiam Passovio, ut crumenam eius exhauriret. *Non prosunt elegi*, dicit, *nec carminis auctor Apollo; illa cava pretium flagitat usque manu.* Ac non habuisse eam delectum amatorum, si modo pecunia certa esset, satis ostendit carmen tertium libri secundi, ubi de amatore dicitur, servus qui fuerat saepe venditus. Tibullus tres ei scriptas elegias reliquit. Erraveris

---

et cum sublimioribus sensibus suis coniungit, minime vero continuo sui fit dissimilis.

vero si credas, quod vulgo statui video, nonnisi libidinem a poeta in hoc amore spectatam, qualis nullus fuit amor Tibulli. Quam suavia haec verba II, 3, 5 sqq.:

O ego, cum adspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum,
Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves!
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Laederet et teneras pustula rupta manus,

ubi vel pro adspectu amatae vides serviles labores toleraturum poetam, et statim etiam mythici temporis mores pulchros comparat, ubi Apollo apud Admetum serviebat. In sexta vero elegia cum post querelas gravissimas puellam, unde tot aerumnas habet, excusat, et in proprio dolore maximo se revocat amata ne doleat, quaenam pulchrior amoris significatio reperiri potest? Sed tales voces idealium sensuum cum affero, nihilominus probe video quod apertum, aliam esse huius amoris rationem, quam eius, qui supra descriptus. Nulla hic effecta est animorum coniunctio, qualis fuit priore tempore in Deliae usu, sed imperium et servitium habetur et superba domina, cuius vultus placidus plurimo venit. Nec de sacro foedere in his carminibus agitur, quod laesum ulciscatur ira deorum: Nemesis plures amatores habet, nec postulat Tibullus ut casta se uno contenta sit, felix futurus, si modo non semper remittatur et parem saltem cum aliis favorem experiatur. Appellat Martialis Nemesim lascivam XIV, 193. et ipse Tibullus dicit II, 6, 51:

— — — — — tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat quot teneatve modis,

qualia nusquam in carminibus ad Deliam leguntur: unde

quis dubitet lasciviae multum fuisse etiam in poetae cum Nemesi usu. Profecto deplorabilis dicendus amor, qui corporis animique vires pariter ei fregit. Atque animi aerumnas quas tulerit, hinc disce:

O ego ne possim tantos sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
Omnia nam tristi tempora felle madent.

Accenderat Nemesis, ut videtur, callidis nunc promissis nunc negationibus ad tantam vim poetae ignes ut nec fugere posset,

Iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam,
Cum bene iuravi pes tamen ipse redit,

nec alio modo obniti huic affectui et deprimere cogitationem puellae. Nondum ad summum creverat morbus, cum elegiam tertiam scriberet, necdum prodit ibi tantum moerorem, quantum in sequentibus: immo liberiore volatu phantasiae ad mythica redit et in talium quoque rerum contemplatione tenet animum. Simul ultimum hoc carmen est ubi rusticam vitam et amores suos, licet aliter quam supra, consociavit. Nam cum Delia ut socia vivere volebat in praedio suo, huic servire vult ut dominae in alienis agris. Inde vero crevit tristis morbus. Quid acerbius et desperatius quarta elegia, quid flebilius sexta? Totus nunc in proprio dolore versatur animus, nec abscedit a praesenti conditione cogitatio poetae. Quam sit nunc aeger amore, inde intelligas, quod vel avitas sedes vendere velit si iubeat Nemesis, quibus nihil carius habuerat per totam vitam, et quod leto iam vitam finiturum fuisse se dicit, nisi spes reti-

neat cras fore melius. Profecto insanabile vulnus prodit singulus quisque versus in his duabus elegiis, ac patet periturum hoc malo, qui sic laboret. Quod factum. Minime contemno elegias tres in Nemesim, immo docui poeticam compositionem earum in Introductionibus accuratius quam alii, at summa virtus Tibullianae poeseos in elegiis ad Deliam aliisque luculentius conspicitur. *)

Postquam singulatim diximus de usu Tibulli cum Delia et Nemesi, nunc ad generaliora veniamus et quae in universum monenda restant de ratione amoris Tibulliani et de tractatione eroticarum rerum in hac poesi, persequamur.

Quemadmodum rura vidimus propter tranquillitatem vitae securam et simplicitatis priscae retentam similitudinem placere Tibullo, sic amor ei summa harmonia animi omninoque vitae videbatur, sibi ipsa sufficiens neque egens divitiis aut honoribus ad felicitatem. Profecto cuius animo rustica vita tam cara erat, is in puellarum usu non potuit lasciviam et voluptatum varietatem pro summo bono habere, sed necesse est alia fuerit vera indoles amoris Tibulliani, licet ab ea postea in Nemesis maxime consuetudine non sua culpa nonnihil recesserit. Ac Musa Albii pudica est: dominam

---

*) Scriptas credo elegias tertiam, quartam, sextam eo ordine, quo leguntur. In tertia, ut aliud supra dictis addam, in bellum ire non recusat ad explendam Nemesis avaritiam „*iam veniant praedae, si Venus optat opes.*" In quarta vero longe desperatius scribit abreptus impotenti affectu: *At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda — Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis* etc., et postremo avitas sedes suas offert, ut dixi. Ultimam vero sextam dico, qua nihil flebilius. Parum nunc abest quin de finienda vita cogitet.

tenero sinu detinere, teneris retinere lacertis, quid talibus verbis verecundius? Sunt aliquid quemadmodum apud alios, sic apud Tibullum voluptates corporis, sed nusquam has Veneris voluptates in amplexu puellae suae perceptas describit et canit, neque ullo tempore sic ut Propertius aut Ovidius deditus fuit libidini; at foedus perenne vitae videbatur ei esse debere amor: vivere cum amata placide, requiescere secure in lacertis eius, adspectu et usu eius frui sine rivali in simplicitate et aequabilitate inturbata vitae, hoc desiderium ut in carminibus ad Deliam expressum, ita omnino nihil magis Tibullianum. Hinc in carm. IV, 13., quod Glycerae, ut suspicati sumus, scriptum in schedis mortui poetae repertum est, videas eandem sententiam egregio loco:

Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
 Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
 Qua nulla humano sit via trita pede.

In quo mihi imprimis praeclarum illud dictum: *tu mihi curarum requies,* observa, quod eiusmodi est ut non potuerit felicius exprimi vera et intima ratio amoris, qualem Tibullus sequebatur. *In amoris usu solvi videbantur ei omnes curae, sanata erant desideria, sublata dissonantia pectoris quaevis, et ad placidiorem statum compositus animus fruebatur intus summae felicitatis sensu.* Cum autem similis sit rustici otii tranquillitas, libera ambitione, cupiditatibus, turbis urbanae vitae, perspicuum est cur utrumque tam arcte coniunctum sit in hac poesi, ut videmus. Sed non capiebant hanc idealem vim amoris et ditiores amatores praeferebant puellae, quas perdite amabat: unde factum ut ipse etiam magis magisque voluptates fugaces quaereret, qui vitae sociam non invenisset; in-

teriisse vero nunc meliores sensus, ut sunt qui inepte credant, maximus error est et nullo modo hoc probaveris. Ardet quidem nunc vehementiori affectu, sed amabilis insania eius, si excipias carm. II, 4. et nonnulla in ultima ad Deliam elegia; quaerit calidius amplexum amatae, sed animi simul harmonia, curarum requies ad tempus reddi videbatur in sinu puellae, sine qua vivere nolebat, quo semper ferebatur toto pectore. Post Deliae quidem perfidiam exosus puellas ad Marathi usum aberravit opinor, et talibus carminibus lusit; alio vero tempore a Glycera desertus sapientius in rusticae vitae tranquillitatem secessisse ibique videtur quaesivisse solatia doloris, unde postea retractus in Nemesis amorem postquam crescente morbo animi infaustum carmen II, 4. scripserat, tamen quam mollem in affectum etiam haec poesis desinit in sexto. Profecto dignus erat, si quis alius, meliore sorte optimus poeta!

Sed perventum nunc eo est, ut de *tristitia* et querimonia Tibullianae poeseos dicatur.

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos. Horat.

Nullo carmine Tibullus venustatem formae ceterasque laudes puellarum suarum diserte celebravit ut Propertius, nec gaudia amoris percepta ab eo cani dixi, sed talia semper tempora tractanda sumpsit, ubi querimoniae locus esset, nonnisi dissidia, rixas, clausas fores, desideria, vota, obtestationes, curas, suspiciones, dolores, timores amoris loquens, unde in Epigrammate Domitii Marsi flevisse dicitur elegis amores. Perlustremus breviter singula. Igitur *παρακλαυσίθυρα* sunt, ut hinc incipiamus, secundum et quintum carmen libri primi. In illo queritur custodia mariti clausas fores et persuadere

studet Deliae ut tamen audeat fallere; altero post discidium, quod ortum erat, obtestatur puellam ut reddat favorem. Tertium vero carmen in Corcyra scriptum cum aegrotaret, in mortis cogitatione versatur, quae nonnisi in exitu dimittitur. In dolore et querela versatur etiam sexta elegia, ubi de perfidia nova Deliae agitur. Primum denique carmen, quod felicitatem otii rure et in amore transigendi tractat, qualem habet eroticam partem? Sedet poeta duras ianitor ante fores, flebit olim Delia in funere amantis, interim iungantur amores, dum frangere postes non pudet et rixas inseruisse iuvat. Quid vides? Dolores amoris mollissimi et ipsa gaudia rixis amatoriis mixta. Atque haec in Deliam. Carmina ad Nemesim vidimus modo tota plena querimonia. Restant tria ista consideranda, ubi de Maratho agitur. Atque in quarto libri primi praecepta de capiendis pueris proponuntur, quae cum in fine ipsum poetam destituant, ut ne sibi quidem prodesse se posse sentiat cum gemitu, summa carminis manifesto ad querelam redit, fastidio Marathi omnes modo traditas artes eludente. In nono gravissime exagitat infamem perfidiam pueri usque ad finem, in octavo denique dolores Marathi per Pholoen tractat. Talia sunt amatoria poetae carmina. Verum etiam ubi in alio argumento amores tangit, ut solet facere, non laetos lusus et iocos, sed dolores describit, vid. I, 10, 53 sqq. II, 1, 67 sqq. 5, 101 sqq. Carmine primo libri secundi sacrum ambarvale canitur, in praedio Tibulli quod fit; est igitur argumentum laetum, sed tamen non oblitus est poeta querelam immiscere. Talis enim est totus de Amore intextus locus, et facile sentias eum etiam suarum ante aerumnarum recordari dum scribat: Hei mihi quam doctas nunc ha-

bet ille manus! Et mox: Ah miseri, quos hic graviter deus urget! Similiter etiam quintum carmen, celebrans inaugurationem Messalini, non caret tristibus verbis, siquidem non solum rixas lacrimasque agrestium amorum tractat, sed etiam ad se ipsum transit et suum vulnus queritur, a Nemesi sauciatus quod iam totum annum iaceat. Atque ita ubique vides qualem dixi tractationem eroticarum rerum; etiam II, 4, 45 sqq. quod in cumulum addo, ubi bonae puellae laudes opponuntur avarae, luctus est, quem describit, et honos mortuae. Sed etiam latius patet querela. Rusticae res per se laetae; tamen cum in primo carmine libri primi felicis olim nunc pauperis agri et pecoris exigui mentio fit, etiam hic suspiria infert gaudiis rusticis desiderium bonorum amissorum, in decimo autem tristitia est, cum abeat militatum a praedio avito et consuetudine cara vitae rusticae. Sic omnino duo tantum carmina restant in his libris querela vacua; ea dico quae in natalitiis Messalae et Cerinthi scripta. Haec unica sunt ubi nihil triste immixtum. Nimirum Tibullus', ut nunc etiam de causis huius rei dicamus, cum ita censeret cum plerisque, elegiae imprimis tristia convenire et amoris dolores potius canendos quam gaudia, postea ab Ovidio maxime in Amorum libris diserte exposita, tamen etiam suopte ingenio magis ad seria et tristia, quam ad hilarem, laetam poesin inclinabat. Minime dicimus alienum ab hilaritate, immo dederant dii artem fruendi, ut Horatius dicit, (Hieronymus Alexandrinus in vita supra lecta ignota quidem auctoritate eum non austerum et tristem vultum, sed hilarem et iucundum erga omnes scribit habuisse); at ubi quid laeti contigerat in amore, placide fruebatur secum felicitate animi, requie curarum, suavi

affectione pectoris, neque ad poesin se sentiebat excitari, ubi vero adversa tempora erant, et clausae fores, dissidia, perfidia, superbia puellarum obstabant desideriis suis, tunc carmina amor docebat, si posset querela, persuasione, obtestatione commoveri amica et revocari ad bonam frugem — ad dominam faciles aditus per carmina quaero — nec non ipse sedatiorem statum animi recuperare effuso in verba dolore. Vidimus autem ut plurimum infelicem eum fuisse in amoribus suis. Quodsi quis tam proclivis ad desideria mollia, ad sublimes sensus, ad imaginationes felicitatis pulchrioris, ut Tibullus, quot putabis tempora doloris incidere, quam familiarem huic querimoniam! Quare etiam rusticae vitae descriptionibus et laetioris argumenti carminibus immiscet fere, ut vidimus, suspiria et querelas, nunc bonorum amissorum recordatus, nunc agrestium suosve dolores amatorios adumbrans. Factus erat Tibullus si quis alius ad flebiles modos elegiae: intimo animo insidens tristitia et felicitatis nunquam plane effectae desiderium indelebile quem non commovit haec carmina legentem!

Verum enim vero I. H. Vossius ad multas elegias annotavit: non ex animo dixisse Tibullum, non nimis urgenda verba, iocari poetam specie sumpta gravitatis, veluti iocari monet Albium in sexta libri primi, non nimis serio queri in secunda, et in quarta secundi, quae omnes tam alienae sunt a lusu ut nihil magis. Eundem errorem iteravit Richterus, qui post Vossium transtulit Tibullum. Sed nihil est perversius hac opinione, quae vim admirabilem horum carminum plane frangit, pro affectu lusum, pro dolore iocum ut lubet substituens in his amoribus, quibus nihil sincerius, interius fuit unquam. Illud tamen largiar, si quis carmina ad Mara-

thum quodammodo excipiat. Nam hoc genus, quod pueris scriptum, credam suum sibi proprium morem habuisse; ut lasciviam habet sibi propriam, cum vulgo Musa Tibulli pudica sit, sic etiam ira et dolor videri potest hic arte vehementior ab eo expressus quam pro vero. Atque artem prodit etiam elegantia magna horum carminum. Nempe puerorum amor postquam e Graecia ad Romanos translatus erat, usi etiam poetae hac re sunt ad lusus elegantes Musae. Nunc immitis est formosus quidam puer amatori, nunc ab alio corrumpitur, nunc a libertina allicitur, tum superbe habetur, et si qua alia ratio ornatum admittebat. Tibullus, pro simplicitate sua alienus si quis alius ab inani lusu, non potuit plane ficta commenta canere, sed amavit Marathum et amavit calide, ut erat ingenium suum; cum tamen natura maxime ad puellarum amores factus esset, fortasse arte colores paullo fortiores illati. Atque haec quidem de his. Praeterea exstant, ut par est, hic illic etiam in ceteris carminibus artificia poetica et figurae dicendi, quas non dubites dedita opera positas, non tamen lusibus iocosis inservire, sed serio affectu inferri et gravem sensum continere videas. Quaedam ex his statim in sequenti capite considerabo, alia aliis locis; ad universam autem tractationem rerum nihil huiusmodi pertinet, ut possis male intellecta re abuti ad alia multa secus interpretanda. Postremo ioci ironica hilaritas non abest quidem a Tibullo, sed nonnisi in singulis quibusdam locis reperitur, veluti I, 8, 71 sqq. II, 1, 61., nec multis; non reperio quod Paldamus I, 2, 55. 6, 47. 56. Vulgo seria tota haec poesis. Ac Vossius perperam laxa interpretatione multa ad leves sententias revocat in his carminibus, ne quid gravius dicatur; tu vero cum

plerisque omnibus admirabili vi affectuum laetaberis ex intimo pectore profecta, nec detrahi quidquam temere patieris de genuina praestantia huius poeseos, nativa veritate sensuum tantopere conspicuae. Vividum admodum natura erat ingenium Tibulli et proprius est his elegiis insignis quidam vigor affectuum, quem omnia disticha, omnes versus ostendunt luculenter, nec reperias alium poetam elegiacum parem ei in hoc. Sentit quod sentit toto pectore; amat quam amat penitus, nec alias laudavit simul, sed uni deditus fuit totus semper, donec per puellam liceret. Ubi vero adversa fortuna amoris est, non leviter, sed graviter, gravissime dolet, et erumpens querela fluminis instar copiosi diffunditur in omnes partes. Atque ex hoc fervore praeclaro sensuum explicanda magnam partem, ut statim videbimus, compositio elegiarum Tibulli, quas qui negligenter structas, multis in locis nexu carentes, unitate rerum accurata destitutas dixerunt, specie decepti sunt, nec satis perspexerunt ordinem pulchrum in hoc motu liberiori. Debetur eidem fervori omnino vegetus color, nitor praeclarus rerum et verborum, qui vel leviter attendenti lectori ubique in hac poesi se offert; languidam, fractam, ieiunam nemo dixit querimoniam Tibulli, sunt nervosa, contenta, mascula, quasi vita plena omnia. Etiam hoc quale sit cognosces infra paullo propius, ubi data opera de elocutionis Tibullianae virtute dicetur. Talis est et tanti momenti in hac poesi proprius ille fervor Tibulli, quo nihil verius, nihil minus fictum fuit unquam. Atque haec hactenus. Omnino absolvimus nunc quae in hoc capite disputationis de Tibulli laude dicenda habebamus, et speramus nihil quod gravius sit omissum.

Restat vero ut etiam de *Lygdamo* dicatur, quan-

tum quidem huius loci. Hic *Neaeram* amabat. Volebat autem in matrimonium eam ducere, unde vv. *coniunx, coniugium, gener, vir,* in hoc libro leguntur, quae aliena ab amoribus Tibulli supra descriptis. Atque omni laude maior castitas sensuum est, qua Lygdami carmina ita distincta sunt, ut nihil simile reperiatur in poesi Romana. Similitudo vero aperta haec est, quod cum Neaera alium iuvenem praeferret, etiam hic ut apud Tibullum querimonia regnat, nisi quod tamen sexta elegia quodammodo discrepare videtur. Nam postulat quidem etiam Tibullus I, 2, init. vinum in primo dolore, ut consopiat intolerabiles aerumnas amoris, sed statim resurgunt et per totum carmen tractantur. Lygdamus vero id agit memorato in carmine, ut ad perpetuam oblivionem aerumnarum, quae ipsum ante male habuerunt, se excitet vino et valedicat Neaerae, quale carmen apud Tibullum non exstat, nec videtur ab eo scribi potuisse. Cum hic Deliam relinqueret, tacitus discessit cum dolore. Ad alia ut veniam, desiderat Vossius in Lygdamo furtivos dolos, quos in Tibulli aliquot carminibus egregie descriptos videmus; sed hi nec per totum Tibullum habentur et ab hoc castiore amore alieni erant, etiamsi potuisset talia Lygdamus describere bene. Illud autem rectissime urget, quod vitae rusticae nullum studium deprehenditur in his carminibus. Quod enim aliis levius hoc discrimen visum est, ut Bachio, in eo falluntur egregie: demonstravimus supra quam arcte vitae rusticae studium cum amoris Tibulliani vera ratione coniunctum fuerit, et plane cogitari nequit scripta a Tibullo sex carmina de amoribus suis, in quibus ne verbum quidem ruris occurreret; nam ut adolescens in primo carmine (I, 10.) rura celebrat, ita circa finem

vitae in carmine ad Messalinum, ut nullo tempore vitae coniugii sui felicitatem, si amasset Neaeram, sic potuerit seiungere a ruris otio. Enimvero clarum est Lygdamum ignorare rura, religiones agrestes, Lares avitos praedii, nec quidquam talium sensuum in eo fuisse. Ac cum Tibullus simplicitatem vitae tantopere diligat, tentat quidem etiam hic simile quid, affirmans se divitias contemnere prae amore et vel paupertatem iucundam fore cum Neaera, nihilominus tamen ita sibi placet in descriptionibus opulentiae, honorum post mortem supremorum, libri Neaerae missi ornati, habitus Apollinei pulchri, ut elegantiae et magnificentiae natura amantem facile agnoscas, qui tamen ad Tibulli modestiam se composuerat. Postremo recte monitum est ardorem amoris in Lygdamo longe minorem nec Tibullianam illam vim affectuum hic deprehendi. Unde factum ut etiam querela Lygdami languida sit, cum apud Tibullum omnia nervosa videas. Haec hactenus. Patet ex argumentis allatis non haberi in hoc libro amores quosdam Tibulli, quos poeta sub alio nomine cecinerit. Quid vero si amici cuiusdam amore casto adumbrando Tibullus lusit, ut post Vulpium Huschkio placuit? Iam rusticae vitae omissas laudes ita explices, ut alienum ab ea dicas amicum fuisse, similiterque quae de elegantiae studio notavimus aliisque sensibus diversis, ad ea respondeas, Lygdami ingenium moresque expressos. Melius ita partes tuas agas quam Huschkius, qui nonnisi futilia attulit ad opinionem suam stabiliendam et quae indigna refutatione seria. Tamen nihil efficias; obstant alia multa. Nam quid est quod varietas affectuum, vis, vigor universae tractationis tam dissimilis Tibullianae rationi nervosae, et aperte minor quam in elegidiis quarti libri,

quae et ipsa alienum amorem adumbrant? Cur compositio carminum differt a Tibulliana? Cur elocutio tot discrimina et vitia habet a Tibulli limata arte aliena? Has res enim sequentia capita ostendent. Quare nihili etiam haec opinio, nemini quod sciam praeter Vulpium et Huschkium placita. — Postremo de *quarti libri elegidiis* pulchris nonnulla sunt dicenda. Quomodo fieri potuerit per temporum rationem, ut Tibullus post Deliae et Glycerae perfidiam, cum videret Sulpiciae praeclarum amorem in Cerinthum, hunc depingeret et alius generis puella ornanda recreare vellet animum, vidimus in Vita pöetae. In quo quidem argumento tractando cum veritatis et fictionis poeticae rationes coniunxerit, alia similia, alia dissimilia exspectabis ceteris Tibulli carminibus. Non regnat hic ruris amor Tibullianus nec rusticarum rerum laudes reperiuntur, cum non suos sed Sulpiciae et Cerinthi mores adumbret. Nec quas ipse suorum carminum eroticorum causas habet, clausas fores, duritiam aut perfidiam puellarum, sic pariter in his elegidiis exspectaveris, ubi Sulpiciae sunt primariae partes, et iuvenis, qui amatur, timidior est. Postquam poeta corporis decus laudavit, exhibet aliis in carminibus sensus puellae, quae nunc natalitiis festis vota facit pro amore Cerinthi, nunc absentiam amati queritur venatum urbe egressi, nunc ipsa recusat in rus ire procul a Cerintho, nunc zelotypia puellari angitur, alio tempore morbo laborat. His atque talibus causis nituntur argumenta horum carminum, ubi etiam iuvenis mores modesti simul apparent, etsi hic nusquam loquitur. Amoris autem vis, qui hic depingitur, Tibulli ingenio plane familiaris: puella fervide amat, quemadmodum placet Albio, vivere nequit sine Cerintho, et hos ignes libere

et aperte prodit; nihil molle, nihil languidi aut fucati in sensibus eius inest, sed simplicia, inaffectata, nervosa omnia. Ut in ceteris Tibulli carminibus querimonia regnat, sic haec elegidia curas amoris exhibent pleraque; hilare primum, et plane laetum, ne de nono dicam, septimum: quod in suis quidem amoribus non admisit Tibullus, potuit vero facere iucunde puellae amores depingens. Vis affectuum, ut notavit etiam Manso, paullo minor quam in primo et secundo libro, quod non mireris in alieno amore parvis elegidiis adumbrato; illud vero observa quantum vigorem nihilominus omnia hic habeant et quam similem ceteris Tibullianis carminibus, cum Lygdami liber multum hac re discrepet.

II. DE FORMA ET COMPOSITIONE ELEGIARUM TIBULLI.

Postquam de argumento elegiarum Tibulli dictum, nunc de compositionis ratione exponam, quae res formalis est, sed non minus iucunda cognitu et ad intelligenda haec carmina necessaria, ut mireris eam hucusque neglectam necdum a quoquam explicatam. Neque vero solum in rebus per se spectatis vis et pulchritudo poeseos inest, sed non minus etiam in earum apta compositione, si et inter se bene conveniant partes partiumque partes et ad unum summum finem suaviter conspirent. Ac Tibulli carmina vel imprimis talem disquisitionem desiderabant, cuius ars in hoc ipso imperfecta creditur, cuius carmina Heynius lacunarum signis implebat, cui nuper Vossius quattuor elegias ex duabus fecit. Num sufficere possunt vulgaria argumenta interpretum ad talia diiudicanda? Sed antequam ad rem accedam,

unum est quod praemonendum videam. Scio, sine ingenio, alacritate phantasiae, vigore sensuum non posse fieri carmina vere poetica, sed hae res maximae censeri debent atque etiam a me censentur; verum scio etiam hoc, ingenii forma et usu tractationis nasci necessario distinctam quandam speciem compositionis propriam carminibus eiusdem poetae omnibus. Hanc ingenio pariter et arti debitam nunc quaerimus in Tibulli poesi; quare noli credere, mi lector, negligere nos ingenium et phantasiam poeticam et talia, si formas dum explanamus, non repetimus in quaque pagina etiam illud, quod nemo nescit, ceterum per totum hunc librum multis modis significatum videas. Disquisitiones de compositione et forma operum veterum ut difficillimae sunt ita necessariae maxime, et tamen vix est quod vulgo iniquius accipiant. Hoc igitur facere noli. Iam veniamus ad rem.

Propria est elegiae, ut constat, latior et fusior expositio; non tangit summa tantum fastigia rerum, ut ode multa breviter complectens sublimi volatu, sed explicate et verbose pertractat affectum, quo forte commovetur animus, cum metrum elegiacum simplicitate et amplitudine iusta prae aliis ad hoc sit aptum et plane factum, nec habeatur aliud ullum in lyricis commodius. Sed ita fit ut etiam varietas quaedam rerum apprime conveniat elegiae, quae aliter facile ieiuna fit et languida; ipsa natura huius poeseōs invitante diffunditur affectus in varias partes et huc illuc vertitur, donec levato pectore exitum qualemcunque carmen inveniat. Videbimus infra ut etiam in simplici argumento suavis varietas affectuum possit esse, tamen non omne argumentum magnae varietati tractationis aptum, nec poetarum omnium ingenium simile. Sed Tibullum quidem levis

lectio docet varietate affectuum tanta conspicuum esse, qualis apud nullum alium deprehenditur poetam elegiacum. Erat admodum vividum, fervidum eius ingenium, ut iam supra vidimus, et cum toto pectore sentiret, doleret, cuperet, amaret, et si quod urgeret desiderium, omnes id sensus suos et cogitationes impleret, orta est sic illa insignis fluctuatio animi, ille varius motus huc illuc se vertens, et omnia agitans, percurrens, quae ad finem propositum ducere viderentur. Nunc queritur, nunc irascitur, exsecratur, alias precatur, mox terret minis poenarum coelestium, et nunc ianuam appellat, nunc puellam hortatur, nunc se alloquitur, nunc denique praetereuntes admonet, et quae sunt alia huiusmodi. Sed de varietate rerum et affectuum apud Tibullum in universum constat inter omnes, cum vero illud non explicarent interpretes, quomodo tota haec varietas ad unitatem poeticam composita sit, vulgo artis ignarum et coeco impetu vagari credunt multi optimum poetam, qui nullo non in carmine pulchrum ordinem et concentum rerum finxit, quemadmodum videbimus. Procedamus ordine.

Est vulgo omnino elegia alia lenior, tranquillior, remissior, alia nervosior, incitatior, vehementior, sed nulla sine vividiore quodam sensu. Earum autem rerum, eorum sensuum et affectuum, quos carmen habet aliud alios, quemadmodum in musicis compositionibus primarium modum et harmoniam dicunt, sic *in elegia affectus quidam est primarius aut sententia summa.* Ac plerumque quidem affectum aliquem regnare videas, cui cetera omnia subiecta sint; dico autem affectum nunc generatim quidquid laetitiae, doloris, metus, cupiditatis, desiderii, precum, irae, minarum elegia habet, et pri-

marium affectum in carmine summum et ceterorum omnium fontem: sed aliis in elegiis sententiam tamen summam appellabis rectius, ubi idea quaedam poetica mente informata proponitur, ut in prima elegia libri primi felicitas idealis vitae otiosae rure et in amore agendae, in septima gloria Messalae, in prima secundi sacrum ambarvale. Minime tamen existimo nihil vividiorum sensuum in tali elegia esse, nam sine his, ut dixi, nulla facile elegia sit, sed ex universa ratione carminis sic ut indicavi appello sententiam. Atque ita quod generatim thema carminis voco, speciali nomine pro ratione argumenti nunc sententia nunc affectus a me dicitur. Similiter in aliis generibus poeseos res habet: aut sensu et affectu quodam praevalente continetur summa poematis, aut idea quadam vel sententia ideali; ac Pindari epiniciis hymnis sententias ideales ostendi subiectas: cum enim in laude victorum ista poesis versetur, proponitur nunc virtutis nunc felicitatis forma idealis quaedam, nec potuit facere aliter sublime ingenium Pindari. Neque vero opus est ut simplicia et individua sint themata poematum: nam apud Tibullum quidem in prima elegia libri primi oppositione belli et inertis vitae constat summa sententia, quemadmodum in decima; alio modo in eleg. II, 5. concentu duarum rerum componitur argumentum, ut plerisque in Epiniciis Pindari duorum membrorum harmonica compositione conflata est summa sententia. Ad aliud pergo. Quaeras enim etiam illud, consilium carminis quale dicam, differatne a themate an sit idem. Nempe consilium est, cui rei destinatum aliquid, et cernitur in eo, quid efficere et consequi velis singulis rebus et toto. Ac primum quidem singulae res in carmine omnes eum finem, id consilium

habent, ut themati summo exprimendo inserviant et ad hoc illustrandum conspirent, nec potest ubi vera ars regnat, adesse in compositione, quod aberret temere a toto. Quam legem cum etiam Tibullus sequatur ubique, valde imperfecta est in talibus explicandis vulgaris interpretatio. Sic v. c. in prima elegia libri primi, ubi Tibullus de amore suo dicens ad luctum in funere suo futurum transit, non viderunt interpretes militari gloriae haec opponi. Quis declaravit in sexta quid terribiles ritus Bellonae sacerdotis descripti sibi velint aut Osiridis laudes in septima? Nolo plura addere; explicui in Commentario ubique etiam de talibus. Hic ut absolvam quae disputo, cum singularum rerum omnium consilium positum sit in ipso themate, vides pro themate recte etiam dici consilium aut summum consilium carminis, ut hic et in Pindari editione passim facere soleo. Sed ab hoc distinguo obiectivum consilium, ut Welckerus, veluti Pindarus epinicios hymnos suos cecinit, ut victoribus ludorum honos esset et epinicia ornarentur cantu chori, aut dramata Graeca scripta sunt ad Dionysia celebranda, aut Tyrtaeus elegias fecit, ut Spartanos ad bellum excitaret. Tibullus autem, ut ad hunc redeam, carmen primum libri primi scripsit ut se Messalae excusaret, carmen septimum et alterum secundi libri ad natalitia Messalae et Cerinthi ornanda, in amatoriis autem elegiis id agit, ut puellas suas commoveat et huc omnem vim verborum dirigit. Denique fieri potest, ut locus aliquis duplex consilium habeat, veluti apud Tibullum in quinta elegia libri primi exsecratio lenae et propter hanc posita est et propter Deliam. Rara tamen hic res, unde nunc verbo indicasse sufficit quod Commentarius ubi opus pluribus explanat. Post

haec unum restat ut tangam. Etenim poeta elegiacus etiam levat pectus suum effuso in verba affectu (Aristaenet. I, epist. 16: *Ἅπας γὰρ δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχήν, τὸ λυποῦν ἐκλαλῶν ἐπικουφίζει τῆς ἀδημονίας τὸ βάρος*), quod v. c. solum consilium fuit decimi carminis scripti libr. pr.; tamen etiam haec res non est paris momenti apud omnes, ut apud Propertium. Permagni vero momenti apud Tibullum est, qui quam praeclare ad hunc commotioris animi nisum cursum elegiarum expresserit, statim videbis. Iam enim eo perventum, ut cursum harum elegiarum describamus.

Distinguamus autem ante omnia *exordium*, *medium carmen*, *exitum*, adhibita his elegiis Platonis observatione in Phaedro Pag. 264. C: *Ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἂν δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τε ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντ' ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα.* Atque *exordium* quidem primum impetum habet: quid sit quod commoveat animum, quod gaudium, quis dolor, quis metus, quod desiderium aut consilium, festumne sit quod celebretur an aliud quid inciderit laetum vel triste, primum hinc discas; nam prima et praesentissima vis est ipsius principalis affectus vel sententiae, huius igitur locus proprius in exordio, et quemadmodum flumen subito laxatum fervet initio impetuosius, sic quod primum in verba prodit, fere vividius prodit. Quo pertinet etiam mutatio subita sententiae, saepe obvia in principio horum carminum. Sic I, 2, 7. primum imprecatur ianuae mala poeta, tum mutata sententia repente rogat, ut pateat et ignoscat, si qua mala dixerit. Mox I, 5, 5. omnibus se cruciatibus offert ad luendam poenam, quod absti-

nuerit Deliae usu iratus, sed statim rogat Deliam ut potius condonet. Porro I, 9, 5. loquitur de poena divina pueri perfidi, sed vix locutus miseratione tangitur et deprecatur eam. Tum v. 11-12. ad iram redit. Carm. I, 10, init. invehitur graviter in primum inventorem ensium bellicorum, mox vero excusat eum et ceteros homines accusat. Postremo II, 6, 7 sqq. exordium plane dramaticum est: surgit animo consilium abeundi in bellum, tum fortiter capitur, sed vix captum denique abiicitur iterum, cum vis desit animo. Vides quam hic varius motus sit suavis. Post exordium in medio carmine, ut hoc statim addam, bis adhibitam rem video a Tibullo, primum I, 6. ubi cum v. 16. abreptus ira zelotypiae dixisset coniugi Deliae: me quoque servato, peccet ut illa nihil, v. 23. mutata sententia custodiam puellae sibi mandari vult, et II, 3, 49. ubi opinio de frugalitate Nemesis subito mutatur, ac docebit te Commentarius quid sibi velit ibi res. Sed unica tamen haec exempla; vulgo enim minus locum habet figura in tali parte elegiae, ubi fere continuus progressus rerum solet esse, eximie vero apta in exordiis est et in exitu; et in hoc quidem, cum abrumpitur cursus prior elegiae, de quo paullo post dicam, in exordiis autem ut et vividior, liberior motus affectus possit esse, et redire tamen inde facile queat poeta, eamque viam persequi, quam elegia nunc postulet. Satis de his. Ad superiora ut redeam, abunde indicavi ibi quid inesse in exordiis soleat, ac cum apud alios introitus elegiae saepe perbrevis sit, ut plerumque apud Propertium et Ovidium, contrarium morem sequitur Tibullus, cuius exordia fere longiora sunt et vestibula egregia carminum. Minime igitur dico alios plane eandem rationem sequi; Tibulli

formas hic explico, non aliorum. Haec hactenus. — Post exordium in *media elegia* latius diffunditur argumentum et fusius evolvitur vis rerum animum impellentium; nam huic parti illustratio thematis, in exordio quod prodiit, propria. Hic igitur locum habent explicationes, narrationes, descriptiones uberiores: redit poeta ad causas malorum, quae eum urgent et accusat auctores, aut depingit felicitatem, cuius sensu vel imaginatione afficitur, aut laudes factorum persequitur, persequitur preces deorum et vota initio coepta vel nuntiata, alias hortatur puellam aut obiurgat, irascitur, minatur, lenas detestatur: ne multa, hic praeclara varietas affectuum et ubertas rerum felicissima, hic tota virtus poetae se potest ostendere et ostendit se. Sed desiderat haec pars longiorem disputationem; quare primum ad exitum horum carminum describendum pergamus, pertractaturi deinde commodius quae nunc mittimus. — *Exitus* quietem affert et sedatiorem animi statum. Exonerata est vis rerum, quibus pectus agitabatur, cessavit prior motus sensuum, iamque levatior animus ad tranquillitatem redit qualemcunque. Quod vario modo fieri potest. Nunc poeta in spe reditus, in spe melioris fortunae requiescit, nunc in consideratione communis fati humani, nunc se submittit victus voluntati amatae, nunc cum irrisione puellae aut rivalis discedit fortiter, alias cum votis, precibus ad deos, ad amatam personam finitur carmen, aut poena divina nuntiata satisfit irae, et quae sunt alia similia. Ac nusquam deest huiusmodi exitus apud Tibullum; nam perperam I. H. Vossius elegiae secundae libri primi eripuit legitimum finem. Notare nunc figuram mutatae sententiae debeo, etiam in exitu, ut supra dixi, saepe usurpatam a Tibullo. Vide

eam I, 4, 81 sqq. 5, 67 sqq. 8, 67 sqq. II, 4, 51 sqq. 6, 41 sqq. IV, 13, 17 sqq. Nempe exitus carmini aut similis imponitur principio, sive repetatur principium, sive alia sententia conformis claudat totum, — veluti si laudes in votum exeant ut nova decora veniant, aut querimonia in preces ut cesset quod queraris, fiat quod cupias, — aut non est similis principio, sed dissimilis, contrarius, qui per mutationem sententiae adducitur abrupto priore cursu rerum. Sic ubi querela regnat per elegiam, tranquillitas invenietur, si mutet sententiam et alia meliora sperare incipiat poeta. Atque ut alia ponam, II, 4, 51. irae carminis finiuntur sic, ut repente mutata sententia se submittat Tibullus voluntati Nemesis. At II, 6, 41. post querelam, obtestationem gravissimam repente inhibet cursum, excusat puellam et in lenam culpam omnem reiicit. Alio loco IV, 13, 17 sqq. ubi se multis verbis in perpetuum addictum affirmavit amicae, repente ex affectu ad se redit (*quid facio demens*), quasi imprudenter prodito ardore, siquidem puella nunc, secura amoris sui, futura sit difficilis et superba. Sed vel sic ait se mansurum in fide et constantia. Maxime vero illustre exemplum rei in tertia elegia libri primi exstat, ubi post dimidiam partem carminis paullatim mutatur facies rerum, et post tristissimum initium in fine laetissimus exitus habetur. Discas simul ex allatis exemplis non oriri mutatione sententiae veram repugnantiam, quae unitatem carminis tollat, sed adduci etiam sic commodum finem. Prolata ista vi rerum, quae implebat, urgebat pectus, consequens erat ut rediret ad se animus, succederentque tales sensus, in quibus tandem acquiescere liceret; quare ipsa natura poetam in multis argumentis ad has mutationes sententiae ducebat. Sed ut

post haec denique etiam penitius perspiciamus Tibullianos exitus carminum, et cur tales necessarii fuerint in hac poesi, quales videmus adhibitos, opponamus breviter Propertium. Hic multos exitus habet a Tibulli ratione diversos, h. e. ubi non solvitur dissonantia querimoniae; mutatione sententiae neque in exitu opus habuit, nec aliis in locis carminum, si bene memini, est usus. Cur haec? Nimirum Propertio proprium videbatur amoris, plurimis casibus obnoxium esse et alias alio sensu moveri, et hanc vitam amantis, plenam, ut dixi, innumeris casibus, plenam affectionibus, sensibus, cogitationibus variis, varii generis, depingunt egregia carmina eius, quorum diversissima sunt argumenta, undequaque poeta causas canendi ducente. Canit igitur nunc dolores, nunc gaudia, mixtosve sensus, ut tempora ferunt, neque ubique hic necessarii tales exitus, qui spem melioris fortunae ostendant, sed etiam in suspiria et querelam exeunt carmina non soluta dissonantia. Nihilominus non male nos habet res: sentimus non desperare poetam, etsi in querelam desinat elegia, sed sic reddit cuiusque temporis fata et sensus, ut cum natanti alias alii fluctus circa pectus ludunt, quorum tamen nullus gravius quidquam minetur. Aliter Tibullus. Huic summum bonum in amore *requies curarum* videbatur, de qua in antecedente capite dixi; eo igitur etiam poesis sua tendit tota, atque insignis affectus, qui per has elegias devolvitur, quietem necessario desiderat. Haec hactenus. Generatim descripsimus cursum legitimum rerum (*Hervortreten der Idee* — *Entwickelung* — *beruhigender Schluss*). — Disputatio, quam modo legisti, ad omnia carmina Tibulli pertinet; tamen de παρακλαυσιθύροις, quae dicuntur, nonnulla specialiter addam, cum formae

exitus hic adhibitae parum perspectae videantur. Cantuntur παρακλαυσίθυρα, ut fictio poetica est, ante ianuam clausam. Iam post querelas, hortationes, preces cum non aperiatur ianua, qualis erit exitus? Discedet, dicas, poeta coeleste auxilium invocans, ut sic commoveatur puella. Fieri ita potest, sed potest optime etiam aliter. Primum enim cum irrisione puellae abire potest, si per mutationem sententiae repente animos sumat, iuret se non rediturum, rideat puellam et rivalem, atque ita finem imponat querelae. Quod genus exitus nervosius pungit puellas et novos stimulos sarcasmi addit. Ita fecit Tibullus eleg. I, 5. ubi Heynius exitum plane damnat, Vossius, Passovius, alii inferunt quod non inest. Vide nunc aliam rationem. Cum amatores miseri ante ianuam lamentantes passim riderentur a praetereuntibus, etiam hinc peti potuit forma poetica exitus, si in fine poeta cum admonitione risorum suorum discedebat: At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto Mox tibi: non uni saeviet usque deus. Sic ex consideratione communis fati solatium petitur, animusque poetae erectus etiam ita in tranquilliorem statum redit. Ita fecit Tibullus eleg. I, 2. Posse denique etiam cum ianitoris exsecratione abiri, si huius maxime culpa, discas ex Ovid. Amorr. I, 6; Tibullus tamen hoc ut humilius spreverit in sua poesi. Haec hactenus. De exitu abunde dictum.

Redimus nunc ad id, quod supra promissum. Nam ut modo exitum, sic prius exordium descripsimus diserte, *medii* vero *carminis explicationem* vix tactam supra nunc commodius tractabimus, utpote longiore disputatione egentem.

In medio carmine dixi propriam sedem esse ubertatis Tibullianae; hic locum suum habet illa insignis rerum varietas, qua Albius alios omnes poetas elegiacos superat. Qualis igitur haec est? Profecto si talis esset varietas affectuum celebrata, ut post pauca ab alio ad aliud properaret semper haec elegia, nusquam morans diutius et inhibens cursum, vagam, confusam, intolerabilem diceremus omnes huiusmodi compositionem: oppressus multitudine indistincta rerum nescires quid legisses, quid sentires. Enimvero tale quid bonus poeta committere nequit, sed cum omnis elegia latius depingere amet res et sensus quos tractat, etiam ubi celerior affectus regnat, morandum nunc hic nunc illic diutius est, et ponendae explicationes, descriptiones, ut imagines rerum expressae exsistant (*Gemählde*). Atque ita fecit Tibullus, *cuius carmina plena descriptionibus talibus et quasi picturis constant maioribus minoribusque multis.* Sic v. c. in elegia I, 3. habes primum depictas anxietates discessus, cum in bellum iret poeta, tum Isidem colentem Deliam, mox legis descriptionem aureae aetatis, tum Elysii et Tartari, denique puellam vides domi ad lucernam cum ancillis sedentem subito obviam currere intranti amatori. Proprius, plane proprius hic usus Tibullo: habent etiam alii omnes elegiaci poetae descriptiones, ut par est, sed hanc varietatem descriptionum in eodem carmine nemo praeter Tibullum. Debeo nunc lectorem paullo magis introducere in has copias, quod ita faciam ut simul leges ostendam, secundum quas compositiones harum descriptionum factae. Quae res et ad interpretationem accuratiorem utilissima, nec artis poeticae studiosis contemnenda. Videbis vero *ubique totum positum* in maioribus et minimis.

Ac *primum* quidem simplicissima lex compositionis prodeat, ubi *paritas* regnat inter res, quas descriptio enumerans complectitur (*Coordination*). In hunc modum I, 8, 9–14. artes describuntur, quibus placere studebat formosus puer Marathus puellae, cura comarum, fucus genarum, ungues manuum subsecti perite et ansa colligens compressos pedes, ac patet totum adesse, descriptione a capite ad pedes descendente. Alia exempla sunt I, 2, 25-32. ubi tutela Veneris in via nocturna describitur, quae et impetus grassatorum arceat et hiemis vis faciat ne noceat, et I, 6, 17-22. ubi fraudes lascivae Deliae enumerantur. Haec igitur omnia huius generis, et videbis infra quantopere amet Tibullus accuratas divisiones rerum.

Succedat *secundo* loco *compositio per oppositionem*, et primum quidem per *distichorum* oppositionem, h. e. ubi certa lege disticha sibi opponuntur et severa quaedam concinnitatis regula regnat per totum. Vide singulas formas. Primum potest uni disticho secundum opponi, eaque lex semel aut pluries repeti, ut in descriptione I, 2, 45-52. Commentarius docet primo disticho secundum, tertio quartum opponi, totum vero alio disticho claudi. Potest vero aliis in locis etiam duobus distichis opponi unum, quod bis factum I, 4, 41-52. ubi primo et secundo disticho tertium, quarto et quinto sextum opponitur. Utrumque genus coniunctum vide II, 3, 37-46. in descriptione morum pravitatis. Ibi primum bella terrestria et maritima componuntur, tum de luxuria agitur sic, ut tertio et quarto disticho agrorum coemtio et urbanarum domorum splendor tractetur, quinto vero his terrestribus rebus mare opponatur cum constructa in undis mole ad pisces raros servandos. Atque haec

hactenus. Pergo longius et tertiam formam indico. Habetur I, 3, 35–48. aureae aetatis descriptio, qua ostenditur nondum tunc habendi cupiditate bella longinqua orta. Ac post introitum loci de terra tum nondum patefacta in longas vias, primum ostendit duobus distichis nominatim maritima itinera nondum fuisse mercatorum ex ignotis terris merces repetentium. Deinde aliis duobus distichis domesticus exhibetur vitae status, qui nec domitorum animalium usum noverat nec dominia privata domorum et agrorum. In quo vides concinnitatem divisionis. Iam his negativis sententiis coniunctis opponitur una positiva sententia haec: Sed alimenta ultro obtingebant, ut illis omnibus opus non esset. Haec sententia unum tantum distichon implet, cum vis descriptionis maxime in eo versetur, ut absentia laudetur luxuriae et avaritiae, quibus serior aetas premitur. Atque ita factum, ait denique in exitu, ut bella non essent neque ad longinquas terras subigendas habendi cupiditate proficiscerentur homines. Vides nunc compositionem ab omni parte absolutam. Denique restat quae catena oppositionum dici potest, ubi per continuationem quandam primo disticho secundum, secundum tertio, tertium quarto opponitur. Ita factum credam I, 7, 15–22. de quo vide Commentarium. Habet quidem per se haec forma nullum finem, sed eum argumenti ratio affert. Atque hae sunt distichorum oppositiones; dicas vero Tibullianum totum hoc genus, ut Tibullo fere proprium. — *Alterum genus* vulgo usurpatur, ubi omnino partium maiorum videas oppositiones, nulla vero talis distichorum oppositorum concinnitas quaeritur. Potest igitur fieri, ut duorum aut trium *oppositorum locorum serie* formetur una quaedam nervosa compages rerum. Veluti Tibullus in

loco I, 8, 27-50. post introitum pellicit Pholoen ad Marathi usum sic, ut primum iuvenilia membra pueri et humida oscula commendet v. 31-38, tum opponat senectutem tristem puellae post absumptam inutiliter in cani amatoris amplexu aetatem v. 39-46. Postremo exitus subiicitur loco. Aliud exemplum statim sequitur in eodem carmine v. 55-64. ubi puer miseram sortem suam describit, qui Veneris furtivae artes optime calleat, at puellam nolle. Porro vide haec: I, 2, 67-80. amoris sui vim oppositione rivalis illustrat; II, 4, 39-50. exsecrans Nemesis avaritiam vim picturae auget oppositione bonae puellae luctusque huic post mortem consecrati; in elegia I, 5. autem v. 49 sqq. lenae turpitudo et officia sedula amantis ad unum finem sibi opponuntur egregie. Sed in eodem carmine, I, 5, 9-49. etiam illustrius exemplum compositionis huius exstat, ubi *trium* locorum serie oppositorum de cura circa aegrotantem amatam, de felicitate inde sperata frustra, de dolore animi tum orto magnifica vis querelae exsistit. Atque hoc summum est in hoc genere; quaternarium numerum admittere non potuit. Ceterum tanta vis concinnitatis apud Tibullum est, ut vel in his allatis exemplis, ubi non disticha distichis, sed maiores loci sibi opponuntur, plerumque aequabilis magnitudo oppositarum partium deprehendatur. Atque haec hactenus.

Tertia forma compositionis *gradatio* est, ubi orti divisione argumenti cuiusdam ordines rerum diversi gradatim crescente vi sibi succedunt. Ac Tibullus duos fere aut tres ordines habet. Videamus primum simpliciora. Igitur duae sunt partes gradationis in his locis: Carm. I, 3, 9-20. anxietatem in discessu suo regnantem bipartito describit ita, ut et Deliae sollicitudinem depin-

gat et a se ipso, solator qui vellet esse, iterum iterumque quaesitas moras. Porro II, 4, 45–50. honores mortuae puellae bonae sic explicat: Fletur ante rogum atque etiam annuis sertis in tumulo positis colitur. Alio loco I, 6, 77–84. describitur poena puellae, quae nulli fida fuit, bipartito. In senectute vitam egenam lana facienda sustentat, ferentem autem haec mala non miserantur, sed gaudente animo vident iuvenes, et Venus sublimis ex alto Olympo spectat. Sic praeter egestatem etiam contemtum experitur hominum et deorum. Similis forma loci I, 2, 91–98. de poena eius, qui in iuventute risit amantes, senex autem ipse Veneris vinculis colla subdit. Porro I, 9, 53-72. de poena hominis, qui corruperat puerum, sic agit ut primum v. 53-64. imprecetur ei perfidiam uxoris turpissimam, deinde a v. 64-72. ostendat iam adesse adeo huiusmodi quid. Venio ad alia. Carm. II, 6, 31-40. praeclara obtestatio Nemesis per manes sororis sic tractatur, ut primum moveat supplicatione descripta manium, quam facturus sit, tum ira et terroribus nocturnis mortuae monstratis in somno appariturae. De simplicitate prisca in cultu Larium I, 10, 17–24. sic agitur, ut ab habitu paupere ad sacra simplicia pergat descriptio. Porro I, 1, 7–24. 29–36. rusticae vitae iucunditatem illustrans primum de negotiis rusticis, deinde de cultu deorum dicit. Sed magnificentior locus est II, 5, 83–104. ubi felicitas futura anni ex omine fausto sacrorum describitur. Etiam haec descriptio bipartita per gradationem. Prima pars sic procedit: Erit frugum ubertas, fetura pecoris, matronarum iucunditas, ac familiae fortunam domesticam disertioribus verbis tractat, suaviter hac minore pictura claudens totum, quod et ipsum vides secundum gradationem ador-

natum. Sequitur deinde altera pars, ubi iam festi ruralis in herbis ponitur descriptio, atque etiam fastigium suave in fine positum ut ante, sed alio modo quam ante, cum postremo amoris iuvenilis licentiam videas et admixtos iucunde dolores amoris convivalibus gaudiis. Atque ita vides pulcherrimam ubique artem. Denique commemoro locum II, 4, 27–50. satis magnum, ubi descriptionibus duabus per gradationem coniunctis primum generatim exsecratur luxuriam puellarum, tum specialiter Nemesis avaritiam; propriam vero formam utriusque aliis in partibus huius disputationis explicatam vide. Atque haec hactenus. Videamus nunc *tres* partes gradationis. Simplicior ratio est in his per tria disticha continuatis descriptionibus: I, 2, 17–22. 5, 11–16. 61-66. 6, 45-50. II, 3, 53–58. 4, 39-44. 6, 21-26. Sed sunt praeterea alia multa exquisitiora exempla, quae nunc recensebo. Unum paullo ante vidisti II, 5, 83-94. Porro: in loco I, 9, 17-50. obiurgatio pueri perfidi tribus partibus constat, quarum sequens quaeque gravior antecedente. Primum enim v. 17-30. narrat, ut intentis admonitionibus verborum oraverit saepissime puerum, ne auro corrumpi se patiatur. Vel haec neglexisse malae levitatis. Iam vero v. 31-40. exponit porro etiam iurasse puerum sanctissimis verbis et cum fletu, se nolle violare fidem, quod tamen nunc fecerit. Sic periurium accedit. Magnum hoc crimen, sed in amoris affectu non tam magnum habetur quam aliis in partibus vitae. Hinc tertio loco etiam officia commemorat praestata puero in eius amoribus et carminum dedicatorum laudem. Unde etiam ingrati animi gravis culpa accedit; nam inter amantes omnium minime huiusmodi quid exspectes. Satis de hoc loco. Vide nunc alia pulchra exempla. In loco

I, 1, 11-20. religiosum se cultorem deorum agrestium ostendit. Orditur a lapidum et stipitum sacrorum per agros veneratione nunquam praetermissa. Tum altius surgens pergit ad eorum deorum cultum, qui specialiter singulis partibus praedii sui praesunt, et Silvano poma offerre se dicit quotannis, Cereri coronam spiceam promittit, hortorum vero deo Priapo signum rubrum statuet. Postremo, qui ultimus est gradus descriptionis, ad universi praedii praestites convertitur Lares. Atque ita divisione plana complectitur omnia et pulchre per gradus procedens totum consequitur suavissimum. Venio ad alium locum. Describit II, 5, 23-38. priscum habitum locorum, ubi Roma condita, ac cum pastores ibi degisse olim constet, id agit suaviter, ut ad pastoritiae vitae imaginem regionem totam revocet. In Palatio vaccae pascuntur et humiles casae stant in Capitolio. Conspiciuntur porro deorum agrestium signa sub umbra arborum et pendet fistula pastoritia in luco votum Silvano. Denique per Velabri aquas festa die vehitur puella ad amantem, gregis magistrum, cum qua redeunt munera ruris, caseus et agnus. Vides quid res sit. Dum regionis totius imaginem ostendit, silvas montium et Velabri undas, habes totam vitam pastoritiam expressam, pastionem gregum et casas s. quotidianum usum, tum religiones, denique amores, per tria momenta deducta descriptione, quorum ultimum suavissimum. Similiter adornatus est locus I, 5, 21-34. ubi describit, quam imaginatus erat, vitam rusticam Deliae apud se futuram. Ac primum de negotiis dicit, de frugum custodia, conservatione uvarum et musti, cura pecoris servorumque, deinde eandem etiam divina curare facit et offerre Silvano pro vitibus uvam, pro segete spicas, pro grege

dapem. Iam complectitur haec generali sententia: illa regat cunctos, illi sint omnia curae, et subiungit tunc ultimam partem rerum: etiam hospitii officia pulchra peraget Delia, si Messala venerit, et curabit hunc sedulo et epulas apponet et poma de arboribus detrahet. Vides iterum tria momenta per gradationem posita, negotia rustica, sacra, et amicitiae suavia munera. Addo tertium magnificum locum II, 1, 37-78. de laudibus deorum agrestium, qui cultiorem vitam hominum instituerunt, ubi tres amplas descriptiones a poeta videbis compositas. Rure victus melior inventus, rure artes ortae, rure etiam Amorem natum scimus, ait, sic iterum tria momenta ad unam absolutam ideam vitae componens. Sunt vero satis amplae partes loci, et considerabimus etiam singularum compositionem. Prima v. 37-50. post thema indicatum orditur a primis initiis cultioris vitae, emendatum victum praegressis, aedificationem casarum dico et domationem animalium, tum ad ipsam victus melioris inventionem pergit, quam per gradus exhibet factam. Primum enim pro glande verna narrat poma substituta et olera horti, additque cibis etiam potum meliorem inventum. Tum exquisitiora genera victus subiungit, messes arvorum et dulce mel apum. Haec prima pars est. Secunda v. 51-66. bipartita duo genera artium componit, musicas et earum, quae ad cultum et ornatum corporis pertinent, simpliciores. Tertia Amoris vim cum gradatione describit, atque initio facto a gregibus transitur ad homines: videmus ut Amor iuvenem ad opes erogandas impellat, senem verba pudenda dicere iubeat ad limen iratae, puellam denique timidam noctu tenebrisque ducat ad iuvenem: in quo perspicua gradatio. Atque haec est tota illa magnifica

compositio. Alio loco praeclaro I, 3, 10-50. morbo poeta in Corcyra laborans querelae vim omnem exhaurit tribus descriptionibus per gradationem coniunctis, dum primum se accusat, quod invito Amore discesserit, deinde Isidem deam salutarem a Delia frustra cultam, denique saeculum praesens totum bellis et praedae deditum. De compositione singulorum locorum supra dictum. Qui Tibullum artis ignarum putant, discant vel ex talibus (nam maiora infra videbimus), quantam iniuriam faciant optimo poetae. *Ingenium praeclarum unitates rerum vere poeticas monstrabat, accedebat ars non minus praeclara, ut posset, quod invenisset, eloqui optime.* Sed pauci ad compositionem attendunt. Finiamus nunc hanc de gradationis usu disputationem explicatione duorum locorum mythicorum alius generis. Primus est II, 5, 39-62. ubi Sibylla de origine et magnitudine futura Romae narrat inde ab Aeneae fuga e Troia, et continua quadam gradatione praeclara series visionum exhibetur. Ceterum ut historicum rerum ordinem servat elegia, si poeticam formam admittit, ita geographicum locorum nunc servat nunc mutat, prout arti poeticae convenit. Conf. I, 7, 13 sqq., porro ibid. v. 9-12 et I, 3, 71. Hoc obiter. Alter locus egregius est eleg. I, 7, 29 sqq. ubi laudes Osiridis per multos versus sic canuntur, ut quadam continua gradatione ab initio ad finem procedat oratio. Est dator Osiris, ait, laetitiae et felicitatis praeclarus et ipse etiam laetissimus deus. Atque orditur ab inventione arationis laudanda et semente ac pomorum satione, quibus rebus cibus melior debetur. Inde ad suavius meritum pergit, vitium monstratam curam et vinum expressum, cuius vim exhilarantem nunc per gradus laudat. Postremo συναθροισμῷ, congerie nominum praeclara,

ipsam dei laetam indolem illustrans fastigium imponit toti. Diximus de gradationis formis.

Quartum genus compositionis *orbem per interpositionem* dicam, ubi finis ad principium redit, idque continuatur et absolvitur graviter, in medio positis aliis et ipsis a consilio loci minime alienis. Sic praeclara exsecratio lenae I, 5, 49-56. adornata est, ubi poeta orsus ab imprecatione famis, deinde positis aliis terroribus, postremo nova cum vi ad famis imprecationem redit eamque absolvit. Interpretes latuit res, est vero gravis et nervosa forma. Similiter compositus locus I, 1, 61-68. de luctu in funere Tibulli futuro: orsus a Deliae fletu redit ad planctum puellae, in medio disticho aliarum puellarum et iuvenum lacrimis memoratis.

Quinto denique loco illud compositionis genus laudo, ubi *pars parti subiecta est aliquo modo* nec solummodo propter se ipsam adest, sed alteri praeparandae, illustrandae, firmandae, probandae inservit (*Formen der Abhängigkeit, Motivirung, Vorbereitung eines Theiles durch den andern*). Exquisiti hinc oriuntur modi, quibus alias describendi ars egregie utitur; apud Tibullum unum exstat maius huius compositionis exemplum, cetera simplicia sunt et pauca. Talia habes in carmine I, 3. Ibi legitur Elysii et Tartari descriptio, utraque composita sic, ut prior pars propter posteriorem adsit. Nam Elysii primum describitur amoena suavitas plane facta ad molliores affectus alendos, ut deinde ipsorum amantium beati lusus in hoc solo exerciti quam iucundissimi videantur. Similiter in Tartari descriptione quod primum omnino tristitia loci depingitur, factum propter damnatorum celeberrimorum poenas deinde memoratas, quas etiam rivalibus obtingere vult. Ipsa res hic obtulit

bis eandem formam ut vides. Sed etiam tertius similis locus exstat in hoc carmine v. 83 — ad finem, ubi adventum e Corcyra speratum describit. Ac primum dicit, in quo statu invenire cupiat puellam: sedeat Delia casta vespere cum matre inter ancillas. Tum praeparata sic suavitate adventus, sequitur hic ipse et laetissima receptio, quod fastigium descriptionis. In quo attende etiam orationis alacriorem formam: tum veniam subito, tunc mihi obviam curre. Est magna pulchritudo in parva descriptione. Atque haec de his. Vidisti in antecedentibus praeparatam alteram partem descriptionis priore. Contra in sequenti exemplo II, 4, 27-38. secunda pars loci propter priorem adest. Habetur ibi exsecratio luxuriae, et damnat affectus statim initio, ut debet, ipsa ornamenta vestitus enumerans, tum malas artes puellarum et aerumnas amantis persequitur, absolvens querimoniam dum rationem reddit irae. Etiam talis ratio bona. Sed haec allata exempla ut suavia, ita simplicia omnia; paullo luculentior est I, 2, 16-42. trium descriptionum coniunctio his interioris cohaerentiae vinculis nexa, quae pulchram peritiam artis prodit. Agitur ibi de tutela Veneris, in qua sint amantes, tripliciter sic: Venus, ait, artes furtivas docet, protegit euntem noctu in via, et proditores loquaces punit. Ita vero iuncti sunt hi loci, quemadmodum Commentarius docet, ut medius et primum confirmet proposito exemplo ipsius poetae, et tertii hortationes vi sua adiuvet, qua compositione nihil firmius et nervosius. Alia tamen exempla non adsunt.

Postquam singulatim persecuti sumus formas omnes, quibus usus Tibullus in descriptionibus adornandis, restat ut nonnulla generatim addamus. Sunt argumenta

descriptionum varia, pauca vero mythica, dico vaticinium Sibyllae, laudes Osiridis, porro Elysii, Tartari, aureae aetatis et, quam statim considerabimus, servitii Apollinei apud Admetum descriptionem; nec historica videas, nisi ubi Messalae victoria Aquitanica breviter celebratur. Nullae vero narrationes adsunt proprie dicendae, quas non fecit Tibullus; describit quae cogitat, sentit, imaginatur, facit, non narrat usquam, ut aliquoties Propertius fecit, v. c. I, 3. Vel hinc patet, quod ceteroquin etiam non monitus facile coniicias, non exhaustam a Tibullo describendi artem; sunt praeclara artificia quae non attigit, veluti illud in narrationibus usurpatum, ubi exspectatio movetur, suspenditur animus, interiectis aliis, donec finis evadat. Nimirum intra certos fines se continet Tibullus. Placent omnes descriptiones nativa quadam simplicitate inventionis, in compositione vero nihil non ad *distinctionem exactam partium* revocatur, quae per omnes formas regnat a nobis modo explanatas, et *verum fundamentum est Tibullianae in hoc genere artis.* Atque in sequenti capite demonstrabo esse idem omnino elocutionis Tibullianae maxime proprium fundamentum, et redire similiter in singulorum distichorum formis. Fuit in hoc poeta insignis diligentia cogitandi ad distincta membra omnia revocans, unde etiam concinnitatis ortum studium tam conspicuum.

His expositis nihil hic superesse video, quam ut de servitii Apollinei descriptione II, 3, 11–28. dicam; nam cum aliae omnes descriptiones bene elaboratae sint, haec ultimam manum mihi non videtur experta. Nempe voluit poeta ostendere, ut deus ad infima negotia pastoritia descenderit missis divinis muneribus, ut non veritus sit horridiorem habitum corporis ornatumque comarum

solutum, et pro templis habitaverit in humili casa. In quo Tibullianam divisionem rerum agnosco. Sed nunc considera mihi haec disticha:

O quotiens illo vitulum gestante per agros
  Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
  Rumpere mugitu carmina docta boves!
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
  Venit et a templis irrita turba domum:
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
  Quos admirata est ipsa noverca prius.

Dixi in sequenti capite de anaphora explicate, ubi videbis eam conformes sententias requirere et divisiones accuratas rerum. Nunc autem quae est ratio horum: O quotiens vitulum gestavit, o quotiens carmina mugitu ruperunt boves! Imprimisque haec: Saepe oracula frustra petierunt duces, saepe capillos horrere doluit Latona, quibus nihil diversius, qua lege composita sunt? Nihil huiusmodi alias usquam apud Tibullum invenias. Sed emendasset opinor, si ipse librum secundum edidisset. Haec hactenus. Omnino de compositione descriptionum apud Tibullum satis dictum.

Sed expositis copiis harum elegiarum statim alia oritur quaestio. Haec varietas rerum annon fit passim ut pugnet secum in eadem elegia? Ita saltem vulgaris opinio fert. Sed minime fit, aio equidem; nusquam dissidet male et pugnat secum haec varietas et discrepantes sensus infert iniucunde, sed concordat optime et pulchras rationes oppositarum rerum habet. Ut ordiar ab iis, quae apertiora, ubi quis molestias aut vulnera et caedes belli conqueritur et praedam ac luxuriam detestatur, quid suavius oppositione simplicitatis paucis

contentae et arvorum ubi pax regnat, quemadmodum vides eleg. I, 1 et I, 10? Eiusdem generis praesentis et mythici temporis oppositio, ut cum I, 3. in querela poetae morbo gravi in itinere bellico correpti legitur aureae aetatis descriptio, ubi non bella nec habendi cupiditas nec tot viae mortis, aut cum eleg. II, 3. servitium mythicum Apollinis pro amore omnia tolerantis hodiernae pravitati morum opponitur. Nec quod post Elysii gaudia rivalium in Tartaro poenae I, 3. aut I, 5. post exsecrationem lenae sedula officia amatoris pauperis describuntur, et quae sunt similia partim supra iam memorata, erit qui non laudet. Nam haec omnia apta, commoda ratione oppositionis placent. Scimus, ais, nihil repugnantiae esse, ubi alterum laudatur, alterum damnatur oppositorum; illud quaeramus, annon etiam simul ponantur quae non videantur posse conciliari. Sed neque hoc verum. Errarunt haud dubie Heynius, Vossius aliique, qui sarcasticum locum II, 3, 35-60. ubi luxuria Nemesis et rivalis exagitatur, pugnare crediderunt cum ceteris partibus carminis amoris praestantiam tractantibus; nam cur ardor amoris et castigatio ironica luxuriae puellaris secum pugnent? Similiter irae cum cupiditate et desiderio concordant bene in amore, aut lacrimae cum voluptate, fletus cum indignatione, minae cum precibus. Discas hinc quo iure Heynius ut invenustum damnaverit et alius carminis fragmentum voluerit esse exitum elegiae I, 5., ubi poeta post multas querelas ante ianuam postremo se revocans cum irrisione discedit, qualia ne puellae quidem adeo moleste ferebant. Sed de hoc exitu iam supra dictum. Similiter cum I, 10, 45 sqq. pacis et II, 5, 95 sqq. ruralium festorum laudibus infertur rixarum eroticarum,

bellorum Veneris descriptio, patet iucundam esse mixtionem rerum. In maximo errore versaris, si ad simpliciorum elegiarum compositionem Tibulli copias exigis. Est vero ingeniorum aliorum alia indoles et habent etiam liberiores motus animorum ius suum, quos qui sublatos volunt, ad miseram exilitatem revocant optimos poetas. Tu vide mecum alias quasdam harmonias perpulchras oppositarum rerum. Talis est compositio bellicarum et pacatarum rerum eleg. I, 7., ubi primum victoria et triumphus Messalae de Aquitanis ceterisque sociis populis canitur, tum per terras et nationes orientales, quas deinde composuerat Messala, ita nos ducit poeta ut pacatum statum locorum adumbret, imprimisque de Aegypti fertilitate et Osiride dicat. Iam quid suavius proeliorum strepitu et pacatarum regionum laeta imagine, bellica laude et pacifica mente Messalae in eodem carmine propositis! Sed luculentius etiam in hoc genere carmen II, 5. est, ubi politica magnitudo Romae et rustica vita componuntur, et quid magis Romanum hac coniunctione, cum hic populus urbis splendorem et simplicitatem ruris pariter amaret. Tantum igitur abest ut reprehendi hic quidquam possit, ut suavissimum concentum oppositorum locorum ad unam ideam conspirantium expressum videamus. Propria est laus Tibullianae poeseos haec oppositarum rerum varietas, et cum maxime cavere debeat elegia ne languescat affectus in processu, nihil magis sustentat vim ac vigorem tractationis. Et tamen nihil perversius acceptum est apud Tibullum, quem propterea artis ignarum dixerunt.

Postquam de tota ratione poetica descriptionum disertissime explicatum est, persequimur paucis reliqua et absolvimus, quae de structura medii carminis dicenda

restant. Igitur tractatio argumenti in medio carmine haec est, ut partim per breviores sententias procedatur, partim descriptiones ponantur maiores minoresve. Descriptiones autem nunc singulatim habentur positae, nunc coniunctae sunt plures, ac vidimus tres adeo iungi ad unam maiorem unitatem. Iam vide elegiarum diversam magnitudinem. In parvis elegiis medium carmen breve est nec dividitur vulgo diversis locis, etsi vel hic Tibulliana nobilitas affectuum aliquoties variavit tractationem, ut eleg. IV, 3. pulchre factum. Ubi vero maiores elegiae, nascuntur vulgo Tibullo partes rerum duae aut tres in medio carmine, quae vel simpliciorem compositionem habent, ut in eleg. I, 1. II, 6., vel magnificentius se extendunt, tribus adeo ut dixi descriptionibus in tali parte coniunctis, id quod saepe fit in elegiis ad Deliam, quarum maxima amplitudo. Quemadmodum vero interior structura harum partium ubique accurata et clara, ita ipsae facile coeunt in summam et maximam unitatem carminis, et nunquam non totum exhibent absolutum. Veluti, ut exemplum ponam, eleg. I, 5. in discidio prima pars flebilis miseriam poetae exponit, altera directius aggrediens puellam et fortiori vi causas amolitur discidii. Utraque autem diversis locis constat, prima tribus, altera duabus descriptionibus contexta. Atque ita ubique bene congruere omnia mox recensus carminum docebit. Quod denique coniunctionis leges attinet in his partibus ordinandis observatas, secundum gradationis legem plerumque eas sibi succedere videas. Ternarium numerum nunquam transgressus est; quaternarius iniucundus recte etiam hic visus, cum difficilius complectatur animus tantam amplitudinem compositionis. Aliquoties etiam ut facile coniicias, *paritas* partium

(*Coordination*) animadvertitur, ut cum I, 1. de rusticis rebus dicitur duobus locis vi paribus, aut II, 5. de politica magnitudine urbis et gaudiis ruris. Recte vero in hoc genere non excessit binarium numerum; laxior enim compositio. Tertium accedit *interpositio*, cum inter duas similes, congruas partes tertia dissimilis aut opposita etiam ponitur. Videas hanc II, 3. ubi bis de mythica aetate dicitur interposito tertio loco de hodierni temporis pravitate, et I, 6. ubi in altera parte carminis bis de poenis perfidiae agit, interiectus vero tertius locus est lenior et alius generis, denique per totam elegiam I, 10. ut infra ostendam. Ceterum interpositio est, quam per totum Pindarum usurpari ostendimus, ubi tamen plures rei formae. Atque apud Pindarum quem usum res habeat, illic dictum; in elegia vero gravis est reditus ad similia, aptus pariter querelae, irae, sententiae significantiori nervosius declarandae. Denique Tibullus in carm. II, 5. etiam *parenthesin* bis admisit, de qua illic in Introductione monui quantum satis. Atque his legibus digesta est varietas rerum in medio carmine. Pedem sistimus; abunde hic de medio carmine dictum.

Postquam singulatim de exordio, exitu, medio carmine exposuimus, accedimus denique ad ultimum quod faciendum restat, et considerabimus *totius elegiae formam et structuram ex his partibus conflatae.* Explicabo hoc singulorum carminum recensu facto, et cum in omni genere artis etiam peculiares species occurrant, hic quoque quod reperitur huiusmodi, non praeteribo.

Si evolvas Propertium et Ovidium, longe aliam faciem rerum videas quam apud Tibullum. Pro exordio

et exitu sunt plerumque breves sententiae, eaeque sic consarcinatae cum ceteris, ut ubi finiatur exordium, ordiatur exitus, saepe vix ac ne vix quidem dicere possis, et cum etiam in medio carmine non habeatur Tibulliana varietas nec ista accuratior distinctio partium, fit ut uniformis quaedam perpetuitas rerum per totam elegiam decurrat. Ita vulgarior ratio apud hos. Tibullianae vero elegiae propriae sunt distinctiores formae et oppositiones nervosae: exordium et exitus perspicuam longitudinem habent et facile discernuntur a ceteris; postulat ars Tibulliana exitum distincte separatum et directum, non comprehensum alia parte, licet per se hoc fieri possit recte et factum sit saepe; similiter exordium distinctum amat, quod semel in elegidio IV, 13. cum sequentibus confusum videas, vulgo autem argumento suo clare discretum reperitur a ceteris; denique in medio carmine quam sint omnia claris formis expressa, modo te docuit longa disputatio: unde fit *ut totius elegiae Tibullianae quasi quaedam architectonica structura esse dici possit.* Quam rem nunc etiam singulorum carminum recensus docebit. Est classici scriptoris non solum totum ponere poeticum, sed etiam partes totius maxime commodas, quae reddant recte et pulchre totum, nec potest intelligi structura carminis, nisi utrumque perspexeris. Quaeras igitur sane quod sit thema, cui rei destinatum sit carmen, ut cognoscas quid velit poeta et in quo unitas rerum insit, sed non minus id cures, ut dividas recte unitatem. Quod genus quaestionis qui parvi ducunt in explicatione veterum, quasi levis momenti sit, falluntur egregie; sed non facilis ubique res, quae etiam usum requirit. Neque enim solum logicae legibus respondere debet divisio, sed etiam poeseos. In

quo nunquam non argumenti ratio consideranda; nam ut v. c. thema aliud habet erotica elegia, aliud festo religioso quae scripta celebrando, sic etiam divisio thematis observare debet discrimina rerum. Atque in Commentariis nostris introductio carminis cuiusque primum de statu rerum (*Situation*) exponit, tum compositionem explicat. Sed veniamus ad rem, et cum dispositio argumenti apertior in minoribus sit elegiis, initium faciemus ab his, progressuri deinde ad maiorum compositionum explicationem. Sunt vero hic natalitia nonnulla perpulchra, unde commode proficiscemur.

Igitur si uteris solemnibus natalitiis ad faciendas carmine preces et vota pro felicitate tua aut aliorum, pro amore vel coniugii stabilitate, pro rebus gerendis et quae sunt alia, quid melius agas quam ut sequaris naturales actus festi? Exordio nuntiabitur festum, praeparabitur sacrificium, vocabitur Genius ad dona capienda; medium carmen preces ipsas habebit pro eo quod expetis, exitus autem eventum precum faustum tractabit, nunc repetita invocatione dei, ut rata fiant vota, nunc omine ex sacrificio capto, unde spes effulgeat bona, nunc aliter conformata in hunc finem ultima sententia. Sic indictione festi, precatione, eventus spe felicis absolvitur rite totum. Iam vide exempla. In elegia II, 2. scripta in primis post nuptias natalitiis Cerinthi, ut videtur, hoc agitur ut felix sit coniugium. Atque in exordio indicitur sacrum et vocatur Genius, in medio carmine vota mariti tractantur pro fido amore coniugis, exitus denique rata haec vota fore affirmat ex omine fausto. Sentis igitur deduci animum per tria continua momenta, quorum compositione pulchre efficiatur totum. Non multum differt ratio carminis IV, 6., quod ad Iu-

nonem pro amore Sulpiciae et Cerinthi scriptum in natalitiis Sulpiciae. Exordio precatur deam poeta, ut dona puellae benigne recipiat, medium carmen ipsas pro hoc amore firmando et tuendo preces habet, exitus denique tertium repetita invocatione obtestatur Iunonem per sacra ut annuat, descripto affectu puellae disertius ad movendam deam. Nihil etiam hic fingi potest concinnius. Adde carmen IV, 5. Sulpicia in natalitiis Cerinthi vota facit pro amore suo. Atque in exordio nuntiat sanctum sibi semper et festum hunc diem, qui Cerinthum dederit. Media pars carminis preces habet, invocatur Genius et Venus, ut faveant his verbis. In exitu denique repetitur invocatio Natalis. Sic etiam huius carminis eadem compositio. Est in omnibus clara distinctio trium momentorum, quorum concentu continetur unitas elegiae. Videamus nunc carmen I, 7. quod et ipsum natalitium, sed longe maius. Celebratur laus Messalae. Iam quaero: Ubi ad laudem magni viri celebrandam natalitii festi solemnitate utaris, quem vulgo sequetur cursum elegia? Ordietur a salutatione diei, qui vitam dedit tali viro, tum latius diffusa ad expositionem disertam laudum perget, in exitu denique contractis velis vota faciet pro futura felicitate. Vide nunc Tibullum. Cum Messala nuper ipso die natali fudisset Aquitanos magno proelio, poeta in exordio pro generaliori laude diei statim hanc victoriam ipsam ponit, ut maxime proprium honorem et salutationem diei. Quae pulchra inventio est; specialia substituere, ubi res fert, generaliori formae amat poesis. Sed quid medium carmen habet? Ceteras res gestas viri, sive remotiores laudes natalis diei, oratione nunc in ampliorem campum transeunte. Cum autem in maioribus elegiis vulgo duas

aut tres partes habeat medium carmen, hic tamen simplex est progressus rerum, non divisio plurium partium, sed unius laetae descriptionis vis continuo crescens. Nam bellicoso exordio pacatarum regionum et ruralium munerum suavem imaginem succedere voluit, ut laus Messalae ex utroque genere rerum composita haberetur, de qua harmonia oppositorum supra dictum. Exitus denique cum Osiride Genium vocat ad honorandum laete hunc diem, pro cuius reditu candido vota fiunt. Vides unitatem partibus suis absolutam. — Veniamus ad alia festis scripta. Carmen IV, 2. habet laudes Sulpiciae, cum Kalendis Martiis dona ei mitterentur ab amante. Atque ut vulgo vocatur in festis deus ut adsit, sic nunc in exordio Mars vocatur. Tractaturus vero poeta laudes puellae, ita vocat deum ut ad spectandam ornatissimam Kalendis suis puellam veniat. Quae perpulchra inventio. Iam in medio carmine describitur venustas puellae ipsa elegantissime. Denique in exitu vota fiunt, ut multos in annos celebretur pariter hoc festum laude Musarum. Notavi iam supra nihil concinnius reperiri posse elegidiis libri quarti. Sed vide nunc alia maiora. Carmine II, 1. exhibetur Ambarvalium sacrorum imago; haec igitur est idea elegiae. Iam tractatio haec est, ut celebrans aliquando haec sacra in praedio suo poeta ipsam rem dum agitur per actus suos ante oculos ponat, atque absolvitur totum indictione sacri, re divina ipsa, exitu festi. Igitur in exordio indicitur sacrum: vocantur dii, praecipitur cessatio laborum, arcentur qui non casti. In medio carmine, ubi res divina ipsa fit, duos actus distinguas; primum enim fit sacrificium, ergo circumductio, immolatio hostiae et precatio, deinde epulae sequuntur cum cantu. Atque hunc locum

imprimis exornavit; nam inter pocula canuntur laudes ruris et ruralium deorum, atque ut ante sacrificio et precibus, sic nunc praedicatione beneficiorum uberrima honorantur et propitiantur dii. Alienum vero etiam hic nihil; ipsos autem, quos modo distinxi, duos actus, longitudine dissimiliores, poeta scite vivida tractatione sic coniunxit, ut una omnia perpetuitate decurrant facillime, et tamen clarae ubique divisiones rerum habeantur, proprium quod est Tibullianae artis. Exitus carminis nuntiat noctis adventum. Haec hactenus. Vide iam paullo diversam formam carminis II, 5. Celebrat Tibullus inaugurationem Messalini in collegium XVvirorum modo recepti. Atque in exordio vocatur Apollo Palatinus, ut ornatus triumphali lauro adsit solennibus diei cum cithara carminibusque, et admittat Messalinum ad sacerdotium suum et chartarum sacrarum intellectum. Quodsi elegia ut antecedens ipsos actus festi redderet, in medio carmine iam caneretur inauguratio ipsa, at non haec nunc res erat neque hoc poterat velle poeta, qui luculentius honorem hoc carmine celebrat Messalino tributum. Quid igitur fecit? De inauguratione statim in exordio dixit quantum satis, dum vocat simul orans deum, ut sinat tangere Messalinum chartas et doceat intelligere effata Sibyllae. In medio autem carmine nunc illustrare debuit praestantiam sacri Apollinaris et huius sacerdotii, idque praestitit egregie, praeclara inventione duabus partibus rerum factis, cum tempus inaugurationis in ver incideret, quemadmodum non dubito. Nempe primum fata magnifica urbis canuntur, quae duce Apolline Sibylla olim nuntiaverit, deinde oratur deus ut etiam in posterum propitius sit et felicis anni fausta his sacris auspicia praebeat, referente poeta

totam faustitatem urbis ad Apollinis favorem, et complectente sic praeterita et futura dei beneficia publica. Igitur prior pars politicas et bellicas res tractat, fugam Aeneae, adventum in Italiam et victoriam, urbesque conditas, denique imperium Romae, altera vero pacis bona et faustum annum precatur, ruris copias, fecunditatem matronarum, gaudia festorum ruralium, quam pulcherrimam coniunctionem oppositarum rerum iam supra laudavi. Atque ita effectum vides ut, dum omnino praestantia sacri Apollinaris illustretur, simul hodiernum festum vernum ipsum ornetur luculentissime. Exitus denique par erat ut pro futura gloria et felicitate Messalini vota faceret; cum autem nunc ad consulatum ei aditus pateret, triumphales honores iam in exordio monstrati tractantur.

Accedimus ad *erotica* carmina Deliae et Nemesi scripta, quibus proprius vehementior affectus. Cum Tibullus haec scriberet adverso amore, ut commoveret puellas, quemadmodum supra notavimus, facile exspectes hanc fere nunc futuram rationem argumenti: Erumpet statim in principio affectus primarius carminis, eritque exordium plenum querela doloris aut desiderii, poetam urgentis; tum in medio carmine data opera id aget, ut flectat puellam hortatione, persuasione, lamentatione, ira, minis: ostendet aerumnas suas et amoris vim ac constantiam, promittet officia sua aut exponet quae praestiterit, damnabit avaritiam et auctores luxuriae, exsecrabitur lenas, nuntiabit perfidiae poenas coelestes, et quae sunt alia, ex his utens quoque tempore iis, quae commoda; nusquam vero simplex rerum ordo est, sed per duos aut tres gradus provolvitur affectus, progressus a principio, quippe alia atque alia tentans, alias atque

alias formas induens, donec in exitu quietem qualemcunque inveniat, servans vero ubique unitate sua unitatem carminis. Ut uno verbo describam totum cursum, *querela exordii transit in conatum tollendi miseriam, conatus exit in requiem curarum qualemcunque.* Videamus singula. Primum affero carm. II, 4. Nemesis indissolubili vinculo ceperat Tibullum, sed male habebat fastu ex avaritia intolerabili, atque hic sensus servitii durissimi, nunc primum vivide penetrans animum, est affectus primarius carminis, quod vehemens et iracundum, maximo motu animi desperatione oborto. Prodit status rei statim in exordio, ut par est, ubi lamentabili oratione queritur miseriam, in qua versatur. Tum in medio carmine ad causas et fontes miseriae redit querela, et detestatur avaritiam et luxuriam puellarum. Igitur nunc crescit motus, veniente ira et indignatione: avara puella est et carmina nihil prosunt, iubentur procul ire Musae inutiles; erunt poetae per vim adeo dona quaerenda, quibus satisfaciat avaritiae. Sed dum sic ostendit et exagitat pravitatem avaritiae huius, magis etiam irritatur animus, dicuntur iam exsecrationes auctoribus luxuriae et puellae avarae ipsi, opposita mollissima laude bonarum, ut aculei fortius pungant. Atque ita vides post querelam introitus vividam duos novos gradus sibi succedere affectus eiusdem continuo crescentis. Sed nunc revocat se poeta ab hac iracundia per mutationem sententiae, aliter enim finiri hoc carmen non poterat, et submittit se totum voluntati puellae, paratus omnia quod velit Nemesis facere et pati, si modo faveat. Sic denique obsequio commovere studet, quam ante vehementia affectus terruerat. Veniamus ad carmen II, 6. Duritiam Nemesis poeta iterum flectere conatur, sed nunc flebili maxime

elegia. Nempe primarius affectus hic est dolor intolerabilis amoris maximi successu carentis. Ac postquam exordio, frustra fugere puellam constituens, graphice aerumnas animi adumbravit poeta, in medio carmine explicate prodit et fortius querela, primum exsecrationis, deinde obtestationis induens formam. Primum enim exsecratur Amoris tela, in miseria, quam latius explicat, propemodum desperata Tibullus, indirecte sic ostendens puellae quantum patiatur, deinde directe conversus ad amatam obtestatur eam per manes sororis modo mortuae, ut tandem facilis sit. Nunc vide exitum. Abrumpit repente hos questus; nam puellam esse bonam, lenae culpam omnem. Infertur hic exitus iterum per mutationem sententiae, quasi loquendo paulatim tranquillior factus melius intelligat quis accusandus, consilio vero carminis egregie respondet, siquidem eo absolvitur vis persuasionis nec quidquam est potentius ad commovendum tali benevola excusatione. Haec hactenus. Accedimus ad carmina in Deliam, quorum maior compositio. Atque ut primum de carmine I, 6. dicam, gavisus erat Tibullus aliquamdiu solus usu Deliae, cum suspicio incidit, alium tacita nocte a Delia foveri; quae inopinata perfidia vehementer irritavit poetam. Est igitur primarius affectus elegiae zelotypia. Atque exordium ipsos questus novae perfidiae habet, patefaciens statum rei, in medio carmine a querela ad coercitionem pergit affectus iratus, et maxima quaeque comminiscitur, ut reprimatur levitas Deliae. Ac primum quidem custodiam severam meditatur. Quae pars in duos locos dividitur pulchra mutatione sententiae et huc illuc iactato animo; nam postquam hortatus est maritum ut servet diligenter uxorem et vel ipsum poetam, prodens ingenue furta

sua, mox suavius sese offert custodem, ut cum maritus servare nesciat bona sua, certissime excludantur alii omnes amantes. Atque haec de custodia. Iam vero sequitur alia pars, poenas caelestes ostendens puellae, admixta tamen etiam leniore persuasione; nam primum Bellonae minax oraculum narratur, et in fine infidarum mulierum in senectute miseria describitur, inter quos locos tertius per interpositionem collocatus est lenior et mitior, ubi iram remittere se dicit propter matrem, et sibi etiam severas leges imponens sic favorem Deliae captat. Atque haec altera pars est. Vides grandiorem compositionem, ut sunt carmina in Deliam. Prima pars tenet animum vivida descriptione fraudis et artium, quibus fefellit maritum amor ingeniosus, cupidus poetae, altera terret severitate et gravitate rerum; altera iucundior, altera sublimior. Composita vero prior duobus, posterior tribus locis, clare distinctis, et tamen facillime coeuntibus in unitates suas. Ac discas luculento exemplo, quid sit recte et pulchre dividere. Neque enim solum sentire debes gradationem duarum partium ipsarum, quarum altera externam vim custodiae ostendit, altera penitius in animum puellae penetrans, sensibus gravibus commovere studet, sed etiam propriam cuiusque compositionem ut recte intelligas, attendas opus est illic ad figuram mutatae sententiae, hic ad interpositionis pulchrum artificium. Nunc postquam affectus exhausit quidquid hortamentorum gravium in promptu, quid restat faciendum quam simplex votum in exitu, ut potius duret hic amor constanter ad senectutem? Atque ita factum. — Veniamus ad carmen I, 5. quod *παρακλαυσίθυρον*. Grave discidium ortum erat, cum Delia, quam sociam vitae rure se habiturum speraverat poeta,

corrupta a lena violasset fidem, hucusque soli Tibullo obsequi visa, et divitem amatorem admisisset. Tamen non tulit diu hunc statum rerum Tibullus et in gratiam redire cum amata constituit. Iam affectus primarius elegiae est desiderium fervens tollendi intolerabilis discidii, quod intercesserat. Primas voces huius desiderii exordium habet, nam statim in principio erumpit quod urget animum. Tum disertior fit persuasio in medio carmine, ac duae distinguendae sunt partes rerum, gradatim prodeuntes ex primario affectu. Prima tota in querela versatur, depingens amorem poëtae mutuo Deliae amore dignissimum: quid fecerit aegrotante Delia, qualem felicitatem inde speraverit, qui dolores secuti sint frustrata spe; quorum locorum sequens quisque eximie vim querelae auget, coniunctis ut totum exsistat maxime elegicum. Monui supra de hoc nervoso genere tractationis, quod oppositarum descriptionum serie nititur. Iam sequitur in elegia altera pars rerum, quae externas causas discidii removere conatur. Nam oppressa tum erat memoria Tibulli in animo Deliae aliis rebus potioribus, valebat apud eam lenae cuiusdam infamis corruptio et divitis amatoris pecunia. Haec igitur nunc aggreditur, et voluit sic etiam directius avocare puellam ab incepto genere vitae. Est vero non minus praeclara tractatio antecedente; nam lenam obruit imprecationibus, et Deliae commoda ostendit, quae pauperis amatoris amor habeat, placetque insigniter oppositio nervosa picturarum: irae in lenam terribiles — officiosa diligentia circa amatam, foeda poena corruptricis — commoda puellae in fidem reversae. Sic dixit omnia quae poterant: movere studuit querela amoris sincerissimi et dolorum quos patitur, aggressus est fortius terrore poenarum

et utilitatis propositis commodis. Nunc vide exitum. Cum non aperiatur ianua, nam est παρακλαυσίθυρον carmen, mutat sententiam, erigit animum et cum irrisione puellae et rivalis discedit. De quo genere exitus iam supra dixi. Nunc hoc addo: Vidisti quam sit totum carmen insigne varietate descriptionum oppositarum, cui compositioni plane convenit etiam exitus contrarius, revera tamen nec ipse repugnans. Dum enim querimoniae tristitiam temperat, simul levem poenam perfidiae sumit, quae tot aerumnas poetae attulit, eamque vix aegre latam a Delia. — Sed videamus elegiam I, 2. Delia, etsi nupta viro, nova promissa dederat Tibullo, qui cum primum nova limina adiret, ut iterum usu puellae frueretur, ecce proh dolor! clausa est ianua et custodia posita. Hinc novum carmen natum παρακλαυσίθυρον, vigore affectuum maxime insigne, cuius fundamentum cupiditas ardens potiundae puellae toto pectore amatae. Statum rei, quid doleat, quid cupiat, primum exordium ostendit motu vario plenum; nam statim in principio erumpit, ut toties vidimus, summus affectus elegiae. Sequitur medium carmen: accedit ad rem ipsam affectus, id agens omnimodo ut animum inspiret Deliae ad fallendum virum. Sunt vero tres rerum partes per gradationem compositae. Primum enim ostenditur amantes in tutela Veneris esse, idque tripliciter: docet dea artes furtivas, quibus fallere possint, protegit euntem noctu per vias urbis, ac punit etiam proditores loquaces amorum. Indicavi supra et doceo in Commentariis suavem formam et iuncturam horum locorum: quam graphice doli amantium describuntur, quam nervosa apostrophe monentur qui occurrant noctu, ne turbent, terreant, prodant amantem! Sequitur secunda pars:

declaravit Veneris tutelam, nunc convertit se ad inferorum numinum vim, et infertur magicarum rerum descriptio magnifica; dedit saga perita ad maiorem securitatem poetae carmen, quod si ter pronuntiaverit Delia, obcoecabitur mens mariti. Postremo ultimos stimulos persuasionis admovet tertia pars rerum, monstrata denique amoris in poeta magnitudine et constantia; qua re quid blandius ad commovendos mulierum animos? Sunt etiam hic tres loci egregie compositi. Orditur hinc: sagae tentationi, quae etiam solvere hunc amorem et restinguere hos ignes se posse dicebat, obnisum se et restitisse, qui nunquam carere usu Deliae velit. Immo pro eo omnia faciat et ferat lubenter. Sic altius surgit. Ac primum opponit rivalis paullo ante in bellum profecti levitati suam fidem, suos sensus, qui ad aratrum et inter greges lacte degeret cum Delia solis in montibus, sed, cum non aperiatur ianua, postremo etiam templis supplex procumbere et genibus terram perrepere paratus est, si forte adversentur dii et meruerit aliquid, nihil non toleraturus pro usu puellae. In quo vides ad summum auctum fervorem affectus, ut iam nihil addi posse videatur. Sic absolvitur tertia pars. Restat ut exitum indicem. Cum amantes miseri ante ianuam puellae flentes saepe riderentur a praetereuntibus, inde ducta forma poetica argumenti admonet superbos, non uni semper saevire deum, atque ita communis fati consideratione, quod alias alii incumbat, solatur graves aerumnas, eventum vero votorum suorum Veneris aequitati commendat. Dixi de hoc exitu iam supra. Vossius ad Messalam revocans locum, peccat cum aliis modis, tum eo, quod historica subesse putat etiam ibi, ubi solummodo poetica sententia est, nec quid per se postulet

operis poetici ratio, reputavit. In quem ille errorem saepius incidit. Verum hoc obiter. Carmen inter praestantissima est Tibullianae Musae, neque solum vi et vigore affectus distinctum, sed etiam varietate egregia partium et locorum, sitque tibi hoc novum luculentum exemplum grandioris compositionis, ubi partes et partium partes ita adornatae, ut totum exstiterit per omnia membra pulcherrime structum. — Claudat hanc seriem elegia I, 3. Tibullus, quem morbus corripuerat in Corcyra, mortem timens in peregrina terra procul a consanguineis et a Deliae amore, luctu ingenti afficitur, atque hoc fundamentum est praeclarae elegiae, insigni arte compositionis paulatim a dolore ad solatia et hilaritatem transeuntis. Haec enim propria eius virtus. Atque exordium ipsum deplorabilem statum poetae luctumque tristibus verbis exponit. Tum latius diffusa querela ad causas et fontes miseriae redit, ut fit, in quo phantasia poetae omnia tangit, quae huius loci videbantur, a proximis et specialibus ad remotiora et generaliora progrediens per gradationem. Primum enim se accusat, quod non obsecutus Deliae amori nec suae ipsius praesensioni invito Amore abierit; deinde Isidem accusat a Delia maximopere cultam, cuius auxilio confisus incolumitatem in itinere speraverat; denique aetatem sub Iove praesentem accusat, quae habendi cupiditati dedita bellis semper gaudeat, unde mille mortis viae, laudans contra aureum saeculum. Atque haec prima pars est tota flebilis. Iam vide ut solatia circumspiciat animus aeger et fomenta luctus. Ac primum ad inferna loca cogitatio transit, quae res proxime coniuncta est antecedenti querelae: quodsi moriendum est, ait, Venus in Elysium me ducet, rivales autem, qui maligna fascina-

tione lentas militias mihi pararunt, Tartarus punito. Ponuntur hic descriptiones Elysii et Tartari, ut amat opposita componere. Inde vero lenissimo transitu venitur ad finem. Dum enim post exsecrationem rivalium Deliae castitatem commendat, iamiam obliviscitur mortem, resumit spem salutis et de reditu incolumi cogitat, ubi Delia laeta in amplexus suos ruet. Qui est exitus egregius carminis, adductus per mutationem sententiae, ut vides, pulchre praeparatam sensim mutata facie rerum. Satis de his; veniamus ad alia.

Earum, quas hucusque recensuimus, compositionum haec est communis ratio, quod trium principalium partium elegiae, dico exordium, medium carmen, exitum, suam sibi quaeque propriam formam et tractationem habet pro argumenti indole adornatam. Enimvero nascitur etiam aliud pulchrum genus compositionis per *repetitionem formarum*, quod ipsa vi repetitionis placet, ut illud variatione. De quo nunc videamus. Ac *primum* quidem prodeat illustrior in hoc genere conformatio, ubi ter redit forma primaria argumenti per tres partes elegiae. Simplex, at perspicuum exemplum iam supra indicare poteram, sed sciens praeterii alio consilio occupatus. Loquor de carmine IV, 6. ubi invocatio Iunonis habetur pro amore Sulpiciae et Cerinthi. Atqui invocatur Iuno in exordio, in medio carmine et in fine, est igitur forma eadem ter repetita. Sed videamus maiora. Tale primum est carmen I, 9. cuius summa continetur indignatione ob perfidiam. Dederat enim se puer amatus seni cuidam pecunioso, quae perfidia ita excitavit Tibullum, ut gravissimum carmen scriberet. Habet vero argumentum nunc eam formam, ut obiurgatione et poenae denuntiatione constet hisque duabus rebus conflatum

sit, atque haec forma ter redit. Igitur primum statim in exordio erumpit obiurgatio periurii simulque praedicitur ultio deorum, immo iam nunc huiusmodi quid instare creditur. Tum in medio carmine latius et fusius tractatur argumentum, crescente verbositate affectus, ut fit, in progressu carminis. Exponit igitur nunc poeta obiurgatione uberiore, uberrima omnem iniuriam pueri, et post hanc etiam poenae denuntiationem subiicit iterum, praeter puerum imprimis corruptorem gravissime exagitans. Postremo in exitu tertium accusat puerum, obiurgans quod decrepitus senex sit amator, atque etiam ad poenae denuntiationem reversus addit tristem poenitentiam ei futuram. Atque ita vides quod dixi, formam argumenti eandem suaviter ter repetitam, ita quidem ut vividum introitum disertior et gravior tractatio in medio carmine sequatur, denique etiam exitus addat quae pungant, nec quidquam dicas aptius in tali affectu. Simul variationis adest plurimum in singulis partibus, ne quis credat cetera omnia uniformia. Nam in exordio quidem placet mutatio sententiae et quod lenia immixta durioribus, poeta a minis ad excusationem pueri et deprecationem poenae pergente, tum vero ad iram relabente. In medio autem carmine magna copia rerum conspicitur, secundum gradationem adornata, cuius compositionem supra explicui in disputatione de descriptionibus. Exitus denique etiam quietem affert, ut debet, in ultimo disticho; nam requiescit tandem poeta in cogitatione salutis, resolutus fallaci amore pueri. Haec hactenus *). Alterum praeclarum exemplum huius com-

*) Obiter verbum addo de ceteris ad Marathum elegiis, quae et ipsae eleganter scriptae; compositio simplex. Atque in elegia

positionis est carmen I, 10. Abit Tibullus ad stipendia facienda, sed invitus, et primarius affectus elegiae dolor est ob discessum a praedio avito, a consuetudine vitae rusticae carissima, quem consolari conatur spe reditus. Videamus tractationem. Qui vel obiter perlegat totum, statim viderit a principio ad finem repetitis vicibus nunc de bello, nunc de simplicitate prisca rurisque et pacis iucunditate dici, nec mirabor si quis temere vagari credat poetam, non perspecta lege compositionis. Nempe conflatum est argumentum ex oppositis rebus, reditque hoc genus tractationis venuste per omnes partes elegiae. In quo simul aliam suavem legem videbis, ut nunc hoc nunc illud ingenium et ars docet poetas. Igitur primum in exordio erumpens querela detestatur bella bellorumque causam, avaritiam, et laudat contra simplicitatem priscam, ubi nulla cupiditas habendi, sed pax et securitas; cum nunc contra ad arma et in pericula trahatur poeta. Hic forma exordii aperta: Queritur bella initio, queritur praesens bellum in fine, in medio posita laude simplicitatis priscae et pacis. Vides esse, quam dicimus, interpositionem. Nunc sequitur media

---

I, 4. Priapus consulitur, quomodo pueri formosi capi possInt. Hic praecepta sua exponit. Exitus mutatae sententiae figuram habet, ut ex didactico carmine fiat elegia. Nam dum poeta gloriatur nova sapientia, repente ne sibi ipsi quidem prodesse se posse sentit, fastidio Marathi omnes artes eludente. Sic concidit theoria suaviter, et rogatur puer ut parcat. In carmine I, 8. id agit ut succurrat puero, Pholoes amore misere laboranti. Exordio nuntiat se nosse dolores eius et hortatur ut desinat dissimulare. In medio carmine primum vera causa mali indicatur, tum de sanando eo cogitatur. Monstrat igitur puellae suavem pulchritudinem pueri, narrat querelas eius, denique se revocans, quasi tamen non audiat illa, terret eam in exitu minis poenae divinae. Vides gradationem rerum.

pars elegiae, ubi preces fiunt ad Lares pro reditu incolumi ad patrias sedes, conflata ex eadem oppositione rerum, ordine vero inverso. Nam primum ubi invocantur Lares, laudatur novo modo simplicitatis priscae felicitas; repetita autem invocatio oppositam militiae detestationem subiectam habet; ac vide quanta cum vi insurgat affectus, damnatur graviter furor belli et depingitur infelix tristitia mortis Orcique. Tum vero etiam ad contrariam rem carmen redit et laudatur denuo felicitas rusticae vitae in simplicitate optima. Vides iterum interpositionem usurpatam, sed nunc ea lege, ut belli detestatio in medio sit, in principio autem et in fine laus simplicitatis rusticae. Ita enim cursus carminis ferebat. Iamque continuo exitus intrat inde ab eo loco, ubi ad pacis descriptionem transitur. Nam ut a belli detestatione orditur carmen, sic in pacis laude finiri debet. Est vero etiam in hac ultima parte servata oppositio principalis. Nam primum prodit laus Pacis ipsa, cui descriptioni dum rixas amoris suaviter immiscet, redit inde paucis iterum ad bellicae ferocitatis detestationem, clauditque postremo totum repetita vocatione Pacis. In quo vides tertium usurpatam interpositionem. Plura de virtutibus huius carminis in Commentario exposita reperies, nunc summam legem compositionis explicare debui, quae est in repetitione formarum. Veniamus ad alia. Vidimus in antecedentibus primum genus repetitionis, ubi in exordio, medio carmine, exitu redit cum vi una quaedam certa ratio tractationis. Sed sunt, ut fit in hac diversitate argumentorum, etiam alii modi repetitionis. Fieri potest, aio *secundo loco*, ut positum in exordio thema carminis redeat aliis verbis in exitu, dum interpositum medium carmen suam sibi propriam

tractationem habeat; quae res omnino frequens in elegiis, ut est naturalis maxime, tum potissimum attentione digna, ubi congruens, etsi propria, medii carminis conformatio. Atque ita accidit in elegia II, 3. Nemesis cum homine divite in rus discesserat, quo facto Tibullus adspectu et usu puellae carissimae privatus ipse etiam in agros properare vult et labores rusticos paratus est ibi ferre etiam duros, si modo dominam caram adspicere possit. Ergo servire vult apud dominam, atque hoc est thema elegiae, quod in principio prodit et repetitur nervose in fine. In medio autem carmine poeta uberius illustrat et exornat praeclaram hanc ideam amoris incommoda quaevis pro summo fine tolerantis, idque tribus partibus hoc modo: Describit primum mythicum illud servitium Apollinis apud Admetum, qui relictis divinis honoribus ad infimam conditionem vitae descendit, tum opponit et exagitat praesens saeculum et hodiernam luxuriam et avaritiam, ubi pretio venditur amor et is puellam habet, qui maxima dona fert; postremo ad priscae simplicitatis laudem alio modo redit et amoris liberum usum praedicat in tenui tum victu cultuque: quam collocationem partium et interpositionem supra iam notavimus. Sed hic ad totius elegiae formam attende. Ut enim exitus ad exordium redit, similiter in medio carmine tertia pars post interiecta alia redit ad primam (sic puta: A B C B A), quae est magna harmonia structurae, neque tamen iusto artificiosior, siquidem hi reditus ad similia per se aeque naturales in affectu videntur, quam alias progressus recti ad alia atque alia. Est tamen frequentius alterum altero in compositionibus elegiacis, ut etiam hic recensus ostendit. Atque haec hactenus. Restat ut *tertium* genus repeti-

tionis indicem et ipsum pulcherrimum, cuius luculentum exemplum elegia I, 1. praebet. Fieri enim potest etiam hoc, ut thema elegiae positum in exordio et repetitum in exitu praeterea redeat in medio carmine identidem; ergo non totum argumentum unam quandam repetitam formam habet ut supra in primo genere, sed summa tantum sententia per intervalla repetitur a principio ad finem magna cum vi, quemadmodum iam videbis. Tibullus invitatus a Messala ad belli societatem cum nollet sequi, respondet hoc carmine, cuius summa sententia haec: militiae molestias et opes aliis se relinquere, sibi placere tranquillitatem vitae modico contentae. Atque haec sententia prodit, ut par est, statim in principio et exordium occupat. Iam in medio carmine id agit poeta, ut describat et illustret hoc otium securum et paucis contentum, quod degere cogitat, sic divisa tota tractatione: Primum rusticae vitae iucunditatem explicat, ad quam redire vult, cum negotiis festisque suis, dicens tum de arborum vitiumque cura et cultu deorum agricolarum, tum de pecuaria et pastoritiae deae cultu. Tractatis rusticis rebus narrat se etiam puellae formosae vinculis teneri, atque ita tertiam partem rerum de amore Deliae subiungit antecedentibus duabus rusticam vitam illustrantibus, componens universam descriptionem otii fortunati, ut vides, ruris et amoris laude. Atqui in commissuris partium egregie instituit ut redeat summa sententia et sic dominetur per haec omnia. Postremo exitus carminis sequitur, ubi ultimum repetitur summa sententia, ut etiam claudat totum. Habes ante oculos nunc etiam hanc pulchram compositionem. Atque ita diximus de repetitione formarum. —

Complectar iam generali verbo antecedentia omnia,

ut deinde ad ultima venire liceat, quae restant. Recensus carminum factus monstravit legitimam structuram elegiae Tibullianae, quae tota nititur distinctione trium principalium partium ea, quam initio posui. Exordio prodit thema ipsum, medium carmen explicationem, illustrationem thematis habet (*die Entwickelung*), exitus contractis velis quietem affert, ac divisum semper ita vidisti argumentum, ut huic rationi partium respondeat. Tractatio autem argumenti sic divisi duplicis omnino generis erat, siquidem vel suam sibi propriam quaeque pars formam habebat, vel redibat forma tractationis tota aut ex parte; alteram *variationem*, alteram *repetitionem formarum* dico. Atque de his rebus iam nihil addo; abunde explicatae sunt.

Sed praeter hanc vulgarem, usitatam, legitimam in his libris divisionem et structuram argumenti minime mireris in tanta diversitate rerum, si dicam etiam *alias quasdam formas* elegiae fingi posse *aliter diviso argumento.* Harum aliquot apud Lygdamum sunt, pulcherrima vero apud ipsum Tibullum exstat, quam primum explicabo. Etenim in minoribus elegiis, ubi media pars priori longitudine similis, fieri potest, si argumentum ita fert, ut ad similitudinem *antistrophicae compositionis* secunda pars opponatur primae, claudat vero totum exitus tanquam epodus. In quo ne perperam verba mea intelligas, non de paritate quadam metrica duarum priorum partium agitur, nam similis longitudo sufficit, sed de divisione rerum antistrophicis compositionibus simili: respondent sibi ambae partes concinna quadam argumenti dispositione. Videamus exempla. Summa elegidii IV, 3. versatur in desiderio sollicito Sulpiciae, absentiam amati Cerinthi non ferentis, qui venatum abierat. Iam prima

pars sollicitudines de incolumitate, salute habet, alloquitur puella aprum ne noceat amato, detestatur crescente affectu silvas et venationem, ut solemus irasci causis periculorum. Quid vero in altera parte dicit? Nihilominus, ait, vel ista modo detestata incommoda venationis lubens ferrem, si modo cum amato essem et amore eius fruerer; nunc autem zelotypiae metu angi se significat, ne alia forte illic femina subrepat favori Cerinthi. Vides quid res sit: non thema prior pars habet, quod explicet altera, nec persequitur haec, quas prior exponit sollicitudines, sed alio novo modo depingit desiderium amantis puellae, aliud novum doloris momentum addit. Exitus denique omnia vota complectens hortatur iuvenem, ut quam primum recurrat in sinum puellae suae. Carmen praeterea luculento exemplo ostendit, quanta vel in simplici argumento varietas affectuum possit esse, de qua re in Commentariis dixi. Vide nunc eandem formam compositionis in carmine IV, 4. Aegrotante Sulpicia poeta Apollinem invocat, et continetur summa elegidii pulchri precatione, ut medeatur deus. Ac primum invocat deum, ut puellae morbum expellat. Tum iterum eum vocat cum medicamentis omnibus et cantibus, ut iuvenis amantis anxietas solvatur, qui mortem amatae timebat. Denique tertium invocat Phoebum, et nunc quidem complectens primae et secundae partis summam precatur, ut in uno corpore servato duos restituat. Vides concinnitatem compositionis. Cum morbus puellae etiam amantem commoveat, scite nunc inde ducta est divisio argumenti, et ortae sic duae partes congruentes, altera puellam, altera iuvenem spectans, quas tertia coniungit collecta vi totius carminis. Illustrari potest divisio haec secundum personas facta loco

Sophocleo in Electra v. 120 sqq. ubi querela ita divisa est, ut primum de Agamemnonis caede dicatur stropha et antistropha α', deinde de miseria Electrae stropha et antistropha β', postremo utrumque complectatur et coniungat puella in tertia parte, quemadmodum dilectus mihi iuvenis doctus et acutus Henr. Ludolf. Ahrens notavit in libello *De causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati.* Sic clarius etiam intelligas veram structuram elegidii. Denique attendas etiam ad invocationem ter repetitam. Nam etiam hic variatio et repetitio formarum, quam dixi, locum habet pro ratione argumenti: potest, ut in antecedenti elegidio, suam quaeque pars tractationis rationem habere in omnibus, potest, ut in hoc altero, simul adesse forma quaedam, quae redeat ter. Iamque etiam de hoc carmine satis dictum. Non est autem dubium, quam hic tractavimus peculiarem conformationem elegiae, arti poeticae Tibulli plane convenire; nam concinnitatem magnam ea habet et exitum etiam affert vere Tibullianum, qui componat omnia optime, simulque distinctus ab antecedentibus firmiter claudat totum. Non placuisset aeque Tibullo opposita forma divisionis, ubi post introitum duas partes congruas ponas, quam Lygdamus habet in primo carmine; quamquam enim per se non vituperanda talis divisio, tamen Tibullianae structurae firmitatem non habet, distinctiore exitu carens. Sed haec ad Lygdamum nos ducunt, ubi continuabimus hanc de peculiaribus formis elegiae disputationem. De Tibulli arte abunde dictum.

Qui Lygdami elegias a Tibullo crediderunt scriptas, neque alia perspexerunt aliis locis harum disputationum

notata, nec compositionis discrimina manifesta, de quibus hic dicetur. Tibullus ubertate rerum, sententiarum eminet, Lygdamus inops est sententiarum; Tibullo fervor nervosus proprius, Lygdamus multum inferior vi Tibullo. Ita factum ut primum absit ab his carminibus illa varietas rerum et affectuum per Tibulli libros regnans et huic ita propria, ut hac sola virtute dignoscas Tibulliana ab aliis. At enim opponas carmen sextum, quod valde laudant. Qualis igitur hic habetur varietas? Luctatur poeta cum curis et aerumnis amoris, quas pellere conatur vino, et fluctuat inter dolorem et hilaritatem usque ad finem, ter relabens ad dolorem, ter se revocans ad hilaritatem. In quo si placet tibi luctantis animi imago, at varietas affectuum Tibulliana dici nequit adesse, ubi per totum carmen inter eosdem duos motus fluctuas. Ac ieiuna etiam est tractatio, cum disertior omnis adumbratio horum affectuum et oppositio nervosior desit; nam hilaritas fere nonnisi sic declaratur, ut ad bibendum se exhortetur poeta, dolor autem vix ortus statim reprimitur. Ponendae erant imagines harum rerum expressae (*Gemählde*); nunc ieiune properatur ab altero ad alterum, et vix unus et alter locus est v. 13–16., v. 45–50., ubi descriptionis aliquid poeticae deprehenditur. Patet nihil magis alienum esse ab arte Tibulli supra explicata. Omnino quid reperitur descriptionum apud Lygdamum? Posuit sane nonnullas in carminibus suis imitans Tibullum, sed quales? Describit in prima elegia librum, quem puellae mittit, describit in secunda ultimos honores sepulturae, quos sibi post mortem exhiberi cupit, describit in quarta Apollinis citharoedi habitum, quae inventionis laudem nullam habent, et eiusdem omnia generis sunt, nam ad conspectum re-

feruntur, et ornatum rerum, oculis quem videas, exponunt; Tibulli vero descriptiones, ingeniosiores et multiplicis generis, reddunt varias res, varios sensus, affectus, cogitationes, imaginationes poetae, ut fert argumentum carminum. Ac cum praeclaras formas compositionis in iis videris supra, Lygdamus nihil huiusmodi habet exquisitius, in sepulcralium vero rituum descriptione etiam modum excessit et ad minutiora descendit. Alii tres loci in carminibus 3, 4, 5. ne sunt quidem descriptiones, sed repetitiones unius sententiae ad taedium continuatae. Ubi igitur, quaero iterum, illa ars descriptionum Tibulliana, illa varietas, illae coniunctiones, oppositiones complurium descriptionum egregiae? Sed considerabimus denique etiam reliquam compositionem horum carminum breviter. Est etiam haec eiusmodi, ut nusquam Tibullianae structurae pulchritudo expressa habeatur, quemadmodum facile cognoscas, ubi te in talium rerum studium insinuaveris. Nam qualis est ratio exordii, exitus, divisio reliqui carminis? Faciamus a *quarta* elegia initium. Versatur querimonia Lygdami omnino in eo, quod Neaera, quae sibi sponsa fuerat, alium virum praeferebat eique nubere volebat. Atque hoc carmine somnium fingit, quod primum certiorem fecerit de tristi re, ita vero argumentum tractat. Exordio precatur ut dii meliora ferant nec vera sint insomnia, quae aegre credit et inania dicit. Iam sequitur in medio carmine narratio somnii ipsius. Est Apollo patronus poetarum, qui apparuit. Huius primum habitus describitur multis verbis, tum loquens deus nuntiat alii nubere velle Neaeram, consolari tamen simul studet, cum flecti possint puellae blandis verbis et servitio sedulo, dicique iubet etiam Neaerae ut absistat a consilio,

promitti hoc potius coniugium ab Apolline. Haec ille. Poeta vero in exitu affirmat multis verbis, se non tam duram habere posse Neaeram ut neget, et precatur ut deus in melius vertat somnia. Videamus nunc quid iudicari debeat de hac compositione. Est unica elegia, quae tres principales partes sic fere distinctas habet ut amat Tibullus, et tamen singulae quam imperfectae! Ac primum quidem exordium, ad maiorem amplitudinem compositum, etiam mutatae sententiae figuram habet, sed hac ipsa male utitur. Recte orditur a voto, ut meliora ferant dii, nec illud malum, quod crescente affectu adeo inania dicit omnia somnia et fidem iis denegat, modo deinde se revocasset vere ab hac sententia cum rediret ad initium. Nunc relabitur quidem recte ad vota ut irritos faciat Lucina hos timores, sed non mutat sic ut debet istam sententiam, quam in incerto relinquit. Sic factum ut non sublata vanitate somniorum, quam nonnisi per momentum defendere debebat, exordium repugnet reliquo carmini ipsisque Apollinis verbis, qui vera se loqui monet. Ceterum praeter hunc locum usus est Lygdamus figura mutatae sententiae per totum sextum carmen, sed nec ibi scite, ut iam vidimus. Alias non admisit, ac tranquillior fere haec poesis, quam ut vividior figura conveniat. Atque haec hactenus. Praeter exordium quod in exitu redit ad idem votum poeta, ut in melius vertant dii tristia somnia, recte et bene factum, neque enim melior exitus ex huius argumenti ratione imponi poterat quam per repetitionem initii; male vero inepta copia imaginum affirmat non duram esse Neaeram. Veniamus denique ad medium carmen. Apparet statim non clare cogitasse poetam, quid hic fieri deberet. Nam si commovere

puellam voluit hoc carmine, quod non possumus non credere, duas debebat hunc in modum facere partes rerum, primum quidem narrare somnium et tristem nuntium Apollinis, deinde vero dolores luctumque depingere animi ingentem, quo iam ex hoc nuntio laboret, additis precibus blandis. Nunc autem habitum nobis pulchrum dei data opera describit, qui locus longior hic alienus est; ieiuna etiam et sine vi tota consolatio Apollinis, animi autem sui desperationem graphice adumbrare non novit. Denique omnino hoc ineptum, quemadmodum iam Heynius sensit, quod ab Apolline docetur Neaeram alii nubere velle, et tam leve negotium tribuit tali deo. Sufficiant haec hoc loco, alia in Commentario notavi. — Accedo ad reliqua carmina, quorum nonnulla melius composita, ut tamen ubique diversum a Tibullo poetam sentias. Ac *secundum* carmen, de quo primum dicam, ultima mandata poetae morituri continet. Cum ferre non possit ereptam a rivali sponsam, mortem sibi inferre decernit, quos sensus brevis introitus exponit. Tum sequuntur mandata; describit autem sepulcrales honores, quos sibi ab amata exhiberi cupit, ut quem vivum deseruerit, ei mortuo saltem iusta ne recuset, additque in fine etiam inscriptionem tumulo imponendam. Sic poeta. Hic ne de consilio moriendi dicam, quod fundamentum carminis iniucundum, a Tibulli arte recedit, ut iam supra memoratum, putida diligentia omnia momenta sepulturae persequens, ac cum clausula carminis ipso fine mandatorum contineatur, quod recte fieri potuit et per se minime a nobis vituperatur, Albii tamen certus usus magis directum postulabat exitum finitis mandatis. Exitus indirectos vidimus ab exacta structura Tibullianae elegiae alienos, etsi ab

aliis saepe usurpantur. Veniamus ad *primum* carmen. Cum Kalendis Martiis dona mitti solerent uxoribus et puellis amatis, etiam poeta nunc hac festivitate utitur, ut se commendet Neaerae. Constituit autem suadentibus Musis carminum suorum volumen mittere. Iam igitur parat librum eleganti ornatu, quem per Musas transmittit, et addit etiam verba mollia, quibus testatur amorem intimum, et spem coniugii affirmat nonnisi cum morte se demissurum. Inventio eo displicet, quod ad colloquium cum Musis omnia sunt revocata. Divisio argumenti aperta: *post introitum sunt duae partes congruae,* altera librum describens, altera verba exponens, quae addi debeant dono, *quasi post proodum stropham et antistropham ponas.* Quod genus formae minime iniucundum et huic proposito argumento apprime aptum. Sed non est Tibulliana structura, quia epodo caret, ut ita dicam, h. e. quia directior exitus abest, cum nunc ipsa secunda parte contineatur finis carminis. Alia res est in opposita forma, quam supra ostendi a Tibullo usurpatam. Ceterum comparabis carmen IV, 2. et ipsum Kalendis Martiis scriptum, ut discas quid sit vere Tibullianum. — Videamus nunc *aliam formam* notabilem elegiae, *ubi in duas omnino partes dividitur totum*, quarum secunda repetat aliis verbis priorem. Ac prior introitum in se habet, posterior exitum carminis. Cum elegia amet repetitiones, eaeque affectui minime repugnent, sed conveniant, per se etiam hoc genus bonum, et videmus alias atque alias prodire formas, quibus uti liceat pro argumenti ratione elegiacae arti. Quamquam etiam haec Tibulliana non est, relicta divisione architectonica trium partium Albio legitima, et scite tractari debet ne ieiuna sit repetitio, sed ingeniosa, et novos colores habeat. Lygdamo in manus

venit res, cum inops esset sententiarum, et propterea iterare eadem identidem amaret. Sunt duo carmina huius generis. In elegia *quinta* poeta febri laborans de mortis periculo queritur, scripta ad amicos, qui in thermas Etruriae abierant. Ac primum precatur Proserpinam ut parcat vitae, cum nihil meruerit et adhuc iuvenis sit, tum repetit preces pro salute pluribus verbis, conversus nunc omnino ad inferos deos, reditque etiam ad allocutionem amicorum initio salutatorum, quibus mandat valedicens, ut Diti sacrificium promittant. Vides compositionem elegiae non malae. Sunt duae omnino partes: exordium separatum non habetur, sed decurrit manifesto una perpetuitas rerum ab initio ad v. 20., tum sequitur altera pars cum exitu, ubi fortius redeunt preces et vota pro vita, quibus nunc etiam amici succurrere iubentur sacrificio. Ac nihil hac repetitione aptius in tali argumento et in tali anxietate. Haec si Spohnius considerasset, non perdidisset operam amoliendo loco v. 15-20, in quo hoc quidem nomine nihil offensionis. Satis de his. Sed eiusdem formae, longe vero deterius, est carmen *tertium*. Neaera coniuge posse frui summum poetae bonum videtur, quod queritur nondum partum precibus et ture, et nisi consequatur, vitae deprecatur munus. Orditur hinc ut preces et tura nihil prodesse queratur, cum tamen opes non postulet, sed solum coniugium Neaerae cupiat. In quo pleraque genera divitiarum enumerat, quae contemnat omnia; nam si modo cum Neaera sit, vel paupertatem iucundam fore. Tum pergit: si vero non audiat deus, etiam opes me non iuvant; coniugium securum cupio paupere cultu. Hoc concilient dii, aut si fata negant, Orcus me vocato. Ita Lygdamus. Prima

pars rerum a principio ad v. 26. una perpetuitate decurrit, cum etiam hic separatum exordium non adsit, altera a v. 27. manifesto repetitionem antecedentium continet una cum exitu. Est tamen nunc admodum ieiuna repetitio et omnino tota tractatio in altera parte valde imperfecta et vitiosa, de quo vide Commentarium. — *Sextum* denique carmen, iam supra descriptum, *nullam omnino divisionem maiorem* habet. Introitus a sequentibus separari nequit, et sic ad finem continuo cursu ab altero ad alterum venitur. Partes principales distinctae non adsunt, nec possunt hic esse. Etiam hoc genus compositionis non novit Tibullus, etsi apud alios reperitur. Lygdami autem vides nullum carmen esse, quod vere referat Tibullianae elegiae rationem. Pedem sisto. Percurrimus ordinem formarum elegiae satis notabilem, ac laetabor si sentias paullo penitius nunc hoc genus poeseos tibi perspectum.

III. DE ELOCUTIONE TIBULLI.

Quae natura et indoles elegiae in maximis, eadem reperitur in minoribus et minimis, ut est omne classicum opus sibi totum simile. Recordamur autem expositionem latiorem sensuum et affectuum elegiae propriam: haec quemadmodum in maiorum partium et locorum tractatione regnat, ita in singulis distichis. Sed omnis poeta peculiares virtutes habet. Tibulli poesis simplicitate sententiarum et orationis excellit, excellit vero non minus vigore egregio, qui conspicuus in tot descriptionum et sententiarum praeclara vi, et ipse principium suum habet in singulorum distichorum nervosa conformatione. Quae cum ita sint, penitus perscrutaturi

horum carminum praestantiam, nunc ad ipsa disticha descendimus, et ad formam et elocutionem singularum sententiarum considerandam, ut cognoscamus quomodo poeta cum latitudine expositionis elegiacae simplicitatem et vim consociaverit egregie.

Ac latitudo quidem expositionis elegiacae duo palmaria artificia habet quibus utitur, *divisionem sententiae in partes*, et *amplificationem per repetitionem eiusdem sententiae*; alterum Tibullo est, alterum Propertio familiarius. Ut primum de illo dicam, cum binis versibus constet metrum elegiacum, per quos extendatur sententia, commode se divisiones obtulerunt, maxime διχοτομίαι, ut in paria vi membra (*coordinirte Glieder*) discederet oratio, quibus distichon impleretur. Tales divisiones rerum puta, si aurum et possessiones agrorum memorantur pro opibus, *divitias alius fulvo sibi congerat auro, et teneat culti iugera multa soli*; smaragdi vel gemmae et vestes purpureae, ubi de luxuria puellarum agitur, *O pereat quicunque legit viridesque smaragdos, et niveam Tyrio murice tinguit ovem*; sagittae et faces, ubi de vi Amoris, *Acer Amor fractas utinam tua tela sagittas, si licet, exstinctas adspiciamque faces*; rugae faciei et albi capilli, ubi de senectute, *tollere tum cura est albos a stirpe capillos, et faciem dempta pelle referre novam*; custodes et ianua clausa, ubi aditus non patet ad puellam, *nam posita est nostrae custodia saeva puellae, clauditur et dura ianua firma sera*; undae et venti, ubi de navigatione sermo, *nondum caeruleas pinus contempserat undas, effusum ventis praebueratque sinum*; aut si de aratione inventa dicas: *primus aratra manu sollerti fecit Osiris et teneram ferro sollicitavit humum*, et de vitium cura: *hic docuit teneram palis adiungere vitem, hic viridem dura caedere falce comam*, et

quae sunt alia multa similia. Sic igitur elegiaca poesis diducta, dilatata oratione utens in partes dividit suaviter sententias; quae res licet etiam in aliis omnibus generibus usurpetur passim ubi commodum, elegiae tamen uni omnium maxime patet has divisiones convenire.

Alterum insigne artificium latitudinis, quod memoravimus, *amplificatio* est *sententiam bis aut pluries ponens eandem aliis verbis.* Fit hoc vario modo, veluti si positive et negative, proprie et tropice, indefinitius et definitius loquaris; alias hexameter praeparat quod pentameter eloquitur, aut quod hexameter enuntiavit, novo additamento complet pentameter, et qui sunt alii modi. Hic simpliciora quaedam exempla pono:

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.

Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
  Et sedeo duras ianitor ante fores.

Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
  Atque tua labens navita fleret aqua.

Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
  Et medio laxe ponere membra toro.

Ὦ νέοι, ἀλλὰ μάχεσθε παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
  μηδὲ φυγῆς αἰσχρᾶς ἄρχετε μηδὲ φόβου,
Ἀλλὰ μέγαν ποιεῖτε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,
  μηδὲ φιλοψυχεῖτ' ἀνδράσι μαρνάμενοι.

Αἰεὶ μὲν φρένας ἀμφὶ κακαὶ τείρουσι μέριμναι,
  οὐδ' αὐγὰς προσορῶν τέρπεται ἠελίου.

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισιν
  Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Plura exempla hic non affero; infra enim etiam de hoc genere iterum dicetur. Apparet vero per se quam sit haec quoque res apta distichis, cum et metri ambitus expleatur commode et sententiae disertius exponantur. Postremo clarum quomodo ea differat a divisione; nam aliud est discernere partes, notiones, et ponere diversa, aliud idem dicere vario modo et cumulare similes formas eiusdem sententiae. Ita fit ut altera ratio oppositionibus, altera similitudinibus gaudeat, quod discrimen quam vim habeat, infra clarius disces.

A.

Videamus nunc Tibullum, cuius causa haec praemissa sunt; nam id agimus ut Tibullianae elocutionis indolem (*Kunststil*) illustremus. Est autem aliud generatim scribere de elocutione, aliud de certo quodam scriptore dicere. Cum enim varias partes habeat elocutio, qui scriptorem quendam explicat, ab eo ordiri debet atque id primo loco ponere, quod maximum in huius elocutione habet momentum, tum commode disponere cetera. Atque ita faciemus. — Igitur aut una continua periodo impletur distichon, aut membra habet sententia discreta. Ac nobis maxime de altero agendum erit, praemittimus tamen nonnulla de priori. Ut omnino pondus habent grandiores compositiones, sic etiam periodus una continua per totum distichon non interrupto cursu decurrens placet nervoso ambitu. Distinguimus vero hic duas formas. Nervosior et firmior haec est, ubi non hexametro absolvitur constructio grammatica, sed duarum principum partium enuntiationis alterutra in pentametro ponitur aut etiam praedicata et attributa sola hexametrum implent. Exempla appono:

Non agnamve sinu *pigeat* fetumve capellae
Desertum oblita matre *referre* domum.

Quid referam ut *volitet* crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta *columba* Syro.

Qualem *te* memorant Saturno rege fugato
Victori laudes *concinuisse* Iovi.

Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.

Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.

Atque haec vulgaris ratio. Altera forma est, cum postponitur adiectivum aut participium.

I, 5, 14. Ipse procuravi ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

I, 7, 2. Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo.

II, 5, 24. Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.

I, 7, 28. Te canit atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

I, 8, 72. Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum.

Nonnisi in allatis exemplis, si bene memini, videas rem apud Tibullum, contra saepe usurpatam Propertio, ut in his:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante Cupidinibus.

Quam vacet alterius blandos audire susurros,
  Molliter in tacito littore compositum.

Hos inter gravibus cogor deflere querelis,
  Supplicis a longis tristior excubiis.

Ne afferam plura ex innumeris. Inest vero ut Propertius hac re utitur, saepe exquisitior quaedam emphasis in tali subiecto membro, quae aliena a simpliciori sensu Tibulli, at illius molliori rationi egregie convenit. Nusquam vero totum distichon sic videas a Tibullo subiectum, quale hoc est apud Propertium I, 15, 25:

Desine iam revocare tuis periuria verbis,
  Cynthia, et oblitos parce movere deos,
Audax, ah nimium nostro dolitura periclo,
  Si quid forte tibi durius inciderit.

Qualis vel laxior visa fuerit Albio compositio vel artificiosior, cum plerumque exquisitiorem emphasin requirat. Omnino patet quam proprie hic quidem dicas unius periodi perpetuitatem, eam in superioribus tantum exemplis reperiri, postposita membra cum novo accentu quem desiderant, quasi sui iuris fiant, tollitur, ubi locum habent, ista arctior et firmior unitas verborum, fitque enuntiatio similis aliis ex discretis membris constantibus. Tibullus autem ubi ex continuis periodis disticha componebat, probabat maxime nervosiorem formam, ut ferebat ingenium masculum poeseos suae. Verum satis de his, quae praeterire noluimus. Iam progredimur longius. Usurpavit Tibullus ut par erat passim istas maiores unitates periodorum per integrum distichon extensas, sed taedium fecerint diutius continuatae, neque aliter ceteri poetae iudicarunt; elegia ut plurimum vividiores formas orationis requirit et in alio

genere laudem suam habet. Vide v. c. praeclarum locum I, 5, 49 sqq.:

Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat:
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat:
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis,
Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.

Quis in tali affectu non laudat breviora membra usurpata, quis praeferret quattuor periodos maiores pro hoc vivido cursu orationis? Veniamus igitur eo, quo dudum tendit haec dissertatio.

Etenim altera ratio compositionis haec est, ut distincta membra habeat distichon alias aliter formata, atque omnia genera simplicia periodorum hic videas, copulativas, disiunctivas, adversativas compositiones, porro conditionales, finales, causales, relativas enuntiationes, ut par est, quae varietas scite tractata egregie adiuvat et auget vigorem elegiae. Sed nunc observa diversitates poetarum; nam cum diversam indolem habeat Tibulli, Propertii, Ovidii elocutio, hoc loco insigne discrimen deprehendas. Ac primum quidem non videas apud Tibullum Ovidii morem, cuius disticha multa minuta membra omnis generis habent; *Ovidio enim propria loquacitas subtilis, innumeris momentis rerum exponendis ingeniosa, cui convenit multiplex varietas periodorum, raro nervosior, plurimum vero minutis colis utens alias aliter.* Exempla pono:

Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, si cupias ipsa, manere sinam.

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quae, quia non licet, non facit, illa facit.

Quidquid servatur, cupimus magis, ipsaque furem
Cura vocat. Pauci quod sinit alter, amant.

Arguet, arguito; quidquid probat illa, probato;
Quod dicet, dicas; quod negat illa, neges.

Talia non amat Tibullus, qui ut plerumque etiam Propertius, maiores formas membrorum fingit et gravius componit disticha sua, neque omnigenam varietatem habet structura enuntiationum apud hunc, sed intra iustos fines se continet. Quid autem est eius maxime proprium? *Amat*, ubi non una continua periodus, *imprimis dispescere sententiam distichi in duo membra per διχοτομίαν, aut etiam in tria, et versum versui aut membrum membro opponens divisionum et oppositionum nervosa concinnitate consequitur formam orătionis masculam, vigore insignem, sibi plane propriam, quam apud alium nullum poetam elegiacum invenias.* De quo nunc explicabo. Primum igitur sic in duo membra discedere solet distichon per διχοτομίαν divisum:

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.

Aut: Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.

Est haec simplicissima forma ubique obvia in his carminibus. Sed potest etiam alterutrum membrum nova divisione dividi, ut:

Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo,

ubi duae sunt primariae partes sententiae, prior vero in duo minora momenta dispescitur per διχοτομίαν,

quemadmodum pluribus in Commentario ad illum locum explicui. Similis res in hoc:

Urentur facies, urentur sole capilli,
Deteret invalidos et via longa pedes.

et in hoc:

Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes,

ubi hexameter bipartito de superioribus partibus corporis, pentameter de pedibus agit. Atque ita in aliis. Vidisti in omnibus allatis exemplis duas primarias partes sententiae; dixi vero etiam tripartitam divisionem reperiri interdum. Sic in hoc:

Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face,

et in hoc:

Ure meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca.

Neque tamen frequens res; legitima est bipartita forma. Ad hanc igitur redeamus, et persequamur nunc ceteras distichorum formas, in quibus ea comparet. Ac primum quidem est ubi opposita sententia praecedit, tum divisio sequitur, ut in his:

Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.

Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.

Nec pecudes velut ante petit (*Amor*): fixisse puellas
Gestit et audaces perdomuisse viros.

In aliis locis sententia prior generalis est, sequitur specialis divisa partibus:

Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
Femina perfractas conquerilurque fores.

Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.

Casta placent superis: pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Subiicio nunc conditionales, finales, causales, relativas sententias, ubi bipartita alterutra pars:

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

Saepe ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.

Et si quid peccasse puter, ducarque capillis
Immerito pronas proripiarque vias.

At mihi servandam credas: non saeva recuso
Verbera, detracto non ego vincla pedum.

Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.

Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.

Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu.

Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret aut rapta praemia veste petat.

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet et rixas inseruisse iuvat.

Desistas lacrimare puer: non frangitur illa
Et tua iam fletu lumina fessa tument.

Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.

Praeterea etiam per duo disticha extenditur bipartita divisio, ut 1, 6, 25:

Saepe, velut gemmas eius signumque probarem,
Per causam memini me tetigisse manum:
Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.

Adde I, 5, 37-39. I, 9, 25-28. II, 4, 7-10. 21-24. et alias. Quemadmodum etiam tripartita divisio latius potest extendi, cf. I, 6, 11-14, et 77-80. I, 8, 43-46. Atque ita vides quantum pateat divisio per omnia genera periodorum, quam cum supra unum ex praestantissimis artificiis orationis elegiacae dixerim, *hoc ipso Tibullus sic usus est ut alius nemo.* Modo ubique eo attendas. Atque observa mecum, quantopere acuat haec res orationem concinnitate nervosa et oppositione multiplici rerum et verborum. Primum simplicitate et perspicuitate distinctae sunt hae divisiones; cum vero langueant obscurae, artificiosae, longe petitae, vigorem habent simplices, clarae, perspicuae, veluti messes et vina, facies et capilli, caput et pedes, vestes et amictus, aurum et agri, undae maris et venti, imbres et fulmina,

caedes et raptus, mors et senectus, aliaque multa similia coniuncta. Dicas non talem rationem distichi I, 8, 19:

Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
    Cantus et iratae detinet anguis iter.

Verum notissima erant haec miracula magiae et poeta moveri dicit cantu quae immobilia sint, inhiberi et detineri quae maxime mobilia. Exemplis rarissime utitur Tibullus, ut infra videbimus; ubi vero utitur, etiam haec concinne componit, ut I, 4, 17:

Longa dies homini docuit parere leones,
    Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
    Annus agit certa lucida signa vice.

Dicit poeta paulatim sub iuga colla daturum puerum. Ac primum quidem apte domitos leones et ex inanimatis rebus saxa mollita aqua componit; cumque ubi de frugum incrementis, flore, maturitate sermo, ultro in mentem veniant siderum in caelo ortus et occasus, vides etiam alterius distichi membra sibi optime respondere. Non habuit hoc necessarium Propertius, ut infra ostendam; nunc persequor propositum finem. Dicebam divisiones sententiarum in partes ubique obvias apud Tibullum, quas monebam nunquam artificiosas esse et languidas, sed faciles et perspicua concinnitate nervosas. Videbimus nunc ut etiam verborum singulorum varia oppositione egregie corroboret eas poeta, et vim distichorum augeat. Sic in loco supra allato I, 1, 7:

Ipse seram teneras maturo tempore vites
    Rusticus et facili grandia poma manu,

epitheta *tenerae* et *grandia* opposita sunt quemadmodum vites et poma. Qualia passim neglexerunt interpretes, cum non viderent quam multa in his distichis ex oppo-

sitionibus explicanda sint, veluti Vossius in hoc loco male eximia interpretatur *grandia*, qui tamen paullo post v. *desertum* et *in trivio* bene perspexerat sibi opposita esse. Sed tu nunc illud sentis epitheta *tenerae* et *grandia* etsi ex natura istarum rerum petita, minime tamen otiosa et superflua esse, sed acuendae oppositionis causa addita praeclaram vim habere. Etiam in hoc:

Hic quia fortis adest audacia, cepit, at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas,

quis otiosum dicat *fortis*, et non sentiat consulto duplicatam vim nominis propter oppositionem? Tenenda haec observatio imprimis etiam ibi, ubi nonnisi alterutrum substantivum adiectivo ornatum est, ut in hoc I, 4, 11:

Hic placet, angustis quod equum compescit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

Sunt duo satis nota exercitia puerorum, et opponitur equo (rapido) habenis compescendo placida aqua. Quare fallitur Huschkius transpositionem *niveo placidam* commendans, et Vossius *facilem* corrigens. Non fecissent, si ad usum oppositionis accuratius attendissent apud poetam. Neminem latuerit oppositio in hoc I, 8, 49:

— — — — — puero quae gloria victo est?
In veteres esto dura, puella, senes,

licet vox *puero* non ornata sit epitheto, et cum I, 2, 72. 73. celeri equo opponuntur boves. Sed pergo ad aliud. Nam praeter substantiva fieri potest ut etiam verba opposita sint, et his una nitatur vis sententiae. Sic I, 2, 17:

Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores,

vv. *limina tentat* et *reserat fores* opposita sunt ut *iuvenis* et

puella, et cum in hexametro praeposuerit *iuvenis*, tamen non vides similiter substantivum *puella* in pentametri initiis collocatum, sed secundum verborum oppositionem nunc ordo vocum institutus est et his etiam ius suum datum, quo facto auctus est manifesto vigor sententiae. Neque enim solius metri causa talia fiunt, quod classicus poeta facile vincit, sed ut omnia quae vim habere possunt in sententia, valeant quam plurimum, atque ita multiplex vis rerum exsistat. Subiicio locum I, 2, 27:

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret aut rapta praemia veste petat,

ubi vides sensum hunc esse: qui corpus vulneret aut vestem rapiat. Sed poeta inverso ordine verba collocavit sic: qui corpora vulneret aut rapiat vestem, s. rapta veste praemia petat, opponens nunc verba *vulnerare* et *rapere*, quae gravior, significantior hic oppositio; atque etiam *ferro* addidit v. *vulneret*, non otiose, sed acuendae sententiae et oppositionis causa. Vulgo hic parum attendunt ad talia, casu posita aut superflua opinantes, in quibus tamen magna vis est. Sed dixi de singulis distichis quantum satis. Procedam igitur longius et considerabo quoque ampliorem usum divisionum, ut tota poetae in hoc genere ars pateat. Etenim fieri potest, ut simul et in singulis distichis habeantur divisiones et oppositiones membrorum, et integra haec disticha ipsa sibi opponantur tanquam maioris sententiae partes. Tale exemplum est I, 1, 29 sqq. aut I, 8, 19 sqq.:

Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

Vidimus supra unitatem primi distichi eo niti, quod

cantus immobilia movere, mobilia inhibere dicatur. Iam praeterea observa ipsorum distichorum oppositionem. Cum enim quae primo disticho continentur, terrestres sint res, his secundo disticho caelestia adduntur, ut sic exsistat aliud maius totum. Addo nunc alia. Dicit I, 6, 17 sqq.:

Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
  Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
  Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.

Hic in primo disticho artes puellae apertas commemorat, opinor, quibus omnino allicit iuvenes, in secundo tecta cum amante colloquia, cum tempus locumque conventus designat; utrumque autem distichon iterum bipartito divisum. Vide porro I, 9, 31 sqq.:

Tunc mihi iurabas nullo te divitis auri
  Pondere, non gemmis vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
  Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.

Memorantur hic duo notissima genera divitiarum, et in primo quidem disticho aurum et gemmae, in altero agri, qui et ipsi bipartiti; nam Campaniam terram frugiferam intellige, ut Falernus ager vitifer est. Vide nunc maiorem compositionem I, 2, 45 sqq.:

Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
  Fluminis haec rapidi carmine vertit iter,
Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
  Elicit et tepido devocat ossa rogo:
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
  Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo:
  Cum libet, aestivo convocat orbe nives.

Opponitur hic secundum distichon primo et tertium quarto, et describitur vis sagae per supera et infera loca pertinens duobus paribus distichorum sic, ut primum superae et inferae res componantur, deinde inverso ordine inferae et superae. Quae admodum suavis forma. Memoravi hunc locum iam supra, cum de compositione descriptionum apud Tibullum dicerem. Sed nunc observa etiam in ipsis distichis quanta sit concinnitas divisionum. Nempe propria fuit Tibullo haec vis ingenii, ut ubique se ei divisiones rerum faciles, commodae offerrent et hanc formam pleraque omnia haberent, quae cogitaret, unde factum ut exquisita pariter ac simplicia in hoc genere felicissime tractaret, quemadmodum nihil est hoc loco in tali genere compositionis perfectius. Adde nunc quod in antecedenti capite formas descriptionum, quibus referta Tibulli poesis est, ad distinctionem accuratam partium notavimus redire omnes, adde quod universae elegiae Tibullianae structuram hac virtute niti vidimus: senties unam eandemque ingenii artisque vim propriam regnantem in minimis et maximis compositionibus huius poeseos. Atque haec obiter; satis dixi de divisionis artificio. — Addo denique aliud consimile. Vidimus ut divisionibus et inde orta oppositione exsistat nervosa quaedam concinnitas membrorum; exsistet vero eadem etiam aliis oppositionibus membrorum, siquidem non in solis divisionibus regnat multiplex vis oppositionis, sed etiam in aliis formis orationis sic fingi possunt sententiae, ut nervosae et concinnae oppositiones oriantur. Vide exempla:

Ferreus ille fuit, qui, *te* cum posset habere,
Maluerit *praedas* stultus et *arma* sequi.

Vidi ego qui *iuvenum* miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla *senem*.

Heu canimus frustra, nec *verbis* victa patescit
Ianua, sed *plena* est percutienda *manu*.

Sed ne te capiant, *primo* si forte negabit
Taedia; *paulatim* sub iuga colla dabit.

Saepe ego tentavi curas depellere vino:
At dolor in lacrimas verterat omne merum.

Haec igitur atque talia patet similem vim habere divisionibus et egregium esse illius rationis complementum. Quemadmodum etiam maiores distichorum et ampliorum locorum oppositiones variae, de quibus supra dictum, sive divisione sive alio modo oriantur, eandem indolem Tibullianae elocutionis et artis referunt, cuius omnino propriae distinctae, discretae nervosius membrorum, distichorum, maiorum locorum rationes. Atque haec hactenus. Iuvat denique post omnia dicta nunc enarrationem brevem *elegiae primae libri primi* subiungere, ut luculento exemplo totum explicatum hucusque genus dicendi Tibullianum cum divisionibus et oppositionibus rerum plurimis ob oculos ponam. Igitur in principio cum sensus sit, otium domesticum se belli molestiis praeferre, primum opes dividuntur in *aurum* et *possessiones agrorum*, quarum rerum coniunctione constant, tum opponuntur in secundo disticho molestiae castrenses nova divisione, quales per *diem* et per *noctem*, descriptae: postremo toti his distichis absolutae sententiae opponitur paupertas et otium paucis contentum. Nunc vide ut hoc tractet. Transit ad negotia rustica, et *teneras vites* et *grandia poma* serere vult, ac sperat *frugum* acervos

et pinguia *musta*, qui *stipitem* veneratur *desertum* in agris et *lapidem* sacrum *in trivio*, et *arborum* fructus *Silvano* apponit, *Cereri* vero coronam *spiceam* promittit, et *pomosis* in hortis *Priapo* signum statuet. Ferunt denique etiam *Lares* munera sua, felicis olim, nunc pauperis agri custodes, et cum *ante vitula* lustraret innumeros iuvencos, *nunc agna* erit exigui soli hostia. Vides quam multae divisiones, quot oppositiones rerum et verborum in paucis distichis. Similis est oratio in sequentibus. Nam postquam otium in praedio oppositum viis militaribus, progreditur ad aliam partem rusticarum rerum, et primum de *agri* dicens cultura, diviso statim iterum hoc negotio in partes suas, interdum *bidente* vertere terram aut *stimulo* boves aratores impellere vult. Iam ab aratione ad *pecuariam* transit. Ac suo pecori *exiguo* aliorum *magnum* gregem opponit, ipse *pastorem* lustrat quotannis et *Palem* placat lacte, in quo nova divisione pastoritiae religionis duos ritus potiores ponit. Denique tractatis singulis generatim invocat deos ut adsint, nec e *mensa* paupere spernant dona nec e *fictilibus* puris. Inde divitias patrum largosque reditus agrorum postponit vitae paucis contentae, et *lectum* iucundum domi praedicat et *somnum* securum prae militia *furorem maris* et tristes *pluvias* ferente, et aurum smaragdosque contemnit ubi fleat discessum cara puella, et dum Messalae *gloriam militarem* laudat, ipse sibi *amorem* Deliae praefert: hanc *spectare* cupit suprema hora, hanc *tenere* deficiente manu. Rursus etiam Delia lugebit Tibulli mortem, nec poterit de funere *iuvenis* nec *virgo* redire siccis oculis, in quo nova oppositione egregia has lacrimas lugentium bellicae gloriae praefert. Inde a luctus cogitatione ad gaudia amoris redit, hortaturque puellam ut

his secum fruatur, antequam *mors* veniat et *senectus*. Postremo denuo repetita oppositio *belli otiique* domestici, *divitiarum* et *paucis contentae vitae* claudit totum. Perspicue ex his cognoscas propriam formam Tibullianae elocutionis, licet fatear argumentum huius elegiae prae aliis favere oppositionibus. Observatum saepe est Albium non imitari Graecos; neque vero solum de singulis locutionibus et constructionibus id dicas, sed *tota haec rhetorica forma orationis* Graecae originis non est, nec Graecis elegicis frequentatae sunt hae divisiones exactae et oppositiones plurimae, quantum coniicere licet, sed Romano poetae propriae.

Sed quoniam supra *amplificationem per repetitionem eiusdem sententiae* dixi alterum palmarium artificium elocutionis elegiacae, age nunc redeamus etiam ad hanc, et persequamur quae de eius usu Tibulli causa hic notanda videntur. Videmus eam satis crebro iam in Graecis fragmentis, cum contra divisiones rarissimae ibi sint. Tibulli rationem haec exempla ostendunt:

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

Parva seges satis est, satis est requiescere lecto
Si licet, et solito membra levare toro.

Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.

Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
Et pretium plena grande referre manu.

Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.

Vides amplificationem simplicissimam; tam parum enim ambae formae sententiae cuiusque differunt ut simillimae sint. Ac graviter reprehendunt locum I, 3, 71:

Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores,

sed iniuria, docente Commentario nostro. Vitiosum etiam hic nihil est, cum minime debilior sit pentametri sententia, et observare simplicitatem poetae debebant, non accusare negligentiam, quae nulla. Usurpatur autem vulgo ita ab eo res, ut sententia in hexametro posita reddatur aliis verbis in pentametro; totum distichon additum video II, 5, 59. in magnificentiori carmine. Neque invenias Tibullum propriis quod verbis dictum deinde amplificare tropicis, veluti Propertius facit I, 5, 3:

Quid tibi vis, insane? meae sentire furores?
Infelix, properas *ultima nosse mala*,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.

Ac semel tantum mythicum genus amplificationis adhibuit in magnificentiori carmine II, 5, 7:

Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Iovi.

Qualia exquisitior ars amat. Saepius vero usurpata Albio illa forma amplificationis, ubi generali sententiae subiicitur eiusdem specialior enuntiatio, aut specialis sententia absolvitur generaliori idem gravius repetente. De qua infra dicam in loco de anaphora, nunc nihil

addo, ne bis tractem idem. Quare hoc loco nihil notandum restat nisi hoc unum, inservire amplificationi interdum etiam relativas sententias, ut I, 1, 15:

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores,

ubi ita addita sunt ultima, ut disertius exornentur antecedentia verba: *tibi sit.* Adde II, 2, 16:

[Nec tibi malueris] quicquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.

Non geographica hic adiecta est explicatio ieiune, sed cum Eoum ad ortum Aurorae et Solis mare pulcherrimum haberetur et pulcherrimis rebus plenum, amplificationis causa patet posita esse verba in laude gemmarum. Denique in hoc I, 2, 77:

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?

verba: *sine amore secundo* explicatius reddi vides ultimo membro. Nam ubi commodum, amplificatio ad partem tantum antecedentium pertinet, ut haec ostendunt exempla et nemo nescit. Haec hactenus; his enim legibus circumscripta est omnino res apud Tibullum, simplicis ea hic formae et parce usurpata, nec tanti momenti quanti apud Propertium, de quo nunc verbum addam. Tibullo cum nervosa simplicitas et vigor nunquam non firmiter incedens proprius esset, placuerunt ei necessario magis istae divisiones, distinctiones, oppositiones membrorum graves; Propertii vero poesis utpote mollis et blanda non frequentat has exactas divisiones et oppositiones, sed magis *similitudinibus sententiarum* amplificare et ornare res gaudet. Concinnitas quidem etiam ab hoc artificio minime abest, sed lenior et mollior forma similitudinum ornatus, acerbior, severior, gravior op-

positio est multiplex membrorum. Igitur Propertius ingeniosus inveniendis variis enuntiationibus eiusdem sententiae exquisitiores modos amplificationis habet. Vide primum haec:

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.

In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas ut prius ire vias.

En agedum dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.

In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit amor.

Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.

Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quaeris amore moram.

Vides quomodo haec differant a Tibullianis. Tibullus simillimas enuntiationes ponit in tali amplificatione; Propertius ingeniosus varietatem maiorem infert et dissimiliora componit suaviter, dum nihilominus eandem sententiam iterat. Ac cum Tibulli amplificationes semper breves sint, Propertius etiam diutius continuat hanc tractationis formam, veluti V, 11, init.:

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.

Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Ubi per quattuor disticha eadem sententia alio atque alio modo expressa habetur. Frustra talia quaeras apud Tibullum. Pertinent vero eodem comparationes et exempla e rerum natura et vita hominum, imprimis e mythologia petita plurima, quo ornatu tota Propertii poesis distincta: nam etiam haec eum finem habent, ut eadem res et sententia alio atque alio modo monstretur et illustretur. In quo non oppositiones quaerit Propertius, sed varietatem tantum iucundam, veluti sic I, 2, 9 sqq.:

Adspice, quos summittit humus formosa colores
Ut veniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis felicius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis collucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

His confer Tibulli rationem, qui ceteroquin paucissima huiusmodi habet, I, 4, 29:

Quam cito *purpureos* deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus *alba* comas!

ubi oppositio manifesta. Verum haec hactenus. Non id nunc ago ut Propertii elocutionem data opera illustrem totam, quod alio loco faciam; placita Propertio amplificatio qualis sit, indicare volui, et quam vim haec res habeat, ubi de discrimine Tibullianae et Propertianae elocutionis agitur. Ovidius utroque, quod explicuimus, artificio utitur hic illic ubi res fert; quae vero sit propria ratio tractationis suae, supra iam verbo indicavi.

Illud hoc loco restat agendum, ut de *tertio et quarto*

libro huius collectionis verbum addatur. Ac primum quidem carminum eorum, quibus Sulpiciae et Cerinthi amores canuntur, me Tibullum auctorem habere cum aliis supra vidisti. Quamquam igitur haec brevia argumenta divisionibus rerum in partes frequentibus minus apta, tamen hoc artificium Tibullianum passim etiam hic adhibitum videas manifesto, ubi commodum.

IV, 2. Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla:
Urit, seu nivea candida veste venit.

IV, 4. Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sapores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant.

IV, 3. Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
Seu colis umbrosi devia montis aper.

Ibid. Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle *manus?*
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum
Candidaque hamatis *crura* notare rubis?

Collat. Tib. 1, 4, 47: Nec te paeniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse *manus*,
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, *humeri* retia ferre negent.

Quod enim simul bina genera membrorum corporis nominata sunt in his ultimis sententiis, non temere factum puta, sed propter concinnitatem divisionis, quam

miro acumine undequaque ducit Tibullus. Adde denique ibid. IV, 3. novam totius sententiae divisionem vv. *vagari* et *concumbere* notatam. — Veniamus nunc ad *Lygdamum*, apud quem propemodum nihil huiusmodi invenias. Lygdamus amplificare amat, ut ubique videas repetitione eiusdem sententiae; hoc vero artificio minime semper recte utitur, sed saepius tam inepte, ut ad taedium usque cumulet idem. Vide modo haec III, 4, 85 sqq.:

Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimaera fero,
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus horrendave Syrtis.

Eiusdem perversi iudicii est enumeratio longa scelerum, quae non admiserit III, 5, 7-14. (cum quo loco confer Tibullum I, 3, 51. 52. optime intra iustos fines se continentem), postremo tota elegia tertia, ubi propemodum ubique repetitur idem, divitias se contemnere prae amore. Haec igitur mala sunt, alia sine vitio, elegantes vero modos amplificationis, quales apud Propertium, nusquam video. Atque haec de his. Divisionum vero ars Tibulliana, ut iam supra dixi, abest ab oratione Lygdami (omnino perraro utitur divisione. Quod III, 2. ritus sepulcrales per partes enumerantur, profecto in eo nemo vim Tibulli viderit ubique et in omni re divisiones membrorum facillime invenientis); quae res tam aperta est, ut iure mireris non animadvertisse eos, qui Tibullum auctorem huius libri habuerunt et habent. Plane non factum erat huius poetae ingenium ad hanc formam nervosam elocutionis fingendam, qui omnino vi multo inferior est Albio.

Nam ut nunc verbo dicam quod res est, primum apertum discrimen inter elocutionem Tibulli et Lygdami hoc puta, quod proprius vigor Tibullianae dictionis abest a Lygdami verbis. Loquitur quaevis pagina; tamen operae pretium exemplis aliquot rem illustrare disertius. Cum flebilis sit utriusque poetae Musa, vide mihi v. c. hunc praeclarum locum Tibulli II, 4, 7 sqq.; frustra quaeras apud Lygdamum vel ex parte similia his nervosis verbis:

O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
Omnia nam tristi tempora felle madent.

Sed comparabimus aliquot locos utriusque poetae inter se, ut clarius videas discrimen. Tibullus dicit II, 6, 15:

Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licet, exstinctas adspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.

Lygdamus III, 2, init.:

Qui primus caram iuveni carumque puellae
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor:
Nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram —.

Quam ut ita dicam lenis et placida est oratio hominis desperatum consilium captum narrantis comparata cum Tibulli affectu et impetuoso verborum flumine, qui tamen non vult vitam leto finire! De figura pathetica, anaphora, mox plura explicabo, nunc uterque ea utitur, sed Tibullus praeterea apostrophen addit et imprecationis iras. Ad iudicandam autem formulam: *Qui primus — ferreus ille fuit* confer hoc Tibulli distichon I, 10, 1:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!

Ut discas quid sit gravissime dicere. Sed mitto hunc locum, fortiora etiam haec I, 2, 67:

Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi,

et II, 3, 1: Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam:
Ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.

ubi vides praemissum colon: ferreus est, ferreus ille fuit, nervosiore collocatione, quod Lygdamus postposuit. At plane ieiunum et ineptum est illud: *Ergo* cum fuero. — Veniamus ad aliud par locorum. Tibullus dicit I, 3, 1. sqq.:

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
Abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor.

Lygdamus III, 5, 1 sqq. ita:

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus:
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
Immerito iuveni parce nocere, dea.

Uterque locus oppositionem continet; Tibullus abeuntes alloquitur comites, ipse aeger in Corcyra retentus solus, Lygdamus profectos ad undas salubres amicos, dum ipse domi febri gravi correptus iacet. Ac minime vitupero oppositionem, quam Lygdamus posuit poeticam, at vide mihi affectum Tibulli: *Abstineas avidas Mors precor atra manus, Abstineas Mors atra precor,* et compara Lygdami versum: *Immerito iuveni parce nocere, dea.* Similiter sequentia verba utriusque carminis si perlustraveris, videbis apud Tibullum vim, vigorem, fluminis instar ruentem affectum, cum Lygdami verba multo leniora sint et nusquam fortius insurgant. — Postremo affero aliud par locorum, ubi laeta res tractatur. Lygdamus de sperata reconciliatione loquens dicit III, 3, 25:

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!

Tibullus reditum ad Deliam e Corcyra felicem, quem sperat, describens magnificentius ita: I, 3, fin.

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Haec hactenus. Est igitur Lygdamus longe inferior vi Tibullo, quod cum dico, non continuo postulo ut omnes poetae insignem Tibulli vim habeant, sed illud ago ut differentiam explicem. Quamquam apud Lygdamum quidem nimis raro nervosius quid reperias, qualis hic est III, 6, 56. versus: *Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.* — Aliud discrimen aeque magnum inter Tibullum et Lygdamum hoc est, quod cum ille emendatae, tersae elocutionis arte excellat et accurato iudicio, Lygdamo parva vis iudicii fuit et infantia dicendi ea, ut permulta inepta, putida, male dicta habeat, raro autem carentes vitio locos scripserit et qui laudari possint.

Notavi supra ineptum amplificationis studium, nunc alia nonnulla male dicta ponam. Sic III, 1, 19. 20. legitur:

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est
An minor, an toto pectore deciderim.

Tres gradus in amore displicuerunt iam Heynio et Eichstadio. Alius simpliciter dixisset: Si nostri mutua cura est an exciderim pectore. Lygdamus autem putide omnia enumerat, ut alias, quae cogitari possunt, non dici debent. — Alio loco III, 2, 11. 12. dicit:

Ante meum veniat longos incompta capillos
Et fleat ante meum maesta Neaera rogum,

ubi *ante meum* male repetitum vides, cum alia voci *fleat* addi deberent. Alia inepta repetitio est III, 4, 49. 50:

Quare ego, quae dico non fallax accipe vates,
Quodque deus vero Cynthius ore feram.

Porro III, 6, 47. 48. dicit:

Etsi perque suos fallax iuravit ocellos
Iunonemque suam perque suam Venerem,
Nulla fides inerit:

ubi Huschkius notavit mire dictum: etsi fallax iuravit — nulla tamen fides inerit fallaci aut iuramento falso. Mox ibidem legis v. 53. 54:

Quam vellem tecum longas requiescere noctes
Et tecum longos pervigilare dies!

ubi cui placere potest, quod oppositionis acutae quaesitae causa dixit: longos pervigilare dies? Quanto melius Tibullus scripsit I, 2, 73:

Ipse boves, mea sim tecum modo Delia, possim
Iungere et in solo pascere monte pecus:
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis et inculta sit mihi somnus humo.

Venio ad alium locum. Vidisti supra haec:

Vos tenet Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus.

Hic superflua est oppositio: unda sub aestivum non adeunda Canem, ut vidit iam Heynius. Omnino dici debebat: Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda Baiarum proxima lymphis. Vides ut vario modo, alias aliter, peccet Lygdamus. Adde nunc alia mendosa III, 1, 8. 9 et 16. III, 2, init. III, 3, 27 sqq. coll. 35 sqq. Porro III, 4, 11. 40. 41. 42. 51. 52. 68. 71. III, 5, 8. et quae praeterea in Commentario notamus. Iam ad Tibullum revertamur.

B.

Postquam generatim de elocutione Tibulli dictum est, quae eius maxime propria forma sit, nunc ad *specialia* progredior, et quae mihi ex hoc genere maxime notanda videntur, ad capita nonnulla revocabo. Ac cum in superioribus vi insignem esse intellexerimus Tibullum, persequar primum ea, quae praeterea pertinent *ad hanc vim orationis* declarandam, deinde etiam de *simplicitate* poetae explicabo specialiter, ut promisi in introitu disputationis, quamquam hae duae res non ita separari possunt, ut dum unam tractes, non tangas hic illic alteram.

Ac primum quidem *Schemata nonnulla pathetica* explicabo; nam quid aliud nunc prius ponas de Tibullo dicens? Alienum hic fuerit omnia schemata elocutionis pathetica enumerare, quae multa et varia apud scriptores obvia, alia simpliciora, alia exquisitiora; ac pleraque

natura docuit, quaedam ars invenit. Colligam ea alio loco, nunc seligo quae huius sunt loci. Ac ne de Exclamatione dicam, etiam *Interrogatione* modice utitur Tibullus et in eodem quidem loco ad summum ter. Quod igitur v. c. apud Propertium est, II, 20, 1 sqq.:

> Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
> Anxia captiva tristius Andromacha?
> Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
> Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?

aut cum apud eundem I, 8. per octo versus haec forma regnat, non invenias apud Tibullum. Hic semel diutius eam continuavit I, 7, 13 sqq. in enumeratione locorum quae Messala pacaverit, quod ibi magnifice factum ad illustrandam multitudinis speciem; alias ubique simplicior est et mox ad alias formas transit, credo quod artificiosius auctum πάθος non amabat. — Accedo ad *apostrophen*, qua persaepe utitur, cum alacritas ingenii vivida phantasiae poetae nunc hic nunc illic pro tertia persona secundam crescente ardore inferret, quae res etiam variandae orationi pulchre inservit. Sic in prima elegia libri primi alloquitur Cererem et mox Lares, deinde fures luposque, tum divos, porro Messalam et Deliam, postremo signa tubasque, et similiter in ceteris. Ac doceat exemplum allatum simul quo in genere rerum se contineat Tibulli poesis, qui nec sidera alloquitur nec aërem et ventos, aut flumina, montes, valles et similia, quae et ex aliis generibus poeseos nota nec ab elegia aliena sunt. Sed in his carminibus nullae sunt ad rerum naturam directae querelae. Verum de usu apostrophes etiam alia notanda video. Primum enim aliquoties factum, ut eiusdem subiecti post tertiam

personam continuo secundam poneret magna cum vi, cf. II, 4, 5:

Et seu quid merui seu quid peccavimus, urit.
Uror io: remove, saeva puella, faces!

et II, 6, 27:

Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam!

Adde I, 7, 51 sqq. Similem transitum Lygdamus habet III, 4, 3. Audacior vero Propertius, qui in continuatione eiusdem periodi ad secundam transit, ut II, 9, 13 sqq.:

Foedavitque comas, et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat cet.

Adde III, 7, 11. et Lachmannum ad hunc locum imprimisque ad III, 13. pag. 285. Quae res aliena a Tibulli simplicitate. Hic vero transitum a secunda persona ad tertiam hunc habet I, 2, 35:

Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
Obvia.

I, 6, 39:

Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu,

quos locos nulla necessitate cogente olim mutatos recte in integrum restituit Lachmannus. Nam secunda persona in hortatione utitur poeta, tertia in designatione subiecti, quo nihil aptius. Postremo illud restat de apostrophes usu notandum, Tibullum non amare multas diversarum personarum aut rerum allocutiones continuo ponere, sed variat orationem interposita tertia persona, veluti sic I, 1, 15:

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

ubi vides inter Cereris et Larium apostrophen alius formae distichon positum. Ac vulgo ad summum bis admittit hanc figuram continuo, quam Lygdamus quatter repetiit III, 6, init. contra Albii morem. Apud hunc ter ea utitur Sibylla vaticinans II, 5, 51 sqq. invitante ipso tali vividiore motu animi. In exitu carminis septimi libri primi ubi multa coarctantur, tamen variatio non deest. Nam postquam Osirin vocavit, ad Genii allocutionem non continuo, sed interiecto alius formae disticho transit; inde ad Messalam se convertit, unde in fine ad Genium redit. Sed nihil luculentius in hoc genere initio eleg. prim. libri secundi, unde discas ut etiam in tali loco poeta variaverit dicendi formas, ubi ubique exspectes secundam personam. Ac primum recte Lachmannus initio eiecisse videtur coniecturam Dousae *Quisquis ades, faveas*; secundae personae vim Tibullus sequenti disticho reservavit, ubi dii vocantur. Hinc vide ut primum denuo tertia persona v. 5. 6. succedat. Tum alloquitur singula genera agrestium v. 7., v. 11., interponit vero etiam hic alteram formam indirectam tertiae personae v. 11., reductam a Lachmanno, cum correctorum mala sedulitas secundam intulisset. Sic finitur introitus. Sequitur res divina, ubi poeta primum omnes agrestes praesentes alloquitur, quos ante per partes allocutus erat, tum preces facit ad deos. Atque haec hactenus. Iure iudicavit Tibullus non augeri, sed frangi

vim orationis nimis diu continuata apostrophe, quare ne ternarium quidem numerum saepe posuit. — Veniamus nunc ad *repetitionis schemata*, quorum usus plurimus in prosa oratione et poesi, unde iam rhetores veteres saepe de iis notarunt. Talis vero est primum *anaphora*, h. e. repetitio vocis gravissimae, particulae, pronominis, adiectivi, substantivi, verbi in initiis sententiarum, membrorum se excipientium, sensu vero cohaerentium (potest tamen vox repetenda etiam post initium collocari interdum praemissis aliis verbis nonnullis). Habet ea alacritatem, vigorem, calorem, et in omni vivida oratione ultro se offert, sive affectus adsit proprie dictus, sive alia causa alacrius, fortius dicendi genus postulat, veluti Hom. Odyss. III, 430 sqq. in narratione:

Ὣς ἔφαθ᾽· οἱ δ᾽ ἄρα πάντες ἐποίπνυον· ἦλθε μὲν ἄρ βοῦς
ἐκ πεδίου, ἦλθον δὲ θοῆς παρὰ νηὸς ἐΐσης
Τηλεμάχου ἕταροι μεγαλήτορος· ἦλθε δὲ χαλκεύς sqq.

ubi manifestum est postquam dictum: *οἱ δ᾽ ἄρα πάντες ἐποίπνυον*, repetito verbo *ἦλθεν* hanc alacritatem in parando sacrificio depingi, natura suapte vi ducente poetam, ut ita poneret. *Sed a nullo saepius usurpatum hoc schema quam a Tibullo*, cuius rei causa satis clara post ea, quae de vigore poeseos Tibullianae et de forma orationis in his distichis praevalente supra dicta sunt. Nam primum quidem regnat anaphora et propriam sedem habet in istis *divisionibus*, quas supra explicui:

Illa favet seu quis iuvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores:
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono,

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feras Hecates perdomuisse canes.

Tu mihi curarum requies, *tu* nocte vel atra
Lumen, et in solis *tu* mihi turba locis.

Notat Wunderlichius ad I, 2, 48. et alias ultimum membrum passim per simplicem copulam annecti. Sed non accurate dixit, cum variae possint esse locorum rationes. *Primum* haec potest esse causa, ut commodius et rotundius claudatur distichon, v. c. I, 8, 14:

Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.

Hic per logicam anaphora repeti poterat; nam etiam ibi, ubi antecedens versus dividitur membris, quae tali compositae sententiae subiicitur alia vi compar potest anaphoram habere, ut videbis II, 1, 43 sqq.:

— — — — — *tunc* consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas,
Aurea *tunc* pressos pedibus dedit uva liquores
Mixtaque securo est sobria lympha mero,

ubi in priore disticho de cibo loquitur, pomum dico et olera horti, in altero de potu. Sed ibi repetitur anaphora cum novum distichon non posset carere eius vi, at I, 8, 14. abest, cum claudatur distichon. — *Deinde* fieri potest, ut sensus et consilium loci excludat anaphoram, ubi quae insunt membra ad maiorem nunc unitatem revocari debent. Sic distichon I, 2, 47. 48:

Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
Elicit et tepido devocat ossa rogo:

in Commentario docuimus consulto ad unum titulum praefixo communi pronomine *Haec* revocatum, ut sic opponatur antecedenti disticho; repetitio pronominis ante *tepido* turbaret verum sensum. Quod igitur Wunderlichius *haec* omissum censet ante *tepido*, in eo fallitur; alio in loco dividi posset hoc modo distichon, nunc autem non potest, non debuit. Vide nunc alium locum I, 7, 29 sqq.:

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
  Et teneram ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertae commisit semina terrae
  Pomaque non notis legit ab arboribus.

Hic per se poterat quatter poni *primus*, ut I, 9, 31-34. quattuor sic divisa membra vides. Sed illic apta res in obiurgatione gravissima, vulgo autem, ubi multa recensentur, ut nunc sunt Osiridis laudes, praestat singula arctius contrahere in unitates maiores. Sic quae aliis in locis fortius disiungi possunt repetita anaphora, est ubi melius coniungantur copula. Quae res iudicium accuratum postulat. Haec hactenus. — *Postremo* distinguo eos locos, ubi omnino non licet per logicam repetere anaphoram, cum diversa sit ratio membrorum, ut I, 2, 22. loco supra allato:

Illa viro coram nutus conferre loquaces
  Blandaque compositis abdere verba notis.

Aut I, 6, 22:

Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
  Ne trahat et mensae ducat in orbe notas,

ubi non continuatur divisio rerum logica ad finem, sed ultimo membro antecedens sententia aliis verbis redditur. Iam diximus quantum satis de his rebus. Redeo in viam. Utitur Tibullus, ut dixi, anaphora in divisio-

nibus frequentissime, et vides nunc disticha, nunc versus distichorum, nunc membra versuum hac figura distincta nervose; talis etiam elegans in pentametro usus est hic:

> Despiciam dites, despiciamque famem.
> Deficiunt artes, deficiuntque doli.
> Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

Sed veniendum ad alia est. Vidimus usum anaphorae in divisionibus, potest vero ea etiam *in amplificatione per similia* locum habere, quam dixi, ubi additur antecedenti eiusdem quod sit sententiae. Sic in hoc:

> Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
> Ingenio.

Quod per se clarum. Aliud hoc est:

> Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
> Tum brevior dirae mortis aperta via est.

Perspicuum est non dividi hic totum in partes, sed cum caedes domi militiaeque fiant, post generalius verbum crescente affectu specialius ponit, quod maximum genus caedis designet. Postremo alio modo totam sententiam denuo reddit pentameter generalius. Sed iuvat hunc progressum anaphorae nunc a generaliori ad specialius, nunc a speciali ad generalius notabilem persequi uberius exemplis. Igitur sententia generalior per amplificationem explicatur specialius cum anaphora sic:

> *Spes* alit agricolas, *Spes* sulcis credit aratis
> Semina, quae magno foenore reddat ager.

> *Hinc* et femineus labor est, *hinc* pensa colusque
> Fusus et apposito pollice versat opus.

Ac *dividitur* etiam specialis sententia pluribus membris, ut par est:

Illa mihi sancta est, *illius* dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
Et mea cum muto fata querar cinere.

Pauper erit praesto tibi semper, *pauper* adibit
Primus et in tenero fixus erit latere,
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subiicietque manus efficietque viam,
Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Vinctaque de niveo detrahet ipse pede.

Contrarium progressum anaphorae a specialibus ad generalius in his vide:

Sit satis e membris tenuem perscindere vestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comae,
Sit lacrimas movisse satis.

Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.

Praecedunt enim etiam hic, ut in antecedenti loco, duo vi paria membra per divisionem, *nunc caedes et vulnera, nunc mare*, tum toti sic compositae sententiae additur generalis. Atque ita coniungitur in his exemplis alias aliter duplex anaphorae usus, quem explicamus. Haec hactenus. Postquam duos legitimos modos anaphorae persecuti sumus, verbo in fine distinguamus eos locos, ubi nulla talis ratio membrorum, ut:

Tum veniam subito nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudatos Delia curre pede.

Perspicuum est diverso modo poni repetitam particulam, neque habetur hic vera anaphora, quae *continuam seriem*

membrorum postulat sive parium vi, sive per gradationem coniunctorum. — Postremo de *Lygdamo* quaeras. Cum huius poesis remissior sit et vigore maiore careat, raro utitur anaphora, ut facile exspectes. Nervosior locus est III, 6, 13 sqq.:

Ille facit mites animos deus, ille ferocem
 Contudit et dominae misit in arbitrium,
Armenias tigres et fulvas ille leaenas
 Vicit et indomitis mollia corda dedit,

sed diu quaeras hic alium similem. Ubi invenias illas praeclaras divisiones, oppositiones, gradationes, in quibus apud Tibullum anaphora splendet? Nempe haec figura etiam inventionem postulat et varietatem felicem sententiarum, qualem Tibullo ingenii ubertas suppeditabat, Lygdamo autem non donaverant dii. Saepius vero deprehendas usum anaphorae nervosiorem, ubi res ferebat, in elegidiis quarti libri, maxime carm. 2. et 3., et hic illic in ceteris, ut ipsum Tibullum audire tibi videaris. — Diximus de anaphora; transeo *ad cetera schemata huius generis.* Est autem *aliud* notabile *genus repetitionis in oppositis sententiis*, cum pro pronomine demonstrativo significantius et magis poetice inter verba secundi loci ipsum nomen, ipsum verbum, ipsa phrasis prior redit, ut Tib. I, 4, 74:

Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore:
 Sed *Titium* coniunx haec meminisse vetat.

pr. sed eum. Porro II, 4, 51:

Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi *vera?*

pr. sed quid mihi prosunt haec?
Vide etiam II, 6, 11:

Magna loquor, sed magnifice mihi *magna locuto*
 Excutiunt clausae fortia verba fores.

Adde ibid. v. 14. et II, 4, 3. et I, 9, 11. 12. Pergo ad alia. — *Epanalepsin* totius sententiae gravem Tibullus habet I, 3, 4. 5:

Abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor,

ubi in Explicatione etiam alia adduximus. Referas huc etiam talia I, 1, 23. IV, 5, 7. Habet haec figura apud Tibullum simul hunc usum, ut transitus ad sequentia muniatur, in quam rem conf. I, 1, 63. Quod porro nota etiam ita fieri, ut post maius intervallum ad novum locum introducendum repetatur sive iisdem sive aliis verbis superior sententia, ut I, 6, 37. coll. v. 23. et I, 10, 25. coll. v. 15. Atque etiam clauditur tali repetitione commode locus antecedens, dum praeparatur sequens, ut I, 3, 51. 52. quo disticho repetitur votum superius v. 33. 34., et II, 4, 20. coll. v. 15. ibid. et I, 5, 17. Adde I, 2, 23. 24. ubi amplificata sententia redit ad initium loci v. 16. Nam repetitiones hae aut iisdem verbis fiunt, aut ubi aliis, vel breviores sunt, vel quod plerumque aptius, ampliores, atque hoc ultimum etiam ad Pindarum notavi Nem. VIII, 34. Atque haec hactenus. — Postquam de potioribus repetitionis schematis apud Tibullum dixi, restat ut *rariora* quaedam afferam. Cum finis antecedentis sententiae in initio sequentis repetitur, *anastrophen* et *epanastrophen* dicunt veteres, ut Tib. I, 1, 45:

Parva seges satis est, satis est, requiescere lecto
Si licet.

Adde II, 5, 117; quod schema apud poetas frequentius esse quam in prosa oratione annotarunt iam veteres. In Albii tamen carminibus rara res, quod casu potuit factum esse. Quod vero etiam usurpatam in con-

tinuatione sententiae pro relativo suaviter a veteribus repetitionem nominis in secundi versus initio, ubi iam accuratius designatur res indicata, raro adhibuit, non credo casu factum. Dicit II, 2, 18. 19:

Flavaque coniugio vincula portet Amor,
Vincula, quae maneant semper cet.

et II, 5, 30. 31:

Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,

nervosius ut sit initium hexametri s. distichi sequentis (similis Lygdami usus, III, 5, 2); sed hoc res ipsa docet non posse saepe iterari. Omnino hoc schema plerumque exquisitius est et pro ratione locorum nunc magnificentiam quandam habet ut in epica poesi v. c. Virg. Aen. X, 180:

— — — — — Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens,

ne de Homero dicam, nunc mollissimum est et affectui molliori inservit aut venustati, ut in elegia Propertii, v. c. I, 3, 25:

Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu.

et ibid. 31:

Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus cet.

et I, 11, 29:

Tu modo quam primum corruptas desere Baias.
Multis ista dabant littora dissidium,
Littora, quae fuerant castis inimica puellis.

Adde II, 1, 52. II, 7, 18. Sed hic usus alienus a Tibulli poesi. Aliena etiam *epanadiplosis* est, v. c. Ah Corydon, Corydon! aut apud Horat. Occidit, occidit

spes omnis et fortuna nostri nominis Hasdrubale interemto, aut si Graece dicas: *δεινά, δεινὰ πεπόνθαμεν,* quales tragicis tantopere frequentatae eiusdem vocis in eadem sententia repetitiones. Afferas e Tibullo haec I, 3, 27:

Nunc dea, nunc succurre mihi,

et IV, 3, 15:

Tunc mihi, tunc placeant silvae,

neque in tali vividiore repetitione particularum temporalium quidquam est quod non conveniat his carminibus, vera autem vis figurae ubi substantiva, adiectiva, verba sic repetuntur significantia, gravius aut mollius *πάθος* habet quam pro simplicitate Tibulli, veluti illud Propertii mollissimum I, 20, 32:

Ah dolor ibat Hylas, ibat, Hamadryasin,

nullo modo poterat dicere Tibullus. Nec denique *prosapodosis*, qualis v. c. in his: *βοὰν ἀΰτω, βοάν,* quaeri debet in hac poesi; non omnia conveniunt omnibus. Atque haec quidem de his. Vidimus vim, vigorem, gravitatem horum schematum, et quid huiusmodi Tibulli poesis habeat; recordabitur vero lector non solum *πρὸς δεινότητα,* sed etiam *ἐπὶ χάριτος,* ad venustatem adhiberi repetitiones verborum et lusum suavem habere posse in certis locis et sententiis, cuius rei plena est v. c. Propertii poesis et Bucolica. Sic quis nescit v. c. haec Theocritea anaphorae exempla VIII, 3:

Ἄμφω τώγ᾽ ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν,

et v. 11:

Χρῄσδεις ὦν ἐσιδεῖν, χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;
Χρῄσδω τοῦτ᾽ ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.

aut Propertii illud I, 3, 21 sqq. *Et modo* ut 14, 3. 4. suavissime repetentis:

Et modo solvebam nostra de fronte corollas
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

Tale porro hoc est epanadiploseos exemplum dulcissimum apud Homerum Il. XXII, 127:

Οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης
Τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε,
Παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

Sed pertinent huc imprimis etiam artificiosiora quaedam genera in antecedentibus, ubi locum non habebant, a me nondum memorata. Sic Propertius I, 21, 26 sqq. dicit suavissime:

Hunc super et Zetes, hunc super et Calais
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina manu.

Nec minus elegantes sunt protaseos et apodoseos compositiones tales, II, 18, 11:

Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego et tibi sim filius unus ego.

aut II, 3, 43:

Sive illam Hesperiis sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

Apud Tibullum, cuius poesis aliena a lusibus etsi iucundis, nihil est ex toto hoc genere nisi unum hoc IV, 2, 9. 10:

Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis,

ubi tamen fallitur Huschkius *fudit* pr. *solvit* coniiciens; neque enim data opera quaerit lusum poeta accurata responsione verborum, sed tangit tantum leviter hoc

genus schematum, quo forte istius descriptionis ratio duxerat. Exempla ceteroquin plura schematis in Commentario vide etiam ex Ovidio, qui saepe usurpavit. Atque haec quidem de his; neque enim data opera totum locum de venustis schematis repetitionum tractare volo, qui Tibullum, non alios poetas hic explicem. — Praeter allata pathetica schemata cum etiam alia multa apud scriptores habeantur, hic quidem primum praeterire non debeo *συναθροισμόν*, sive *congeriem rerum nervosam*, aeque aptam in obiurgatione et querela atque in laeto argumento, in qua eximia vis est. Huius generis apud Tibullum est praeclarus locus I, 7, 43 sqq. de Osiri:

Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
  Sed chorus et cantus et levis aptus amor,
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conscia cista sacris.

in quo sentis quantum sit alacritatis et vigoris, succurrente suaviter etiam repetitione anaphorica particularum *sed* atque *et*. — Vide porro illud alacre schema, quod *omissione particulae si* oritur, notatum ad I, 6, 53. — Postremo memoro, ne quid gravius omittam, *transitum subitum ab oratione obliqua ad directam*, *ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ εἰς τὸ μιμητικὸν γένος*, de quo plura vide ad I, 5, 21. Nihil iniucundius sit et languidius in poesi narratione, quae obliquae orationis formam habeat; quare ultro se obtulit haec mutatio tam nervosa et vivida, etiam a prosa oratione non aliena. Tibullus pulchra exempla habet. Et nunc absolvimus hoc caput rerum.

Postquam de schematis quibusdam patheticis imprimisque de repetitionis figuris explicuimus in vigore orationis augendo tanti momenti, nunc etiam de *variatione* orationis quaerendum dicas, quae et ipsa ab alia parte hunc vigorem sustentat, nec sinit languescere verborum cursum. Nempe variatio etiam ornatum magnum affert orationi, ut constat, ubi studiosius tractatur, ac potest multis modis variari oratio; apud Tibullum vero simplicior est, et ubi adhibetur, minus ornatus spectatur quam vis et alacritas orationis. Atque ut primum de singulis distichis dicam, cum in his magna concinnitas membrorum regnet apud Tibullum, raro variatur oratio, ubi autem fit, levior est mutatio, talis tamen qua vis aut magnitudo iusta ultimo membro afferatur et vix semel detrimentum ceperit concinnitas. Vide locos ipsos.

I, 2, 32:

Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.

I, 9, 14:

Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorem
Detrahet et ventis horrida facta coma.
(pr. et venti horridam com. facientes.)

I, 3, 17:

Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

II, 5, 71:

Hae fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
(Alias mutationes modorum non habet.)

I, 4, 11:

Hic placet, angustis quod equum compescit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam:

Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
(ubi *quod*, *quia* in altero membro omissum.)

Aliis in locis suaviter novum subiectum infertur in pentametrum cum vi.

I, 2, 82:

Num Veneris magnae violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
(pr. luo.)

I, 3, 63:

At iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue proelia miscet Amor.
(pr. proelia miscent.)

I, 4, 47:

Nec te paeniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse manus.
(Certe sic meliores pr. *opere*.)
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
(pr. humeris — neges.)

I, 8, 53:

Vae miser absenti maestas quam saepe querelas
Coniicit et lacrimis omnia plena madent!
(pr. lacrimis omnia opplet.)

Aliquoties post verbum substantivum *esse* amplior locutio illata in continuatione sententiae, ut

II, 1, 63:

Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et apposito pollice versat opus.

I, 3, 47:

Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber,

qui locus notabilis propter concinnitatem nunc quidem minus quam solet observatam a poeta; nam doceo in Commentario sic iungenda singula: non acies non ira fuit, non bella nec ensis. Haec hactenus. Vides quam simplex sit Tibullus in variatione et quo iudicio ea utatur. Placet vero variatio, ut dixi, quia vigor orationis in progressu etiam sic alitur egregie, siquidem nunc hoc nunc illo modo curat scitus poeta, ut quodque membrum vim idoneam habeat nec langueat usquam continuata oratio. In quam rem nunc etiam alia notabo, quibus utuntur ad augendam vim pentametri. Primum ubi praecedit in hexametro causalis, conditionalis, relativa sententia, illatum in apodosin pronomen *is*, *ille* egregiam vim habet, veluti in gravi affirmatione, hortatione, querela, exsecratione, ut I, 2, 39:

> Siquis et imprudens adspexerit, occulat ille
> Perque deos omnes se meminisse neget.

I, 4, 68:

> At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
> Idaeae currus ille sequatur Opis,

ubi conf. Explicat. et dicta ad II, 3, 26. Atque in finali sententia, ubi subiectum utriusque versus idem, passim in pentametro demum ponitur nomen cum vi. I, 1, 17:

> Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
> Terreat ut saeva falce *Priapus* aves,

aut pro eo infertur pronomen, veluti Propertius facit I, 9, 24:

> Nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
> Ut non alterna presserit *ille* manu.

Aut adiectivum additur, ut Tib. II, 1, 50:

Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci *sedula* melle favos.

Videas eadem in aliis formis enuntiationum. Sic vulgo etiam alias, ubi continuatur idem subiectum, amant interponere *ille*, ne langueat oratio, ut I, 2, 58:

Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet *ille* nihil,

ubi conf. annotationem. Atque addunt omnino in continuatione eiusdem constructionis secundis aut tertiis membris nunc hoc nunc illud ad alendum et augendum vigorem. I, 6, 57:

Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras *aurea* vincit *anus*.

I, 6, 46:

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non *amens* verbera torta timet.

I, 9, 22:

Ure meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et *intorto* verbere terga seca.

II, 1, 68:

Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et *indomitas* dicitur inter equas.

II, 1, 81. 82:

Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
Et procul ardentes hinc *precor* abde faces.

I, 6, 37:

— — — — — — — non saeva recuso
Verbera, detracto non *ego* vincla pedum.

ubi conf. annotationem. Hinc porro talia placent: I, 5, 44. I, 8, 62:

Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
Et fugit ex ipso *saeva puella* toro?

I, 2, 40:

Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is *Venerem* e rapido sentiet esse mari.

I, 8, 2:

Non ego celari possum, quid nutus amantis
Quidve *ferant* miti lenia verba sono.

Ubique obvia talia apud poetas, causa autem vera cur placeant, haec est, ut dixi, quia nova vis sic accedit sequentibus membris periodi, atque in elegia hanc curam pentameter maxime desiderat. Haec hactenus. Postquam enim de variatione orationis in ipsis distichis vidimus et quae cum hac coniuncta, progrediamur nunc etiam longius ultra singulorum distichorum fines. Atque ubi brevioribus sententiis ab alio ad aliud venitur, ipse hic motus etiam elocutioni cum variatione rerum vim conservat, nec verendum ne facile languescat oratio; at in descriptionibus supra explicatis, ubi continuatur diutius idem tenor rerum, operae pretium est videre quomodo intelligens poeta caveat ne minuatur in progressu vis orationis. Quae artificia etiam hic simplicissima sunt, cum cetera ratio tractationis similis maneat nec quidquam artificiosius quaeratur. Ac primum quidem cum supra de *anaphora* dictum sit, haec in longiore descriptione variatur v. c. *sic* I, 2, 45 sqq. *Hanc, haec, Haec.* — *Iam, Iam.* — *Cum libet, Cum libet.* — *Vel* I, 7, 29 sqq. *Primus, Primus.* — *Hic, Hic.* — *Bacchus, Bacchus.* — *Vel* II, 1, 39 sqq. *Illi, illi.* — *Tunc, tunc, tunc, tunc.* — *Rura, Rura.* — *Alio in loco* II, 6, 21 sqq. eiusdem anaphorae repetitionem longiorem interrumpit sic: *Spes, Spes, Haec, haec, Spes.* — Secundo loco affero *mutationem pronominum*, ubi de eadem persona sermo, ut I, 4, 45 sqq. *Haec, Ipsa*, et I, 5, 49 sqq.

illa, *Hanc*, *Ipsa*, et omnino scitam variationem particularum initialium, ut II, 5, 95 sqq. *Tunc.* — *At sibi quisque.* — *Ingeret hic maledicta.* Ubi similes notiones, leviter mutantur locutiones veluti sic II, 5, 45 sqq. *Ecce*, *Ecce.* — *Ante oculos est.* — *Te quoque iam video.* Sunt visiones Sibyllae, quae ibi tractantur. — Veniamus ad alia. Porro enim laudo *Asyndeton*, quod inter schemata potiora orationis numerandum, et ipsum nervosae variationi pulchre inservit. Nam simplici copula iunxit Tibullus ad summum tria disticha, unde I, 3, 75 sqq. ubi quattuor, bina potius per *illic* — *illic* junxit. Asyndeton autem vide in his I, 3, 59:

Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 Dulce sonant tenui gutture carmen aves,
Fert casiam non culta seges cet.

I, 5, 21 sqq.:

Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
 Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
 Pressaque veloci candida musta pede,
Consuescet numerare pecus cet.

Adde I, 6, 21. 9, 15. 10, 55. — Verum sunt etiam alia variationis artificia. Primum *apostrophe* illata et transitus a tertia persona ad hanc, ab hac ad illam, de qua re satis dictum supra; deinde *exclamatio* succedens, ut in hoc I, 3, 15 sqq.:

Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
 Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
 Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter cet.

Nempe nexus hic est: Ipse ego et ante iter inceptum

quaerebam moras et ingressus id. Hoc alterum sententiae membrum, quod simpliciter p. *Saepe etiam* introduci poterat, nunc cum exclamatione infertur nervosius. Adde II, 3, 17. Aliis in locis nova pars rerum cum exclamatione infertur, ut I, 9, 41. II, 4, 27. — Porro affero inter variationis artificia *transitum ab interrogatione ad aliam formam*, ut I, 8, 9 sqq.:

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
  Saepeque mutatas disposuisse comas?
Quid succo splendente genas ornare, quid ungues
  Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus cet.

pro: Quid prodest vestes et amictus mutare? — Alia forma variationis est *temporum mutatio*, ut in descriptione pacis I, 10, 45 sqq. primum praeterita, deinde praesentia vides, et II, 1, 39 sqq. 59 sqq. 73 sqq. in laude ruris, et I, 7, 19 sqq. in laude Osiridis. Aliam mutationem temporum invenies I, 3, 37 sqq. Modos autem variatos I, 1, 11 sqq. — *Porro* ubi obliqua oratio habetur, transitur eadem de caussa mox ad directam, ut I, 2, 91 sqq.:

Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
  Post Veneris vinclis subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce,
  Et manibus canas fingere velle comas:
Stare nec ante fores puduit cet.

Similiter I, 8, 57 sqq. — *Postremo* adde quod nusquam longiores periodos habet Tibullus. Quattuor disticha iunxit in oppositione I, 2, 67. et possunt etiam plura membra sic dividi et disponi per disticha, ut habeat unumquodque vim necessariam, nihilominus Albius non composuit tales periodos, qualis haec I, 11,

9-18. aut haec III, 14, 1-10. Propertii. Multo minus hunc Lygdami locum scribere potuit III, 3, init.:

Quid prodest caelum votis implesse, Neaera,
  Blandaque cum multa tura dedisse prece,
Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
  Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri
  Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
  Inque tuo caderet nostra senecta sinu,
Tunc cum permenso defunctus tempore lucis
  Nudus Lethaea cogerer ire rate?

Quae continuatio obliquae constructionis a Tibulli vigore multum distat. Excipitur enumeratio per singula disticha, ut I, 7, 15 sqq.; nam in tali continuatione inest luculentior declaratio multitudinis. Lygdamus vero etiam alias periodos longiores habet a vi Tibullianae artis alienas, ut III, 4, 51 sqq. ubi statim initium Tibullus nervosius sic composuisset: Quae tam cara tibi — tum clausisset locum certe sic: Alterius vult haec esse puella viri, si omnino probasset, quod non fecit, tantae magnitudinis periodum. Haec hactenus.

Explicuimus potiora artificia, quibus vis et vigor insignis orationis Tibullianae nititur, qui cum denique etiam eo magnopere adiuvetur, quod omnino nihil otiosi, languidi, nihil inutile inest in his distichis, in fine huius disputationis de *epithetorum ratione* nonnulla addam, de qua vulgo non accurate iudicare video interpretes. Sunt epitheta, ut inter omnes constat, alia perpetua, quae propriam naturam et indolem rerum et personarum declarant, alia fortuita, transitoria, quae pro tempore tribuuntur nec nisi certis in locis quadrant. Atque haec

quidem ex sensu loci cuiusque explicanda esse ipsa definitio posita docet, ac pertinet huc etiam prolepsis notissima adiectivorum. Alterum vero genus vulgo ubique ita poni credunt, ut nullam vim in sententia habeat. Sic Heynius ad II, 6, 8. scribit: „Debebat Brouckhusius reputare saepe addi nominibus epitheta, quae iis propria et perpetua, quamquam non adeo magnam vim in eo positu, quem occupant, habeant." In quo male epicus usus transfertur ad aliud genus poeseos. Enimvero epitheta haec perpetua nusquam in his carminibus otiosa sunt et sine vi ubi leguntur, quod per totum Tibullum ostendi. Male igitur *atro viscere* I, 3, 76. de nigricanti colore iecoris ex natura accipitur, et *dura falce* I, 7, 34. ex rigore ferri explicatur, quae inutiles plane notiones in his locis, cum verus sensus apertus sit. In priore loco de tabo atro adesi iecoris cogitatur, in posteriore falx dura est: quae non parcit frondibus. Sed ponamus alia. Sic I, 7, 52. recte legitur *mollia serta* in laetarum rerum descriptione, contra II, 1, 6. *florea serta* praestat cum festus habitus designetur. At I, 6, fin. *stamina torta* et *firma licia* dicuntur ipsius accuratae descriptionis causa, quae ibi magnum sarcasmum habet, ut I, 4, 8. *curva falx*, cum Priapus ex habitu solemni designetur et designari ibi debeat. Vossius male et audacter *minante* intulit, quod alienum. Nec II, 5, 96. *levis umbra* mobilis esse potest, ut Heynio placuit, sed est credo non nimis densa. Ut aliud afferam, versu I, 3, 86. *deducat plena stamina longa colo* describitur industria mulieris, femineo opere sic ut fieri debet occupatae; est igitur plena colus et stamina longa ducuntur sedulo. Luculentus locus est in fine eleg. II, 1, ubi denuo cum voluptate cognoscas, si Commen-

tarium adieris, quam sit nihil non aptum in epithetis. Neque otiosum illud genus esse monui ad I, 1, 62., ubi eadem notio repetitur, ut sunt *tristes lacrimae, maestae querelae*; nam intensiva vis notionum augetur. Denique aliis in locis id agitur epithetis perpetuis adiectis, ut oppositione membrorum apertiore clarior, significantior aut nervosior et alacrior fiat oratio. Suavis locus I, 7, 12. *Carnuti et flavi caerula lympha Liger*, aut cum II, 1, 88. post *Noctis* nomen sidera *fulva* memorantur. Porro ut II, 1, 68. *Ipse interque greges interque armenta Cupido Natus et indomitas dicitur inter equas* fortius erigi supra notavimus vim orationis adiecto in ultimo membro epitheto, similiter I, 2, 19. cum legitur: limina tentare, fores reserare, molli lecto decedere, adiecto epitheto intenditur oppositio rerum atque ita nova vis accedit loco. At I, 4, 45. *Vel si caeruleas puppi volet ire per undas* postquam de terrestri itinere sermo fuit, quis non sentit necessario *caeruleas* positum in initio versus ut statim prodeat oppositio? Nam cum v. *undas* in fine demum versus subsequatur, epitheton perpetuum partes eius sustinet, quae res in multis locis notanda. Sed nolo plura hic afferre, cum in Commentario ubique de epithetorum ratione dictum sit. Qui negligunt tales quaestiones, non penetrant satis in interiorem rationem locorum nec sentiunt penitus vim mirificam omnium rerum. Abunde vero liquet per se, quam sit etiam in epithetis largus thesaurus nervosae orationis. *Ac nusquam epitheton perpetuum temere poni potest et tali substantivo addi, cuius nulla aut minima vis est in enuntiatione.* De Lygdamo unum annoto, eum aliquoties duo epitheta uni substantivo iunxisse, cf. ad III, 5, 22., quod nusquam sic fecit

Tibullus. Nam diversa talia I, 7, 18. Atque haec hactenus.

Postquam de vi ac vigore orationis Tibullianae dixi, nunc etiam de *simplicitate* dicam, quae est altera pars huius de elocutione poetae disputationis. Fuit de hac virtute iam supra hic illic inter alia sermo, sed nunc disertius de ea agemus. Ac *primum* quidem ornatae elocutionis modos rhetoricos nonnullos, quantum hic res postulat, videamus, ut cognoscamus quid probaverit, quid spreverit ex hoc genere Tibullus, *deinde* etiam de grammaticis constructionibus exponetur singulatim: nam his rebus censetur simplicitas orationis.

Primum igitur *rhetorica* consideramus; est autem huius loci ornatus e tropis et figuris. Constat tropos et figuras nunc affectui inservire nunc ornatui, et cum plurima huius generis res ipsa et natura rerum offerat, alia usus et ars docuit exquisitior. Ego memorabo quae huc pertinent. Atque ut a *figuris* ordiar, explicuimus supra patheticas, quibus Tibullus utitur, hic videbimus alias quasdam, quae et ipsae affectui inservire possunt, alias vero ad ornatum poeticum pertinent. Dico autem *circumlocutionem* et *cumulationem* vulgo pleonasmum dictam; hae enim ceteris omnibus in hoc genere potiores sunt.

Est igitur schema ornatus notissimum, cum per *circumlocutionem* pr. verbo substantivo *esse* alia exquisitior phrasis ponitur, v. c. sic: Propert. IV, 6, 16. *Qua sinus Ioniae murmura condit aquae*, h. e. ubi sinus Ambracius est, aut IV, 7, 60. *Mulcet ubi Elysios aura beata rosas*, h. e. ubi Elysium, aut Horat. Epod. XV, 9. *dum intonsos agitaret Apollinis aura capillos*, pr. dum essent intonsi Apollinis capilli. Sed nihil huiusmodi video apud Ti-

bullum, nisi hunc locum afferas I, 8, 36. *dum tumet et teneros conserit usque sinus*, h. e. dum teneri eius sinus sunt, dum teneros sinus habet, quos iungat tecum, ubi tamen non tam ornare voluit poeta, quam pleniorem significationem sententiae dare. — *Aliud* huiusmodi schema est nominis proprii amplificatio, in poesi epica, tragica, lyrica sublimiori magnum splendorem habens, ut *μένος Ἀλκινόοιο, Πολυνείκους βία, violentia Turni, virtus Catonis, Herculeus labor*, vid. Monck. ad Eurip. Hippol. p. 99. Adhibetur vero hoc artificium etiam in reliqua poesi passim, cf. Vulp. ad Tibull. I, 2, 11., minus tamen propter ornatum, quam sententiae causa. Atque ita etiam elegia mutat eleganter praedicatum in subiectum pro nomine aut pronomine, ut *dementia mea* pr. ego, *Tantali sitis* pr. Tantalo sitiente, *error Herculis fleverat* pr. Hercule errante, et quae sunt alia. Sed etiam huius formae Tibullus pauca tantum simplicia exempla habet, vide ad I, 2, 11., qua Propertii mollior poesis saepe suavissime utitur. Ex Lygdami carminibus appono III, 2, 13. *Sed veniat carae matris comitata dolore*, et III, 3, 8. *inque tuo caderet nostra senecta sinu.* Altera vero forma elegans compositionis, ubi adiectivum nominis in genitivum substantivi mutatur, ut *lumina fastus, littora fati, iurgia saevitiae*, ab oratione Tibulli plane abest, si excipis locutionem: *ubera lactis* I, 3, 46. pr. lactea, usurpatur vero, ut facile coniicias, a Propertio. Ac quis non novit eam cum aliunde tum, ut hoc nunc addam, ex Ossiani carminibus, ubi Ahlwardtus de ea dixit in Praefat. ad Translat. Germ. p. XXI. Atque haec quidem de his. — Cum *denique* praeter ea, quae memoravimus, etiam aliae multae sint in poesi substantivorum, adiectivorum, verborum per circumlocutionem

amplificationes, etiam huiusmodi quid perraro invenies apud Tibullum. Talia sunt I, 2, 8:

Te Iovis imperio fulmina missa petant,

h. e. caelo.

Ibid. v. 13:

Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, h. e. preces.

Et II, 3, 48:

At tibi laeta trahant Samiae convivia testae,
Fictaque Cumana lubrica terra rota,

h. e. et Cumana figlina.

Porro II, 5, 14:

— — — — — per te praesentit aruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis,

h. e. ex notis extorum.

Et ibid. v. 59:

Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos,

h. e. quaque patet occasus. Nam in his quidem exemplis apertum est, metri et ornatus poetici causa sic ut factum amplificatum secundum membrum, vulgo autem ea est Tibullianae dictionis ratio, ut quod dictum, etiam propter sententiam debuisse dici sentias. Ac de circumlocutione satis. — Alterum palmarium artificium, de quo agere debemus, *cumulatio* verborum similis significationis est, qua et vis magna paratur orationi et ornatus. Ac substantivorum duorum in eodem casu coniunctio non est hic admodum frequens, veluti sic: *Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam.* Quorum quaedam quasi ex formula dicuntur, ut *remque domumque* I, 9, 72., *per caedem et facinus* II, 4, 21., *lapis est ferrumque* I, 10, 59., *fruges lustramus et agros* II, 1, 1.

Hoc loco notabo figuram ἓν διὰ δυοῖν abesse a Tibulli oratione. Male II, 1, 1. *fruges lustramus et agros* accipias pr. fruges agrorum. Nec I, 6, 13. *tunc succos herbasque dedi* pr. succos herbarum est dictum, ut ibi notavi, aut ibid. v. 25. *gemmas signumque* pr. gemmarum signum; etiam I, 7, 49. *centum ludis Geniumque choreis concelebra* noli chorearum ludos intelligere, ut probabile cuidam viro docto visum. Atque haec de his. — *Secundo loco* nomino illud genus cumulationis, quod genitivis utitur; quae res saepe exquisitiorem splendorem habet, quam qui simplici orationi conveniat, veluti quod perperam in Tibullum illatum erat II, 1, 65. *assiduae textis operata Minervae.* Lectionem codicum quorundam IV, 6, 1. *sanctos cape turis honores* vulgo receptam expulit Lachmannus et revocavit *acervos,* meliorum codicum auctoritate oblatum. Quod tenendum. Dicit Tibullus *turis honores* I, 7, 53, neque hoc miramur, at *sanctos turis honores* ornatius dixerim quam pro simplicitate Tibulli. Vide nunc huius compositiones: *culti iugera multa soli* I, 1, 2. et *iugera terrae* I, 3, 75; *rivos praetereuntis aquae* I, 1, 28; *Veneris magnae numina* I, 2, 81; *hibernae frigora brumae*, *aestivi tempora sicca Canis* I, 4, 5. 6. in oppositione. Mox ibid. v. 31. *infirmae fata senectae.* Tum I, 5, 7. *furtivi foedera lecti*; I, 8, 47. *primi temporis aetas*; I, 9, 32. *nullo divitis auri pondere*, ibid. v. 35. *sidera caeli* et *puras fulminis vias*, et ibid. v. 62. *rota Luciferi orta*, tum II, 1, 47. *calidi sideris aestu.* Constat vero usitatas compositiones esse, rivus aquae, fontis aqua, fata senectae, frigora brumae, temporis aetas, pondus auri, iugera terrae, sidera caeli, ut nihil in his exquisitius sit. Elegantiores tantummodo sunt phrases: *purae fulminis viae*, *rota Luciferi* et quod ex I, 8, 20. addi potest, *cantus iratae detinet*

anguis iter, dictum ibi propter oppositionem immobilium frugum. Postremo addo Lygdami dicta III, 6, 39. *Theseae periuria linguae*; III, 5, 13. *insanae iurgia mentis*; III, 5, 29. *At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae*, quae observa quomodo discrepent a Tibulli more, qui nec *Theseae linguae* pr. Thesei videtur dicturus fuisse, nec *iurgia mentis*, nec *celebrare numina lymphae*. — *Tertio loco* affero verborum duorum coniunctionem. Etiam haec saepe exquisitioris quid splendoris habet, veluti hoc modo: collapsus cecidit, vibrata fulmina iactat, unde in his carminibus perpauca tantum simplicioris generis inveniuntur. Dico haec: *nox vigilanda venit* I, 2, 78; *scelerata sedes iacet abdita* I, 3, 67; *patet aperta* I, 9, 58; denique IV, 3, 22. *Incidat in saevas diripienda feras*, ut etiam Lygdamus dixit III, 6, 28. *Aëriae et nubes diripienda ferant.* Notabilior ceteris locutio, *Bacchus et agricolae magno confecta labore Pectora tristitiae dissoluenda dedit* I, 7, 40. de qua in Explicatione dictum. — Aliis in locis verbi vis adiectis casibus augetur, ut *arenti siti torrere*, *ferro vulnerare*, de quo supra dictum et in Commentar. ad I, 2, 27., ubi exempla Tibulliana videbis. Est hoc omnino rarum apud Tibullum nec nisi in oppositione fit. — At frequentiores sunt, quas *quarto loco* laudo cumulationes, adiectiva similis notionis substantivis addita, v. c. *tristes lacrimae*, de qua re supra dictum, et prolepsis adiectivorum et ipsa supra memorata, porro coniunctio adverbii et adiectivi similis notionis, ut *clam taciturna venit*, *ad occultos furtim deducet amicos*, de qua dictum ad I, 5, 65., denique duorum adiectivorum similium duobus substantivis iunctorum compositio, ut I, 8, 2. *miti lenia verba sono*, ibid. 42. *Cum vetus infecit cana senecta caput*, et I, 3, 48. *Immiti saevus duxerat arte faber.*

et II, 1, fin. et IV, 2, 12., immo trium adiectivorum similium, quae splendida cumulatio est I, 3, fin. *Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis*, ubi habes *nitentem*, *roseis*, *candida*. Haec igitur genera cumulationis prae aliis amat Tibulli oratio. Ceterum cum nota aliunde sit in designatione loci adverbialis pronominis demonstrativi cum substantivo coniunctio, v. c. *illic — caecis locis,* Huschkius hoc genus cumulationis applicat I, 10, 37. 38., sed perperam, de quo ibi dixi. Postremo notamus corruptum locum I, 7, 13. ubi inepta cumulatio: *An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis Caeruleus placidis per vada serpis aquis?* Recte dixit *tacitis leniter undis*, sed *placidis aquis* insuper addi non poterat. Et hic quidem locus corruptus est, Lygdamus autem vere admisit vitiosam cumulationem substantivorum III, 3, fin. *Me vocet in vastos amnes nigramque paludem' Dives in ignava luridus Orcus aqua,* ubi displicent adiecta: *in ignava aqua*. Atque haec quidem de his. Non persequor omnia genera cumulationis quae apud scriptores reperiuntur sic ut possum, sed percurri tantum, quae ad Tibullum maxime pertinebant.

Postquam de ornatu e figuris dictum quantum huius loci videbatur, ubi simplicitatem Tibulli illustramus, dicendum etiam de *tropicarum locutionum*, *comparationum et personificationis usu*, qui alter est fons ornatae dictionis hic notandus. Sed Tibullus etiam in hoc genere deprehenditur admodum simplex. Tropicas locutiones vide his locis I, 1, 55. 56. 63. 64. 75. I, 2, 92 et fin. I, 5, fin. I, 6, 5. I, 8, 5. II, 3, 34. II, 4, 3. 4. 5. 6. Quid invenies? Similitudines a vinculis et poenis servorum,

aut a militia ductas, tum alia nonnulla ex usu populari petita, nihil quod exquisitius sit aut audacius. Comparationes et exempla observabis in sequentibus locis: I, 4, 17 sqq. 29 sqq. 63 sqq. I, 5, 3. 45. I, 6, 53. II, 4, 8-10. II, 5, 9. IV, 2, 13. IV, 6, 17; unde discas, quod iam supra monui, etiam hunc ornatum non quaeri studiosius a Tibullo, nisi carmen I, 4. excipere velis scriptum omnino elegantius ut cetera in Marathum. Trium vero comparationum cumulationem Lygdamus habet III, 4, 29 sqq., quem nosti ex superioribus sibi placere in amplificatione. Denique restat ut de personificationis usu dicam. Ac nova quidem etiam in hoc genere non excogitavit Tibullus, utitur vero personis divinis interdum optime, ut facile sentias satis peritum huius elegantiae poetam. Quam suaves sunt loci de *Spe* II, 6, 20 sqq., adde I, 1, 9. et de *Pace* I, 10 fin. Cumulationem vero personarum symbolicarum ornatissimam vide in exitu carm. II, 1. Exitum eleg. I, 3. laudavimus iam supra. Ibidem I, 3, 5. *Mortis* avidas manus detestatur praeclaro in affectu, et IV, 2, 7. suaviter de *Decore* dicitur. *Poena* memoratur I, 9, 4. et *rota Fortunae* I, 5, 70. Denique nota est in elegiis *ianuae* personificatio, cui amantes dolores suos narrant, quam orant, quam increpant; erat enim daemonica quaedam vis ianuarum ex opinione veterum. Apud Tibullum vividum huius generis locum videmus I, 2, 7-14. Quaeras denique cur nondum memoraverim locutionem *tenebris mors adoperta caput* I, 1, 70., sed hoc sciens feci; plane non habetur ibi persona Mortis tenebris aut nube caput operta, sed *σκότος*, *νέφος θανάτου* notissimum, in mortuis quod spectamus, cum oculi caligine obducti sunt. Atque haec de his. Sed utitur

Tibullus praeterea etiam *specie personificationis* ut alii passim, de quo nonnulla addere debeo, praesertim cum vulgo non omnes rem distinguant. Igitur in hoc I, 8, 48: *non tardo labitur illa* (aetas) *pede*, ut apud Lygdamum III, 5, 16., non est vera personificatio, nec persona et dea est aetas, sed species tantum personificationis habetur et metaphorica dictio, ut I, 10, 34. et I, 1, 70. Similiter I, 7, 26. *supplicat herba Iovi* accipe, et II, 5, 75. *Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit Iungere pallentes nubilus annus equos* res etiam clarior. Notamus alia. Carm. II, 3, 37 sqq. *Praeda feras acies cinxit discordibus armis: — Praeda vago iussit geminare pericula ponto* legitur, et I, 3, 37: *pinus contempserat undas* eodem modo dictum sine personificatione vera; satis etiam explicatur a nobis I, 7, init. *dies natalis, Aquitanas qui posset fundere gentes*, quemadmodum in Commentario videbis. Postremo indico eximium in hoc genere locum IV, 7, 9. de quo item in Explicatione dixi. Haec igitur et talia non sunt quae proprie dicendae personificationes, licet a multis confundatur utrumque genus, illustrant vero ut alia translata verba suaviter orationem, si artificiosis et nimis audacibus formis abstinet scriptor. Monui aliquoties de eadem re ad Pindarum. Ac de rhetoricis rebus diximus.

Accedimus nunc ad alteram rerum partem et dicemus etiam de *grammaticis rebus*, quid in hoc genere notabilius habeat Tibullus. Possunt vero etiam simpliciores scriptores hic illic rariora ponere et ponunt, sed non temere frequentant rariora, nec si quid admittunt, ita negligunt fines orationis suae, ut vera discrepantia exsistat. Sed videamus Tibullum. Primum notabiles

habet has formas enuntiationum conditionalium: II, 4, 7: *O ego ne possim tantos sentire dolores, Quam mallem in gelidis montibus esse lapis*; I, 10, 11: *Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem Arma, nec audissem corde micante tubam;* I, 8, 22: *Et faceret, si non aera repulsa sonent;* I, 4, 63: *carmina ni sint, Ex humero Pelopis non nituisset ebur*; II, 3, 25: *Quisquis inornatumque caput crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam;* II, 3, 7: *Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum, Dum subigunt steriles arva serenda boves*! Nempe aspernatur vulgo istas vulgaris usus formas: Si esset hoc, illud esset; Si hoc fuisset, illud fuisset aut non fuisset; utinam hoc esset, facerem illud; utinam hoc fuisset, non fuisset illud, sed praefert praesens in altero membro, ubi vulgo imperfectum exspectes, et imperfectum ubi plusquamperfectum, vividiore quodam phantasiae motu. Videamus rem paullo propius. Dicit Sulpicia IV, 3, 11 sqq. in voto: *Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari, Ipsa ego per montes retia torta feram, Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi Et demam celeri ferrea vincla cani. Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum Arguar ante ipsas concubuisse plagas.* Cur non utitur imperfectis: ut liceret, ferrem, quaererem, demerem, placerent, arguerer? Nempe non describit voluntatem, desiderium suum per meram hypothesin, quae nihil nisi hypothesis sit, sed intentiore animo eloquitur omnia et quam maxime directe, ut quae quis valde cupiat et statim faciat lubens. Similiter poeta dixit I, 2, 73: *Ipse boves, mea sim tecum modo Delia, possim Iungere et in solito pascere monte pecus: Et te dum liceat teneris retinere lacertis, Mollis et inculta sit mihi somnus humo*, quod longe melius ibi, quam *utinam essem — possem*, licet revera ponat quod vix tum fieri

poterat, cum maritum haberet Delia. Sed vividiore sensu directius et intentius loquitur, quod fit praesentibus temporibus, nec rarus hic usus, ut notant qui de huiusmodi rebus hodie scribunt. Tale est Virgilianum illud notissimum Aen. VIII, 560: *O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!* et hoc ap. Cicer. d. Nat. D. I, 32, 91: *Utinam tam facile vera invenire possim quam falsa convincere!* Similiter absque voto in conditionali sententia significantius praesenti tempore dicitur, quasi in mediam rem descendente phantasia, ut Liv. XXI, 53: *Quantum ingemiscant patres nostri, circa moenia Carthaginis bellare soliti, si videant nos, progeniem suam, duos consules consularesque exercitus, in media Italia paventes intra castra!* Quod longe vividius et nervosius est quam: *ingemiscerent — si viderent, ingemuissent — si vidissent.* Redeamus nunc ad Tibulli locos supra indicatos, ubi diversa tempora in una eademque sententia posita vidisti. Dixit: *O ego ne possim tantos sentire dolores* directo voto, non dixit: *ne possem*, quod mere hypotheticum esset; in altero autem membro praetulit imperfectum: *Quam mallem in gelidis montibus esse lapis*, quia haec res mera hypothesis est; neque enim facile fieri potest. Dixit porro: *Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem Arma, nec audissem corde micante tubam* similem in modum. Nam cum haec res ad praeteritum tempus pertineat, in primo membro imperfectum ponit, quod hic eandem vim habet quam praesens in antecedenti voto. Optat directe, minus hypothetice, intentius, calidius; in altero autem membro plusquamperfecta posuit, utpote conclusiones ducens, quae nihil nisi conclusiones sunt nec habent hodie eventum. Si autem etiam in protasi plusquamperfectum posuisset, tota sententia tranquillioris

logicae hypothesis similitudinem haberet. Quod non ita intelliges, quasi non dici omnino sic possit in poesi, sed alterum pulchrius videtur. Sed observa nunc etiam in ceteris sententiis poetae morem. Dicit: *cantus Lunam e curru deducere tentat Et faceret, si non aera repulsa sonent,* dicit: *carmina ni sint, Ex humero Pelopis non nituisset ebur*; nam etiam nunc ita haec intuetur mente, ut quae ante oculos stent, quasi in medias res praesentes nos ducens; in secundis autem membris ad formam dicendi hypotheticam redit, meras conclusiones se ducere et quae nihil sint aliud, recordatus. Poterat ad eandem normam in his: *Quisquis inornatumque caput crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam*, ubi de praeterita re sermo, in altero membro *quaesivisset* dicere, sed continuavit priorem cogitandi rationem nervose pr. *erat quod quaereret.* Ac saepius et hanc formam invenimus ubi est duplex imperfectum, quemadmodum in Commentario ad illum locum notavi, et illam ubi in praeterita re tali post plusquamperfectum in protasi ponitur imperfectum nervose in apodosi, veluti Horat. Sat. I, 6, 79: *Vestem servosque sequentis In magno ut populo si quis vidisset, avita Ex re praeberi sumptus mihi crederet,* h. e. erat quod crederet. Vide alia ap. Bentl. ad Horat. Sat. II, 3, 93. et Gronov. ad Liv. XXXIV, 12. et qui bene de hoc imperfecto in apodosi disputat, Car. Frid. Etzlerum in libro, qui inscribitur: *Spracherörterungen, Bresl.* 1826, pag. 121 sqq. Atque haec de his. Quod denique locum Tibulli II, 3, 7. attinet, ubi est: *sectarer aratrum, dum subigunt - boves*, dixi de eo explicate in Commentario. His expeditis restat ut alios nonnullos locos consideremus nondum memoratos. Talis primum est IV, 13, 5: *Atque utinam posses uni mihi bella videri: Displiceas aliis:*

sic ego tutus ero. Sed ibi *possis* est restituendum haud dubie, eiectum a Lachmanno; nulla enim idonea causa est quare diversi modi esse debeant (posses, displiceas) in eadem re, atque usus Tibulli formam directi voti *utinam possis* postulat, ut nunc senties. Alter locus de quo dicendum, legitur I, 9, 39: *Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae?* ubi alia lectio *Quid facerem* vulgo recepta. Sed probo quod revocavit Lachmannus. Iratus ut est, primum revera dubitat quid faciat, deinde recordari coepit quid obstet, qui motus animi maxime Tibullianus. Tertius locus, quem considero, est II, 3, 5 sqq.: *O ego, cum adspicerem dominam, quam fortiter illic Versarem valido pingue bidente solum* cet. Hic enim unicus est in his carminibus, ubi deseruit morem suum Tibullus. Nam cur non praesens posuit in protasi: *cum adspiciam*, ut in superioribus exemplis? Fortasse etiam hoc mutasset, si ultimam manum admovisset huic carmini. Iamque percurrimus omnia, de quibus hic explicandum fuit; miram quandam opinionem Huschkii de loco I, 2, 68. ibi refutatam vide. Vulgo cum de enuntiationibus conditionalibus explicant, parum recordantur haec poetica exempla, ubi diversa sunt tempora in eadem sententia, quo magis de iis hic dicendum fuit. Tibullum vero puta non vano elegantiae studio deditum, sed phantasia vivida sua ductum, ut hypotheticas enuntiationes nervosius conformaret. Iam ad alias res grammaticas enarrandas pergo. Indicativum in constructione obliqua semel posuit Albius II, 4, 18., qui frequens apud Propertium et alios, unde etiam varietatem modorum non habet Propertianam; ea semel usus est Lygdamus III, 1, 19. 20. Etiam tempora diversa solius variationis causa saepius iungit Propertius, v. c.

I, 15, 29. 30. I, 17, 21. 22; Tibullus infinitivos quidem praesentis et perfecti saepe habet in eodem disticho ut alii, sed finita tempora vix semel ut IV, 2, 7. *Illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit*, cet. ubi quod Handius cum Hermanno vult *mutat*, miror non vidisse utrumque, locutionem *mutare vestigia* magis etiam recedere a simplicitate Tibulliana. Praesens pro futuro aliquoties admisisse videtur vividius I, 7, 61. II, 7, 10. Participio pro verbo finito semel usus est I, 3, 43., nam in altero loco II, 5, 15. *est* certa de causa necessarium habeo. Verbum plurali numero omisso substantivo *homines* bis posuit, I, 3, 35. I, 10, 19. Notamus alia. *Verba simplicia* pro compositis quaenam posuerit vide ad I, 2, 80. Pro *persuadet ut* nervosius et magis poetice, rariore tamen constructione I, 9, 69. omissa particula dixit: *persuadet — vinciat et prodeat.* Porro I, 8, 35: *inveniet succumbere* dixit, et I, 9, 35: *Illis eriperes verbis mihi sidera caeli Lucere et puras fulminis esse vias,* et II, 3, 46: *Negligat adesse minas* plenius pr. negligat minas. Bona constructio I, 6, 72: *pronas proripiarque vias,* at cur I, 8, 73. maluerit *lacrimis risisse dolentis* dicere quam *lacrimas* usitatiore constructione nescio; hoc igitur fortasse restituendum. *Solliciti pro nobis* IV, 10, 5. est constructio frequentior apud sequentis aevi scriptores, sed dixit *timere pro* etiam Cicero. Constructiones quales hae apud alios et apud Lygdamum: *gaudet nupta* III, 4, 60., *causa perire* III, 2, fin., apud Tibullum non video. Semel zeugma admisit leve I, 4, 66., aliud Lygdamus habet III, 3, 21. Ut ad alia veniam, leve anacoluthon per copulam vide II, 4, 27: *O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos, et niveam Tyrio murice tingit ovem.* Aliud Lygdamus habet III, 4, 51. 52. *quantum nec — Quantum nec*, simile huic

Tibulliano IV, 2, 11. *Urit seu — Urit seu.* Quod Bachius censet ubique *nec — nec* a Tibullo dictum, nullam idoneam causam talis regulae exputes, nec vera res. Porro corruptus visus locus IV, 7, 8. *Ne legat id nemo* mihi non videtur mutandus. Etiam omissio pronominis *aliquis* I, 6, 53. defendi posse videtur, utpote in alacri schemate admissa. Suavem quendam usum relativi explicui ad II, 3, 43. Nota vero omissio pronominis in talibus I, 8, 32: *cui levia fulgent Ora nec amplexus aspera barba terit.* IV, 2, 17: *Sola puellarum digna est, cui mollia caris Vellera det succis bis madefacta Tyros, Possideatque* cet. Miram quandam Huschkii opinionem, non posse copulam cum relativo iungi, refutavi ad I, 6, 40. At coniunctionem pronominum relativorum in eadem sententia non admisit hanc apud alios lectam et apud Lygdamum III, 6, 23: *Quales his poenas qualis quantusque minetur, Cadmeae matris praeda cruenta docet.* Simplici vero pronomine utitur Albius I, 7, 15. Notamus alia. Plurali pr. singulari rarissime utitur; sic vero *triumphi* I, 7, 5. II, 1, 33; *morbi* IV, 11; *ornatus* I, 10, 62; *reditus* I, 3, 13; *strepitus* pedum I, 6, 62; *concubitus* II, 5, 53. Certus videtur transitus a plurali substantivi ad singularem I, 6, 55. 56., istius loci rationi aptus. Subiectum reiectum in relativam enuntiationem vide IV, 4, 9. 10. Idem positum post *ne* I, 5, 13., post *ut* I, 1, 18. Simplex et rarus apud Albium ablativorum absolutorum usus, ut I, 1, 72. *cano capite*, I, 6, fin. *cana coma*, in quo multum sibi indulsit Propertius, cf. Lachmann. ad Propert. p. 20. De loco IV, 8, 8. illuc vide, et constructionem *concubitusque tuos furtim* ad II, 5, 53. Adiectivum pr. adverbio, ut dicunt, aliquoties posuit, cf. I, 4, 34. IV, 4, 19. et ad 6, 15. ibid. Coniunctio-

nem nominis in singulari cum verbo in plurali non video apud Tibullum, quam tamen Lygdamus habet III, 4, 9: *Et natum in curas hominum genus omina noctis Farre pio placant.* Idem archaismum sibi permisit ut videtur III, 6, 55: *nobis inimica merenti*, atque alia multa insolita habet. Dico *pectore inesse tuo* III, 4, 84; *Maereat genero, viro* III, 2, 14; *animam precari* ibid. v. 15; *niveam lucem* III, 3, 28; *myrtea coma* III, 4, 28; *digiti cum voce locuti* v. 41. ibid., *rite castus* v. 43. ibid. et *fulserit hic niveis Delius alitibus.* Adde praeterea quae de usu et constructione vocabulorum quorundam apud Lygdamum Lachmannus monuit in annotatione praeclara, a nobis repetita in fronte libri tertii. Atque haec quidem de his. Postremo collocationes verborum vide notabiles apud Tibullum, ceterum non infrequentes apud scriptores, I, 9, 25. II, 3, 14. Tales sunt etiam apud Lygdamum III, 4, 49. 6, 3. et in hoc 6, 25. *illaque, si qua est, Quid valeat laesi sentiat ira dei*, quem locum omnino affero propter obscuritatem non Tibullianam, ut etiam ambigue dicta multa habet. Verum haec hactenus; perducta res eo est, ut nunc posita in uno conspectu habeat lector, quae hic afferri debebant. Vides etiam apud Tibullum rariores quasdam constructiones esse, ut facile fit apud eos, qui ingenium habent; sed nihil est harum rerum audacius et iusto longius petitum, aut obscurum et contortum, nihil quod revera recedat ab illa tersa puritate, simplicitate et perspicuitate, quam semper laudarunt in Tibullo; nitet ubique inaffectata elegantia, et agnoscimus versatum artificem, qui quae sentit magna cum facilitate eloquitur recte, clare, pulchre, et vere classicus dici meretur. Quae laus non potest tribui Lygdamo.

At enim *non bene vinctam* multis in locis dicunt orationem Tibulli; inesse inconnexa, abrupta non pauca in his carminibus. Opposuit se iam olim huic accusationi Wunderlichius et complurium locorum nexum melius explicuit; idem nostri Commentarii ubi opus faciunt. Sed cum tamen non ubique usitatas vulgo iuncturas habeat poeta, generatim nunc exponere debeo de hoc Tibullianae orationis sive vitio sive, ut ego censeo, virtute. Transitus vulgo dicitur adesse, ubi a fine loci proxime antecedentis cogitatio et oratio continuo et sine saltu pergit ad sequentia. Ubi autem talis transitus deest, hiare queruntur compositionem. Ac plerumque sane iuncti sunt loci et partes hoc modo apud scriptores atque etiam apud Tibullum, sed passim tamen negliguntur etiam transitus apud alios et apud Tibullum, ubi vehementior impetus affectuum. Sic eleg. I, 1. quae sedatior, arctas ubique iuncturas habet, partes interposita summa sententia copulatae sunt neque in membris partium quidquam non vinctum; sed statim in secunda elegia neglecti vulgaris transitus exempla occurrunt. Quare de tota re nunc explicabo. Tenebis vero ante omnia, non opus esse ut proxime antecedens distichon viam muniat ad sequentia; potest non minus recte omnino a summa sententia antecedentium distichorum transiri ad sequentia, veluti locus I, 2, 30 sqq. altera pars est divisionis supra v. 23. 24. positae: non pericula nocturna novit amans, non hiemis molestiae nocent, ait. Quo enim iure postulaveris, ut semper a disticho ad distichon serpat orationis nexus? Ego grandiores quoque formas nervosi poetae laudo, qui passim etiam quod complexui cuidam distichorum subest totum, ad hoc refert novam rerum partem et talem ponit

nexum. In qua re duo genera locorum distinguimus. *Primum* eos, qui etiam verbo expressum habent hunc transitum, licet non ab omnibus vulgo clare animadversum. Exempla statim ostendent quid dicam. Cum enim omnino per oppositionem aut per continuationem transeatur, admodum nervosus modus est per oppositionem rerum aut personarum. Iam vide I, 4, 39. ubi ad novum rerum ordinem transit ita: *Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit, Cedas,* h. e. tu autem ne sinas praeterire stultos dies, sicut alios fecisse modo dixi, sed omnimodo cura ut favorem amati tibi concilies. Ac non ex ultimo et penultimo disticho ducitur haec oppositio, sed ex antepenultimo v. 33. 34. h. e. ex summa sententia loci, cui sequentia disticha v. 35. v. 37. subiecta sunt. Accedit autem nunc simul aliud notabile. Omissa est generalior sententia: tu autem ne sinas praeterire stultos dies, in qua directa oppositio antecedentium inest, et substituitur statim speciale praeceptum de obsequio: qui maxime poeticus est usus, sed si non attendas, obscurare et ipse potest veram rationem iuncturae. Sic factum I, 4, 15. Oppositionem illic haberi ipsa particula *sed* indicat. Cum autem ante oculos essent pronomina antecedentium distichorum, *hic*, *hic*, *illi*, probata fuit prava lectio: *Sed te ne capiant*, quasi huius pronominis et illorum esset oppositio. Notum quidem genus transitus apud poetam per *At tu*, ut I, 2, 89. I, 3, 83. II, 3, 33. 61. Sed nunc verior lectio: *Sed ne te capiant — taedia*, a Lachmanno recte restituta est, nec pronomina, sed sententiae sibi opponuntur. Dixerat: O fuge pueros; nimis perniciosus adspectus eorum, placet alius alia re. Nunc pergit: Sed vel sic bene erit res: ne te capiant taedia, si primo negabit, et vinces

certissime. In quo vides iterum specialem formam sententiae continuo substitui ampliori per brevitatem dicendi; quod cum non esset animadversum, latuit vera ratio loci. Diximus de oppositione. Alter modus transeundi per continuationem est, de quo similia observare licet. Transitur passim ad alium locum per copulam cum speciali sententia, ubi iuncturae ratio generaliori nititur sententia, ex antecedentibus repetenda. Sic I, 2, 15: *Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle,* est: te quoque obtestor, ne falle: cum in antecedentibus ad ianuam preces direxerit, observante ibi etiam Wunderlichio, et ad II, 1, 11., atque etiam aliorum scriptorum exempla laudante. Similiter vero, quod fugit Wunderlichium, etiam I, 8, 27: *Nec tu difficilis puero tamen esse memento* dictum est pr. Nec tu auge ex altera parte malum pueri duritia. Expositum fuerat de miseria pueri in antecedentibus, et vides statim specialem sententiam in progressu positam, copulam vero referri revera ad generaliorem in speciali latentem. Ad generalem in antecedentibus expressam sententiam refertur etiam transitus per *nunc* I, 3, 23., de quo ibi dictum. Atque haec hactenus. — *Alterum* genus locorum, quos hic examino, illud est, ubi in verbis omnino non habetur quod transitus rationem distincte indicet, in rebus autem progressus et nexus idoneus deprehenditur, ut sentias recte antecedentibus, quod subiicitur, succedere. Quorsum vero sprevit transitus formulas? Propter vim, aio. Magna enim et egregia vis est in his abruptis initiis novorum locorum et partium. Sic I, 3, 35. cum dicit: *Quam bene vivebant Saturno rege* cet., nexus rerum certus; opponit enim miseriae praesenti, querelis et precibus antecedentibus declaratae,

aureae aetatis felicitatem. Verba transitum propiorem nullum habent; sed quis hunc desideraverit? Similis res I, 4, 57. Dixerat ante quomodo honestis artibus obsequii vincatur puer; nunc ad oppositum cogitatione venit et avaritiam pravam puerorum hodiernam queritur, quo nihil magis consentaneum. Verba autem abruptiora sunt, atque ita convenit exclamationi; id quod iam ante notare poteram, atque iterum cognoscas I, 9, 57. ubi in obiurgatione nova pars rerum cum exclamatione infertur satis graviter. Veniamus ad alia. Est egregius locus I, 2, 35. Ostendit poeta illic tripartito amantes in tutela Veneris esse, et postquam primum de artibus furtivis domi dixit, tum de viis nocturnis, postremo monet etiam proditores loquaces a Venere punitum iri. Nexus igitur partium clarus; sed ultima abrupte praeclara cum vi per apostrophen inferuntur, cum dici posset minus nervose: Quare etiam ne quis prodat! Sed sunt etiam alia exempla in eodem carmine v. 67. et 81. Depingit ibi poeta tribus locis magnitudinem et constantiam amoris sui, qui optime coeunt in unam summam sententiam. Ac postquam dixit restitisse se exstinctioni amoris a saga promissae, primum ostendit opposita rivalis cuiusdam levitate se vel paupertatem libenter toleraturum in Deliae usu; ubi cum dici posset: Nam ille quidem ferreus fuit cet., quanto nervosius sine tali particula infertur oppositio. Deinde a v. 81. hoc agit ut si quid meruerit et irascantur dii, etiam expiatoriis ritibus durissimis subeundis paratum se ostendat, nullum supplicium recusaturus pro Deliae usu. Qui locus crescente cum affectu, ut par est, infertur. Nempe carmen *παρακλαυσίθυρον* est, qualia ante ianuam clausam

cani fingunt. Cum igitur post dicta antecedentia omnia clausae maneant fores; suaviter ducta inde orationis forma exclamat repente: num deorum iram incurri, ut irritae voces meae sint? Sic etiam hic abrupta oratio pulcherrima. Postremo afferri debet locus I, 5, 47. quem Bachius et Huschkius prava interpunctione corrupere. Sed Tibullus post expositionem aerumnarum, quas Deliae perfidia ei attulerat, plenus dolore his verbis graviter pergit ad causas infortunii alteramque carminis partem: *Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator, Venit in exitium callida lena meum*, profectus etiam hic a toto complexu antecedentium rerum. Atque haec de his. Postremo ii quoque loci abruptam orationem habent, in quibus subito mutatur sententia. Sed de hac figura supra abunde expositum. Post vividiorem motum consentaneum est ad sedatiorem statum revocari mentem; quare cum maxime naturalis haec mutatio sit, licet repente fiat, non offendimur neque hoc nomine accusarunt Tibullum. Ut nihil praeterea addam. Tu vero post haec omnia quaeras, quo iure omnino exstiterit iste clamor de locis male vinctis apud Tibullum, qui egregius artifex est, vitiosos autem transitus nusquam habet, qualis hic est apud Lygdamum III, 6, 13. Nam ibi *Ille deus* Amor est, cum tamen de curis quidem amoris dictum sit in antecedentibus, non autem de deo Amore, sed de Baccho. Apud Tibullum unum transitum improbavi II, 3, 33. 34., sed eum in carmine, quod ultimam manum auctoris non videtur expertum, nec vitiosum hunc dico, sed non optimum, qui eligi poterat. Observavi vero etiam pulchros transeundi modos complures, quos notare debebant qui tam prompti ad

reprehendendum Tibullum fuerunt. Talis est transitus ad alia *per repetitionem sententiae anterioris*, cf. supra notata, et ille qui per *interpositam generaliorem sententiam* fit, cf. ad II, 1, 9. Utrumque genus etiam apud alios reperias. Verum sisto pedem; exposui quae de elocutione Tibulli dicenda videbantur.

ALBII TIBULLI
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
Seu vetus in trivio florea serta lapis:

V. 2. multa Excerpta Scaligeri, et Frisingensia mecum a Lachmanno communicata, porro Vincentius in speculo doctrinali et Diomedes Putschii et Scioppii. — Plerique codd. *magna*, etiam Diomedis antiq. exempl. — V. 6. assiduo reposuit Lachmannus pr. *exiguo* cum optimis libris et grammaticis. Offerunt idem Excerpta Frisingensia.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante deum.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet 'io messes et bona vina date.'
Iam modo non possum contentus vivere parvo
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
Aut stimulo tardos increpuisse boves,

V. 14. agricolae — deum libri. Videtur *deo* legendum.

V. 22. parva libri optimi, quod bonum. — V. 25. Iam modo non possum. CYLLENIUS: *iam, modo non, possum,* quod probat GOLBERYUS. Excerpta FRISINGENSIA: *iam modo iam.* Coniecturis virorum doctorum in Commentario memoratis adde MENKII emendationem: *Iam nec non,* Observatt. ad Statii Achill. p. 8. propositam. Ipse coniicio: *Iam modico possum contentus vivere in arvo,* cum opus sit notione: domi et in patria, monstrante oppositione longae viae. — V. 29. bidentem Regiensis, melius; unde vulgo placuit. Ubi enim interdum tenet, unum bidentem tenet poeta, non plures simul. LACHMANNUS *bidentes.*

Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quot annis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est, satis est, requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem
Et dominam tenero detinuisse sinu,
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos imbre iuvante sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.

V. 34. magno est, optimi recte. Vide Explicationem. Excerpta Frisingensia male omittunt. Perperam etiam in aliis est post grege collocatur, et Vossius adeo eiecit.

V. 44. Deteriores quidam *referre.*

V. 51. potius pereatque revocavi, quod vulgo ex uno libro Statii editur et iam Livineius coniecerat, linguae causa. Lachmannus *pereat potiusque* cum optimis libris.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias:
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo: mea Delia, tecum
Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris mors adoperta caput,
Iam subrepet iners aetas, neque amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capiti.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque,
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris.

V. 57. LACHMANNUS: *curo, mea Delia: tecum.*

V. 71. neque iure praelatum a LACHMANNO, etiam FRISINGENSIA praebent.

Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites despiciamque famem.

ELEGIA II.

Adde merum vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
Clauditur et dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
Te Iovis imperio fulmina missa petant.
Ianua, iam pateas uni mihi, victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis iuvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores:

V. 6. firma, lectio librorum, iure moveri loco nequit, licet vulgo magis placuerit *fulta* Puccii, cuius interpretamentum *firmus* esse solet in libris, cf. Observatt. Heynii. — V. 14. florida libri, quod tamen vix scripsit Tibullus. Hic posuerat *florea*, quod vulgo receptum de coniectura Broukhusii. Mutatio frequens.

Illa docet furtim molli decedere lecto,
  Illa pedem nullo ponere posse sono,
Illa viro coram nutus conferre loquaces
  Blandaque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
  Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
  Vulneret aut rapta praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
  Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
  Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
  Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
  Obvia: celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Siquis et imprudens aspexerit, occulat ille
  Perque deos omnes se meminisse neget:
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
  Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

V. 19. Vulgo *descendere* de coniectura Dousae sine causa idonea. Excerpta Frising. *molli furtim derepere*, sed *furtim* praepositum esse a poeta, docet *nullo* in pentametro.

V. 25. Apud Lachmannum nr. 25. sequenti versui adscriptus.

V. 35. fiat. Vulgo *fias* ex aliis, quo non opus.

V. 42. Male *rabido* Vossius, Bauerus, Bachius, Golberyus.

Nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter,
Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
Elicit et tepido devocat ossa rogo.
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
Iam iubet aspersas lacte referre pedem:
Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo,
Cum libet, aestivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feros Hecatae perdomuisse canes.
Haec mihi composuit cantus, quis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet ille nihil.
Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos,
Et me lustravit taedis, et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam, nec te posse carere velim.

V. 46. Fluminis — vertit, recte. Alii male *Fulminis* — *sistit*.

V. 60. Revocavi ille pr. *ipse*, quod LACHMANNUS habet. Ac permutatio frequens, cf. ad I, 8, 15. II, 3, 59. 4, 36.

Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro,
Insideat celeri conspiciendus equo,
Ipse boves, mea sim tecum modo Delia, possim
Iungere et in solo pascere monte pecus:
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis et inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere possit aquae.
Num Veneris magnae violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum
Sertaque de sanctis deripuisse focis?

V. 73. Revocavi sim vulgo scriptum de sententia Scaligeri. Nam *sit* alium sensum praeberet quemadmodum etiam *si*, ut in Explicatione observo. Tamen librorum fere omnium lectio *si*, eaque de causa reposita a Lachmanno. — V. 74. in solo de coniectura Scaligeri vulgo receptum, atque etiam Lachmanno probatum, qui tamen interim restituit *in solito*, quae librorum lectio. De permutatione vocum conferri iubet I, 1, 44. Virg. Aen. IX, 214.

V. 82. Semel monendum est cum Huschkio Vossium saepe pr. Et deteriorem lectionem et minus poeticam *ut* intulisse, ut hoc loco *ut* — *luat*. Similiter II, 1, 64. IV, 1, 168. Idem fecit in Translationibus suis ut Virgil. Georg. I, 65. 72. Perperam.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus,
Non ego tellurem genibus perrepere supplex
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi: non unus saeviet usque deus.
Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce
Et manibus canas fingere velle comas:
Stare nec ante fores puduit caraeve puellae
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta,
Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

ELEGIA III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
Abstineas avidas, Mors precor atra, manus.

V. 90. Est quidem non unus hic librorum lectio, sed optime emendatum videtur *non uni*, quod Vossius, Wunderlichius, Bauerus, Bachius, Golberyus scripserunt.

Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater
Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
Et fleat effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam; quae me cum mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito nequis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua totiens aera repulsa manu,
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te (memini) et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis),

V. 9. Vulgo *usquam est*, quod vellem meliorum codicum auctoritate firmaretur. Nam valde placet vis paullo maior, ubi ad Deliam transitur. — cum libri; vulgo *quam* ex coniectura Dousae, improbante Gebhardo, recepta a Brouckhusio.

Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege prius quam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens conpendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
Non domito fraenos ore momordit equus,
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Inmiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.
Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.

V. 47. Obiter noto pravam lectionem *enses*; ubi enim res per se spectatur, singularis ponendus, cf. ad 1, 8, 66. — V. 49. caedes et vulnera libri. Itali *nunc* pr. *et*, male, defendente licet Huschkio. Sunt tria membra in toto disticho.

Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.
'Hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari.'
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves,
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis:
At iuvenum series teneris inmixta puellis
Ludit, et assidue praelia miscet Amor.
Illic est, cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc impia turba fugit:
Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota,

V. 54. inscriptis. Emendari potest *his scriptis*, ubi tamen *scriptis* quodammodo supervacaneum, aut cum Fruterio, quod vulgo receptum, *his scriptus*. — V. 58. in Elysios recte Lachmannus pr. *ad*, cf. annotationem nostram ad Domitii Marsi Epigr. in fine libri. — V. 63. At recte. Itali *Hic*; sed non pari loco cum antecedentibus ponitur hoc distichon, ut repeti debeat *hic*, quod vulgo probant cum Broukhusio. Male comparatur v. 73-81. Illic — Illic.

Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim:
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo,
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ELEGIA IV.

'Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,

Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis.'
Sic ego: tum Bacchi respondit rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce deus.
'O fuge te tenerae puerorum credere turbae:
Nam causam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam:
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Taedia: paulatim sub iuga collo dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time: Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupide quicquid ineptus amor:
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines perque Minerva suos.

V. 13. Hic libri optimi omnes. Regiensis *Hunc*, ut edit. pr. mai. an. 1472. Ex aliis notatur *Huic.* — V. 15. ne te optimi. Vulgo *te ne* ex paucis deterioris generis. — negabit, recte. Vulgo *negarit* male de coniectura Heinsii.

V. 25. sinit recte. Brouckhusius *sinet* ex Colbertino, sed non opus est futuro.

At si tardus eris, errabis: transiet aetas.
Quam cito non segnis stat remeatque dies!
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus alba comas!
Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos:
Formae non ullam fata dedere moram.
Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventa:
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas: obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
Et Canis arenti torreat arva siti,
Quamvis praetexens picea ferrugine caelum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam:
Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.

V. 27. transiet aetas. Ita libri optimi atque interpungitur post *aetas*. Adscripsit LACHMANNUS: HEINSIUS "*transiit* v. c. F. h. e. vetus codex apud Falcoburgium, qui sua sumpsit a Luca Fruterio." Ex hac bona, ut videtur, emendatione vulgo probata interpungitur: transiit aetas quam cito! — V. 28. remeatque. Vulgo male *remeatve* de coniectura Heinsii, reiecta etiam ab HUSCHKIO.

V. 37. Phoebo Bacchoque. Alii *Baccho Phoeboque*, quod non est probandum.

V. 44. imbrifer libri. Heinsius *nimbrifer* emendavit.

Nec te paeniteat duros subiisse labores
 Aut opera insuetas atteruisse manus,
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 Dum placeas, humeri retia ferre negent:
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra;
 Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
 Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,
 Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu male nunc artes miseras haec saecula tractant:
 Iam tener assuevit munera velle puer.
At tua, qui Venerem docuisti vendere primus,
 Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
 Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
 Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
 Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
 Idaeae currus ille sequatur Opis
Et tercentenas erroribus expleat urbis
 Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
 Supplicibus, miseris fletibus illa favet.'

V. 48. opera. Multis placuit *opere*, deterioris tamen auctoritatis lectio.

Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore:
Sed Titium coniunx haec meminisse vetat.
Pareat ille suae: vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba senem.
Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.

ELEGIA V.

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.
Ure ferum et torque, libeat ne dicere quicquam
Magnificum post haec: horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
Per Venerem quaeso compositumque caput.

V. 81. Male vulgo *lento Marathus*, prava collocatione.

V. 6. post haec optimi, alii *posthac*, quod tamen poetae minus frequentant, cf. LACHMANN. ad Propert. p. 65. Legitur nihilominus *posthac* infr. IV, 5, 16. Ad quem locum frustra HUSCHKIUS tuetur etiam hic *posthac*.

Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis,
Ipseque te circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico praecinuisset anus:
Ipse procuravi ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola:
Ipse ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Triviae nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
Pressaque veloci candida musta pede,
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae:
Et iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus:

V. 11. te recte, ut videtur. Vulgo *ter* incerto auctore.

V. 30. Libri *Adiuvet*, ITALI *At iuvet*, quod restituit LACHMANNUS. Vulgo Et iuvet incerto auctore, quae optima coniectura, utpote in continuatione sententiae.

Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Saepe ego tentavi curas depellere vino:
At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Saepe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem,
Admonuit dominae deseruitque Venus.
Tunc me discedens devotum femina dixit,
Et pudet et narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est fraenato caerula pisce Thetis.
Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator:
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat:
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat:
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quaerat et a saevis ossa relicta lupis,
Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.

V. 41. discedens devotum optimi. *devotum descendens* et *descendens devotum* alii. — V. 42. et narrat. Pr. *et* vulgo legitur *heu*! de coniectura Scaligeri. — mea. Assentior viris doctis, qui *meam* scribendum censuerunt.

Evenient: dat signa deus: sunt numina amanti,
Saevit et iniusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagae praecepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit praesto semper tibi, pauper adibit
Primus et in tenero fixus erit latere,
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subiicietque manus efficietque viam,
Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
Ianua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Versatur celeri Fors levis orbe rotae.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus ac crebro prospicit ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas excreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat. utere quaeso,
Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

V. 61. Lachmannus: *Pauper erit praesto tibi praesto* secundum libros. Hoc laudat Golberyus, comma is ponens post *tibi*. Sed Pauper erit praesto semper tibi est emendatio optima loci, quae in Mureti editione habetur, recepta a Vossio, Wunderlichio, Bachio. — V. 67. patescit. Vulgo *fatiscit* ex duobus.

ELEGIA VI.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus,
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi saevitiae mecum est? an gloria magna est
Insidias homini composuisse deum?
Nam mihi tenduntur casses: iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est:
Sic etiam de me pernegat usque viro
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes: heu heu nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, ut sola cubaret,
Cardine tum tacito vertere posse fores,
Tum succos herbasque dedi, quis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniunx incaute puellae,
Me quoque servato, peccet ut illa nihil.
Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.
Exibit quam saepe, time, seu visere dicet
Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.

V. 3. Pro saevitiae vulgo *saeve puer*, quod Muretus testatur esse in aliis. — est in fine versus male omisit primus Aldus 1515. — V. 5. Nam optimi. Vulgo *Iam*. — V. 11. ut recte. Lachmannus: „Vulgo *cur* inde ab Ald. 1502, ni fallor."

At mihi si credas, illam sequar unus ad aras:
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Saepe, velut gemmas eius signumque probarem,
Per causam memini me tetigisse manum:
Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te laesi prudens: ignosce fatenti.
Iussit Amor: contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
Servare, frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas: non saeva recuso
Verbera, detracto non ego vincla pedum.
Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu:

V. 25. signumque, recte. Putida hic disiunctiva particula *signumve*.

V. 34. Servare, frustra cum optimis etiam Excerpta Frising. Alii interponunt *ah*. — V. 38. detracto Paris. et Regiensis. Vulgo *detrecto*. Nondum vero mihi constat tersae orationi Tibulli illud magis convenire quam hoc. — V. 39. *colis* vulgo de coniectura Gyeti. — V. 40. *Effluit* Lachmannus, quod sane in plerisque. Ego vero iterum scripsi quod in aliis Et fluit cum Heynio, Vossio, Wunderlichio, Bachio, vide Explicationem. Sic *et fluere* transiit in *effluere* Liv. VII, 33. cf. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 49, 4. et ad Sil. Ital. III, 57.

Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, aut alia stet procul ante via.
Sic fieri iubet ipse deus, sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet:
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos
Sanguineque effuso spargit inulta deam,
Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos dea magna monet.
'Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigerit, labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.'
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas:
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras aurea vincit anus.
Haec mihi te adducit tenebris multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus,
Haec foribusque manet noctu me affixa proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

V. 42. Versus corruptus.

V. 53. A t t i g e r i t, fortasse vera lectio in tali affectu. Vulgo *Attigeris* ab Italis.

Te semper natamque tuam te propter amabo:
Quicquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines nec stola longa pedes.
Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos,
Et siquid peccasse puter, ducarque capillis
Inmerito pronas proripiarque vias.
Non ego te pulsare velim, sed, venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus:
Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli:
Mutuus absenti te mihi servet amor.
At, quae fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu
Firmaque conductis adnectit licia telis
Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae
Commemorant merito tot mala ferre senem,
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat et infidis quam sit acerba monet.
Haec aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma.

V. 66. agit, recte. Male Broukhusius, Vossius, Wunderlichius, Bachius, Golberyus ex aliis *agat*, quod alienum.

V. 71. Praefero cum Italis puter, ut alii viri. Lachmannus *putet*, quod Puccius offert. Libri *putat*, *putor*.

V. 86. simus. Quod praeterea habetur *stemus*, videtur emendatio esse.

ELEGIA VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo;
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere: novos pubes Romana triumphos
Vidit et evinctos brachia capta duces:
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Santonici,
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis,
Quantus et aetherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro,
Utque maris vastum prospectet turribus aequor
Prima ratem ventis credere docta Tyros,

V. 12. Carnuti SCALIGER, quod nunc etiam LACHMANNUS mihi significavit se probare, qui in sua editione *Carnoti* posuerat ex libris. Excerpta FRISING. *Carnutis et.* — V. 14. Lectio corrupta. Vulgo non melius *Caeruleis placidus.* Praestat ceteris VOSSII emendatio *placidae — aquae.* — V. 16. alat de coniectura ITALORUM. Lectio antiqua *arat*, quam etiam LACHMANNUS habet.

Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possim te dicere causa
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertae commisit semina terrae
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura caedere falce comam:
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos,
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et levis aptus amor,
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes

Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra et multo tempora funde mero:
Illius et nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex.
Te canit agricola, e magna cum venerit urbe
Serus inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, Natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

V. 47. dulcis defendit GEBHARDUS allato HORAT. I, 17, 10. et PROPERT. IV, 4, 5. — V. 49. ludis EBORAC. *rec.* aliique pauci. Et sic bene emendatum est a STATIO pr. *ludos*, quae est librorum fere omnium lectio, ideoque reposita ab LACHMANNO. — V. 51. Illius et. Cur probem *Illius e* aliorum codicum lectionem, ut alii fecerunt, expositum in Explicatione.

V. 58. Candida *quem* vulgo de coniectura BROUKHUSII, sed aliena hic emphasis.

V. 61. canit recte. Vulgo *canet* ex VATICANO STATII, quo non opus.

ELEGIA VIII.

Non ego celari possum, quid nutus amantis
Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum,
Praecinit eventus nec mihi cantus avis:
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare: deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
Saepeque mutatas disposuisse comas,
Quid succo splendente genas ornare, quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.
Illa placet, quamvis inculto venerit ore
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter,

V. 1. possum libri, quos sequitur etiam Vossius. *possim* primus Scaliger dedisse videtur.

V. 11. ornare. Itali *ornasse.* Vulgo *onerasse* de coniectura mala Scaligeri. — V. 15. Illa libri. Vulgo *Ipsa* iam inde ab editione mai. 1472. — V. 17. pallentibus libri. Vulgo *pollentibus* incerto auctore, quod tamen magis placet.

Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento
(Persequitur poenis tristia facta Venus),
Munera nec poscas: det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent
Ora nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnae despiciantur opes.
At Venus invenit puero succumbere furtim,
Dum timet et teneros conserit usque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola
Dormiat et nulli sit cupienda viro.
Heu sero revocatur amor seroque iuventa,
Cum vetus infecit cana senecta caput.

V. 29. nec bene, monente etiam Vossio. Alii boni libri *ne.*

V. 35. invenit. Vulgo *inveniet* de coniectura Scaligeri optima. — V. 36. Lectio timet, tamen probatur iure vulgo *tumet* de coniectura Scaligeri.

V. 39. iuvant vere. Vulgo *iuvent* de coniectura Scaligeri. Res eadem III, 3, 29.

Tum studium formae est: coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis,
Tollere tum cura est albos a stirpe capillos
Et faciem dempta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quae gloria victo est?
In veteres esto dura, puella, senes.
Parce precor tenero: non illi sontica causa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vel miser absenti maestas quam saepe querelas
Coniicit et lacrimis omnia plena madent!
'Quid me spernis?' ait. 'poterat custodia vinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum:
Et possum media quamvis obrepere nocte
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
Et fugit ex ipso saeva puella toro?

V. 43. formae est optimi recte. Vulgo male omittitur *est* libro Sfortiae auctore.

V. 49. victo est. Broukhusius *est* omisit primus, quod tamen vim sententiae auget. — V. 51. sontica nunc etiam Excerpta Frisingensia praebent. — V. 53. Vel vix recte habent editi ante Muretum. Itali *Vae*, quod verum videtur. — V. 55. spernis, bene optimi. Vulgo *spernit* ex libris Statii nonnullis.

V. 59. possum optimi.

Vel cum promittit, subito sed perfida fallit,
  Est mihi nox multis evigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur,
  Illius credo tunc sonuisse pedem.'
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
  Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi,
  Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
  Nescius ultorem post caput esse deum:
Saepe etiam lacrimis fertur risisse dolentis
  Et cupidum ficta detinuisse mora:
Nunc omnis odit fastus, nunc displicet illi
  Quaecunque opposita est ianua dura sera.
At te poena manet, ni desinis esse superba.
  Quam cupies votis hunc revocare diem!

V. 64. *modis* ITALI et ALDUS male, frustra defendente HUSCHKIO.

V. 66. pedem recte. Alii libri male *pedes.* Nam supra I, 6, 62. *strepitus pedum* alia res. Adiecta vox *strepitus* facit, ut ambo pedes cogitandi sint concreta notione. At in locutione „*sonat pes*" aut „*pedem ponere nullo sono*" I, 2, 20. abstracta notio obtinet, quandoquidem non de numero agitur, unus sit an plures, sed illud solum spectatur, pedem esse. Conf. ad I, 3, 47.

V. 73. lacrimis, exquisitiore constructione, quamquam *lacrimas*, quod in aliis, fortasse simplicitati dictionis Tibullianae magis convenit.

V. 76. opposita est, bene. Vulgo *apposita* ex libro SFORTIAE a BROUKHUSIO receptum.

ELEGIA IX.

Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,
Foedera per divos, clam violanda, dabas?
Ah miser, etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.
Parcite, caelestes: aequum est impune licere
Numina formosis laedere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
Et durum terrae rusticus urget opus,
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates:
Muneribus meus est captus puer. at deus illa
In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorem
Detrahet et ventis horrida facta coma,
Uretur facies, urentur sole capilli,
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quotiens 'auro ne pollue formam:
Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus siquis violavit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto verbere terga seca.

V. 13. persolvet libri optimi. Puccius: „vel *persolves*." Ita Aldus 1502. Quo non opus, licet receperint Vossius et Wunderlichius et Bachius.

Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lena ministro
Ederet ut multo libera verba mero:
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Iussit et invitos facta tegenda loqui.'
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas nullius divitis auri
Pondere, non gemmis, vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi sidera caeli
Lucere et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.
Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae?
Sed precor exemplo sit levis illa tuo.

V. 23. celandi spes, Excerpt. SCALIG. et VINCENTIUS aliique nonnulli, quod verum. Ceteri meliores *celanti fas.* — V. 25. Libri corrupte *leva*, *leve*, *lene*, *seva*. ITALIS *saepe* placuit. LACHMANNUS coniicit *nonne*, quod non probaverim, qui lena verum habeam vulgo receptum ex uno STATII, suffragantibus aliis, cf. HUSCHK.

V. 31. nullius ex EBORAC. restituit LACHMANNUS. Alii libri *nullo tibi.* ALDUS 1502. primus *nullo te.*

V. 39. faciam exquisitior lectio EBORAC., WITTIAN., ASKEWIAN. Alii *faceres*, *facerem.* — V. 40. Sed recte. Al. *Sit.*

O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Saepe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii, stulte confisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
At me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtivo iuvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus:
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros.
Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem:
Illa nulla queat melius consumere noctem
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit: nec tu, stultissime, sentis,
Cum tibi non solita corpus ab arte movet.

V. 48. Lachmannus *Et* ex libris. Vulgo At incerto auctore, sed recte.

Tune putas illam pro te disponere crines
Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu.
Non tibi, sed iuveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus,
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit
Et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos.
'Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat et grata sis, dea, mente rogat.'

ELEGIA X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum praelia nata,
Tum brevior dirae mortis aperta via est.

V. 80. regno libri. REGIENSIS *gremio* suaviter. HEINSIUS et GYBTUS *in regno sceptra* proponunt.

At nihil ille miser meruit? nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam:
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam
Seu dederat sanctae spicea serta comae:
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela,
Hostiaque e plena rustica porcus hara.

V. 5. Optimi *An*, quod reposuit Lachmannus. Alii At, quod verum habemus cum aliis. Vossio *Ah* placuit reponere, minus recte.

V. 23. ipse videtur esse in Eboracensi. Certe nunc Lachmannus mihi significat eum non habere *ipsa*, ut in editione sua dixit. — V. 26. Hostiaque libri optimi, recte. Puccius: *Hostia erit*, aliique libri, quod vulgo probant. — *mystica* plurimi, sed tenenda altera lectio rustica. Lachmannus illud reposuit.

Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat ét adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae:
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga panda boves,
Pax aluit vites et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum:

V. 36. navita *puppis* vel *pupis* libri, unde Lachmannus illud reposuit. Itali turpis, quod receptum vulgo. — V. 37. percussisque scriptura vulgata librorum. Cuiacianus recentior *percissisque*. Heinsius *exesisque* emendavit. Vossius *perculsis* intulit.

V. 46. panda. Alii boni *curva*.

Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs,
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores:
Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
Ah lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat: e caelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem perscindere vestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comae,
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
Perfluat et pomis candidus ante sinus.

V. 61. **perscindere** libri, quod violentiae maioris significationem habet. Lenius *rescindere*, vulgo de coniectura Heinsii lectum.

V. 68. **Perfluat** recte. Alii *profluat*, quod Vossius male recepit et Bachius.

ALBII TIBULLI
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo: non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

V. 1. faveat SCALIGER recte. Quod nec HUSCHKIO displicebat. Libri *valeat*, quod etiam apud LACHMANNUM vides. Vulgo *Quisquis ades*, *faveas*, de coniectura DOUSAE, qua non opus.

V. 11. discedat meliores libri. Alii *discedite*, quod vulgo receptum. — V. 12. Cui recte. ITALI *Quis*, quod vulgo receptum.

Casta placent superis: pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus,
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tum nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex virgis extruet ante casas.
Eventura precor: viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed 'bene Messalam' sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades aspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia caelitibus
Rura cano rurisque deos. his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem:
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum,

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas,
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores
Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos,
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
Dux pecoris hircus auxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.

V. 41. primi libri optimi. — Mox *domuisse* — *servitio* sine idonea causa Vossius et Bachius.

V. 58. Versus corruptus. Sana videntur verba: Dux pecoris, mirum vero si non scripsit poeta *dux hircus pecoris.* Tum libri auxerat, *hauxerat*, *hauserat*, pro quo vulgo *duxerat* legitur de coniectura Mureti.

Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et apposito pollice versat opus:
Atque aliqua assiduae textrix operata Minervae
Cantat, et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas
Gestit et audaces perdomuisse viros.
Hic iuveni detraxit opes, hic dicere iussit
Limen ad iratae verba pudenda senem:
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
Ad iuvenem tenebris sola puella venit
Et pedibus praetentat iter suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Vos celebrem cantate deum pecorique vocate
Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet.

V. 65. Vulgo *textis* de coniectura Fruterii minime necessaria. — Minervae Itali recte, libri *Minervam*.

V. 82. precor libri optimi et plurimi. Vulgo ex aliis placet *procul* etiam hic. Sed repugnat haec vehementia affectus leni initio distichi: *Sancte, veni dapibus.*

Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
Obstrepit et Phrygio tibia curva sono.
Ludite: iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro,
Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis
Somnus et incerto Somnia nigra pede.

ELEGIA II.

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras:
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit madeatque mero,
Annuat et, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis.
En age, quid cessas? annuit ille: roga.

V. 89. fulvis libri. Emendatum est *fuscis* aut *furvis*, quorum verius illud. — V. 90. nigra optimi, al. *vana*.

V. 5. Genius adsit optimi libri. Alii *adsit Genius*.

V. 6. florea reposui sententiae causa. Ac refert opportune nunc Lachmannus consentire in hoc Wittianum, Datianum, Askewianum, cum in editione Lachmanni errore operarum c pr. C scriptum sit h. e. Wittian. pr. Consensu trium illorum. Altera lectio *mollia* est, etiam apud Lachmannum.

V. 10. annuit libri. Vulgo *adnuet* secundum Excerpta Lipsii.

Auguror, uxoris fidos optabis amores:
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove,
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. utinam strepitantibus advolet alis
Flavaque coniugio vincula portet Amor,
Vincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas inficiatque comas.
Hac veniat Natalis avi prolemque ministret,
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

ELEGIA III.

Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam:
Ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.

V. 17. utinam libri. Vulgo *viden ut* de praeclara coniectura Gyeti et Heinsii. — strepitantibus libri. Vulgo *trepidantibus* de coniectura Italorum vix necessaria.

V. 21. *Hic veniat Natalis avis* Lachmannus ex libris. Ego cum Huschkio probo: Hac veniat Natalis avi, in quo *hac avi* de coniectura Heinsii scribitur, qui tamen sine iusta causa etiam *veniat* in *venias* mutavit et *ministret* in *ministres*, quod vulgo habent. Suspicor item cum Huschkio in pentametro *ut* pr. et a Tibullo scriptum.

V. 3. Libri fere latos. Vulgo *laetos* ex libris Mureti, quos veteres dicit. Ceterum confusio solemnis, cf. Burmann. ad Ovid. Epist. XII, 46, notante Heynio.

O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum
Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves!
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Laederet et teneras pustula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara intonsae profueruntve comae,
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
Quicquid erat medicae vicerat artis amor.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas

Et miscere novo docuisse coagula lacte,
Lacteus et mixtus obriguisse liquor.
Tum fiscella levi detexta est vimine iunci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quotiens illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et a templis irrita turba domum:

V. 5. Male alii *dum.* — aspicerem dominam. Vulgo incerto auctore *dominam adspicerem.*

V. 10. et. Vulgo *aut* inde ab Aldo 1515. — Post v. 14. vulgo omittuntur hi tres: Ipse deus cet., Et miscere sqq., Lacteus sqq. — V. 19. dum, recte. Quod Heynius, Vossius, Bachius praetulerunt *quum*, spreverunt recte cum alii tum Huschkius.

Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
Aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parva te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
Servire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella est,
Fabula sit mavult quam sine amore deus.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperat, ut nostra sint tua castra domo,

Ferrea non Venerem, sed praedam, saecula laudant:
Praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit.
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.

V. 34. libri Imperat, ut. Pro hoc vulgo legitur *imperitat*, incerto auctore. Sic visa est finita constructio v. domo. Sed prima: At tu, nunc carent verbo. Dicas pro iis postea tua castra substituta, dicas allocutionem abruptam in affectu, sed utcunque explices, apud Tibullum nihil simile invenias, qui hanc allocutionem nusquam sine verbo ponit. Quare lacuna statuitur verius.

Praedator cupit inmensos obsidere campos,
Ut multo innumeram iugere pascat ovem;
Cui lapis externus curae est, urbisque tumultus
Portatur validis mille columna iugis,
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi laeta trahant Samiae convivia testae
Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu divitibus video gaudere puellas:
Iam veniant praedae, si Venus optat opes;
Ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias:
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis:
Illi selectos certent praebere colores
Africa puniceum purpureumque Tyros.

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem saepe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

V. 42. Lachmannus cum Scaligero: *Ut multa innumera iugera pascat ove*, codicum optimorum auctoritati obtemperans. Ego cum prioribus editionibus et Broukhusio, Heynio, Wunderlichio, Huschkio, Bachio, Golberyo praefero Ut multo innumeram iugere pascat ovem, ut est in Eboracensi aliisque.

V. 43. urbisque optimi. Puccius aliique *urbique*, quod repositum a Broukhusio legitur vulgo.

V. 59. ipse libri. Heynius *iste* recte.

At tibi dura Ceres, Nemesim quae abducis ab urbe,
Persolvat nulla semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
O valeant fruges, ne sint modo rure puellae:
Glans alat, et prisco more bibantur aquae.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt:
Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua: si fas est, mos precor ille redi.

Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?
Ducite: ad imperium dominae sulcabimus agros:
Non ego me vinclis verberibusque nego.

V. 61. Ceres vulgo de coniectura Heinsii. Lectio *seges*. Tum habent libri *qui*, Itali vero quae, lectum quod vulgo inde ab Aldo. — Mox v. 62. Puccius *certa*, ceteri boni terra. Iam Lachmannus posuit: *At tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe*, et in pentametro *semina certa.* Sic ad amatorem locus pertinet. Sed probo quod vulgo receptum in textu vides.

V. 75. Versus excidit.

ELEGIA IV.

Hic mihi servitium video dominamque paratam:
Iam mihi, libertas illa paterna, vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et nunquam misero vincla remittit Amor,
Et seu quid merui seu quid peccavimus, urit.
Uror io: remove, saeva puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:
Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musae, si non prodestis amanti:
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

V. 4. Vossius, qui saepe *ut* pr. *et* male infert, hic mutavit temere Et in *Ut*, et remittit in *remittat*. Conf. Explicationem ad I, 2, 80. — V. 7. possim optimi. Alii *possem*, *possum*.

V. 12. nam libri optimi. Vincentius Bellov. in spec. doctr. 4, 138. *nunc*; Itali coniecerunt *iam*, quod vulgo receptum.

V. 15. non libri plurimi, nec causa idonea est quare *nil* reponatur. — V. 18. Vulgo *recurrat* ex libris interpolatis.

At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
Ne iaceam clausam flebilis ante domum:
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet dominamque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiae causas et Coa puellis
Vestis et e rubro lucida concha mari.
Haec fecere malas: hinc clavim ianua sensit
Et coepit custos liminis esse canis.
Sed, pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
Heu quicunque dedit formam caelestis avarae,
Quale bonum multis attulit ille malis!
Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
Fecit ut infamis hic deus esset Amor.
At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus et ignis opes:
Quin tua tum iuvenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam

V. 30. Vulgo *a* incerto auctore. Optimi ap. LACHMANNUM e; adde etiam HUSCHKII annotationem.

V. 36. Pro lectione librorum attulit ITALI *addidit* vel *abdidit*. Tum libri fere *ipse*, PUCCIUS ille. Conf. ad I, 2, 60.

V. 40. *Diripiant* BROUKHUSIUS ex libris nullius auctoritatis.

Seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
  Nec qui det maestas munus in exequias.
At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
  Vixerit, ardentem flebitur ante rogum:
Atque aliquis senior veteres veneratus amores
  Annua constructo serta dabit tumulo
Et 'bene' discedens dicet 'placideque quiescas,
  Terraque securae sit super ossa levis.'
Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?
  Illius est nobis lege colendus Amor.
Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
  Ite sub imperium sub titulumque, Lares.
Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni,
  Quicquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
  Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
  Mille alias herbas misceat illa, bibam.

ELEGIA V.

Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:
  Huc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
  Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

V. 43. veniet optimi. Alii *veniat* male. Mox *neque* primus Muretus intulit. Verum est nec — Nec; variationis nulla causa erat.

V. 4. Plerique meas, alii *tuas*. Bene Lachmannus suadet *mea*.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis,
Tuque regis sortes, per te praesentit aruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis:
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quae senis fata canit pedibus!
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis, et ipse precor quod canat illa doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares.
Nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.
(Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo,

V. 11. deditus probat LACHMANNUS cum HUSCHKIO, quem sequitur GOLBERYUS. Aliis placet altera lectio *debitus.* — V. 15. Sibylla est vulgo inde ab ALDO 1515 recte. LACHMANNUS cum libris plerisque *est* omisit. Mire VOSSIUS prosae orationi potius convenire putat *est*, tu confer Explicationem ad I, 1, 34.

V. 18. quod libri plerique, h. e. id quod, ut infra III, 4, 50. IV, 6, 15.

V. 23. firmaverat recte. Alii *formaverat*, *fundaverat.*

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
Et stabant humiles in Iovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa saepe gregis ditis placitura magistro
Ad iuvenem festa est vecta puella die,
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niveae candidus agnus ovis.)
'Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum caelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes,
Tandem ad Troianos diva superba venit.

V. 32. Nam vulgo libri. Puccius *Et*, quod receperunt Vossius, Wunderlichius, Bachius. — V. 35. Muretus *diti*, quem sequuntur Dousa, Passeratius, Vulpius, Vossius, Bachius, Huschkius, Golberyus. Atque huc ipse etiam inclino.

V. 40. Troica optimi et plerique. Vulgo *Troia*, quod tanquam emendatius et doctius Broukhusius ex uno Bodleiano reposuit. Vide de v. Observatt. Heynii.

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris:
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est
Albaque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,
Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano: sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et aeternum sit mihi virginitas.'
Haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit.
Iactavit fusas et caput ante comas.
Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit
Herophile, Phoeto Graiaque quod monuit,
Quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit sicco pertuleritque sinu,

V. 68. *Phoebo grataque* lectio. Sed optime nunc coniicit Lachmannus Phoeto Graiaque. — V. 69. *Aniena* et *Tiburs* Itali recte. Libri Tiberis et Albana, pro quo vulgo *Albuna* receptum de coniectura Scaligeri.

(Hac fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
Audita et lucos praecinuisse fugam:
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos
Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
Fataque vocales praemonuisse boves)
Haec fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus,
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus erit.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres,
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet: a stabulis tunc procul este lupi.

V. 73. strepitantia libri optimi. Quod Broukhusius e nonnullis reposuit atque etiam edit. princ. mai. *ann.* 1472 habet *crepitantia*, est vulgo proprium de armis. Ac notatum est saepe permutari in libris has voces, cf. Drakenb. ad Liv. V, 47. XXXIX, 15. Tamen nihil audeas contra auctoritatem librorum.

V. 79. Vulgo *fuerint* de coniectura Broukhusii.

V. 83. Lectio ubi. Vossius male *uti*, quem sequitur Bachius. Vulgo *io*, quae vere poetica est Heinsii coniectura, modo ne tam dissimilis esset lectioni librorum.

V. 86. *deficientque* Regiensis ut edit. princ. mai., quod receperunt Vossius, Huschkius, Bachius, Golberyus. Noli sequi.

Ille levis stipulae solemnis potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras,
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet,
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta, coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas extruet alte
Cespitibus mensas cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
Post modo quae votis irrita facta velit:
Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi praecipue. iaceo cum saucius annum
Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest iustos aut reperire pedes.

V. 110. cum iuvat libri, vulgo *tam iuvat* de coniectura Passeratii. Statius coniecit *dum*. Totum locum vulgo sic interpungunt: *Et mihi praecipue, iaceo cum saucius annum — tam iuvat ipse dolor.* — V. 111. *Vixque* vulgo male, quod primus Aldus dedit an. 1515. Frustra defendit Huschkius.

At tu (nam divum servat tutela poetas),
Praemoneo, vati parce, puella, sacro,
Ut Messalinum celebrem, cum praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens lauros: lauro devinctus agresti
Miles 'io' magna voce 'triumphe' canet.
Tum Messala meus pia det spectacula turbae
Et plaudat curru praetereunte pater.
Annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

ELEGIA VI.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa virum terrae via seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus valeantque puellae:
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.
Iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam!
Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.

Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licet, extinctas aspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno fenore reddat ager:
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus:
Spes etiam valida solatur compede vinctum
(Crura sonant ferro, sed canit inter opus):
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
Parce, per immatura tuae precor ossa sororis:
Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
Illius ut verbis, sis mihi lenta veto,

V. 16. **Si licet**, quod firmatur auctoritate codicis Eboracensis, putavit iam Muretus legendum. Alii libri *scilicet*. Vulgo *ilicet* ex uno codice, quo non opus. — V. 20. *melius cras fore semper ait*, malus hic ordo verborum nuper iterum placuit Vossio et Bachio. Sed vide Huschkium. Verius viderat iam Heynius.

Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Maestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi:
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces:
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu:
Saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
Agnosco voces, haec negat esse domi:
Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis:
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vivas,
Moverit e votis pars quotacunque deos.

V. 45. *vetat* libri. PONTANUS n e c a t, quae optima coniectura iure placuit vulgo. LACHMANNUS noster *vocat* proponit ad Propert. p. 182. quod non probaverim.

ALBII TIBULLI
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Martis Romani festae venere kalendae
(Exoriens nostris hic fuit annus avis),

„Vincentius Bellovacensis quoscumque versus ex hoc libro petitos affert, libro secundo Tibullii ascribit. 'Hic liber inscriptus [immo *scriptus*] videtur Lygdami nomine, qui amabat Neaeram. alioqui amicas Tibulli solas duas, Deliam et Nemesim, agnoscit Ovidius' Puccius. Haec carmina qui Tibullum Lygdami nomine composuisse censent, sed adolescentem necdum ad eam, quam libro primo ostendit, virtutem enisum, eos huic poetae iniuriam facere existimo, quem, ante annum ab u. c. 723. (in hunc enim partem libri primi referendam esse constat) scribentem, nimis inepto consilio maritum Neaerae natum finxisse velint belli Mutinensis tempore (5, 18), hoc est tum ad summum undecennem. multo his rectius iudicant, qui haec carmina non Tibullo sed alii poetae ascribunt. ei *Lygdamum* et amico Tibulli *Cerinthum* nomen fecisse puto qui hunc librum cum secundo et quarto edidit, post obitum Tibulli, nisi fallor: certe Ovidius neque in epistolis neque in epicedio Tibulli ex eis quicquam imitatus est, quod tamen postea saepe fecit. sed hic Lygdamus, quisquis fuit, in usu quorundam vocabulorum a Tibullo secessit. eius modi est, quod alter *o pereat* dixit, alter *ah pereat*, hic particula *autem* utitur, a qua ille abstinet (haec enim Huschkius p. 335 et Vossius p. 475 ob-

Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos:
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.
Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumicet et canas tondeat ante comas

servarunt), eius modi, quod Lygdamus 1, 14 praeter Tibulli morem *etenim* posuit et 4, 18 *mundum* pro caelo. praeterea Fridericus Iacobus, unicus linguae Latinae particularum investigator, monuit me Lygdamum coniunctionibus *dum*, *quod* et *ubi* usum non esse, *quamvis* autem 6, 29 cum indicativo, *postquam* 4, 41 cum plusquamperfecto coniunxisse, cum Tibullus *quamvis* cum coniunctivo, *postquam* cum perfecto copulare consuevisset. nihilo minus hic poeta nullum alium sibi quam Tibullum, in arte quem sequeretur, proposuit: hunc opere suo ita effinxit, ut in Tibulli domo scriptum iures: denique hunc etiam versuum faciendorum magistrum habuit. in versu pentametro artem huic cum illo communem ad Propertium olim ostendi p. 23: nunc hoc adiiciam, eum ipso Tibullo castiorem hexametros nullos post quartum trochaeum incisos posuisse. nam Tibullus cum primis annis vel Lucretii et Virgilii curam superans ea incisione ita tantum modo usus esset si in quinta decima versus mora vocabulum monosyllabum collocasset (I, 1, 71. 2, 23. 75. 4, 61. 6, 27), postea hac ipsa exceptione spreta, ad quam non nisi bis recurrit (I, 9, 39. IV, 2, 17), ceterorum exemplo paulum remisit (I, 9, 83. IV, 5, 15. 8, 3. 13, 13. II, 3, 13. 4, 11. 5, 25. 29. 31. 87. 6, 23)." Lachmann.

V. 8. meis. Videtur ab auctore *tuis* scriptum esse. — V. 10. Pro corrupto Pumicet, quod libri habent, Puccius offert *pumex*. Ac Huschkius *pumex cui* proponit pr. *Pumicet et*, optime.

Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen littera facta tuum,
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per vos, auctores huius mihi carminis, oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum cultumque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam longa donate salute
Atque haec submisso dicite verba sono:
'Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit et accipias munera parva rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniunx sive futura soror.
Sed potius coniunx: huius spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.'

ELEGIA II.

Qui primus caram iuveni carumque puellae
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.

V. 21. longa, recte ut videtur. Consentiunt in hoc Wittianus, Datianus, Askewianus apud Lachmannum et probavit id Scaliger. Amplexi sunt etiam Broukhusius, Vulpius, Huschkius, Golberyus. Alii boni libri *larga*, quod cum Cyllenio, Mureto, Statio, Passeratio, Heynius, Vossius, Bachius praetulerunt.

Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor:
Nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos
Et fleat ante meum maesta Neaera rogum.
Sed veniat carae matris comitata dolore:
Maereat haec genero, maereat illa viro.
Praefatae ante meos Manes animamque precatae
Perfusaeque pias ante liquore manus,
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legent,
Et primum annoso spargent collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis humorem tollere ventis
Atque in marmorea ponere sicca domo.

V. 15. Libri fere *rogate* vel *rogatae.* PUCCIUS precatae, *vel* precatae EBORACENSIS, quod MURETUS recepit. Idque vulgo probatum. Sic participia *precantes* et *rogantes* confusa in libris notavit BURMANN. ad Anthol. Lat. V. p. 150. — V. 18. 19. *legant, spargant*, vulgo a MURETO inde, quod verisimile. Praecedunt coniunctivi et sequuntur. — V. 21. ventis libri. ITALI *vittis* vel *velis*, quorum hoc placet. VOSSIUS minus bene *linis* vel *villis* emendat.

Illic quas mittit dives Panchaia merces
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera causam
Atque haec in celebri carmina fronte notet.
'Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neaerae,
Coniugis ereptae, causa perire fuit.'

ELEGIA III.

Quid prodest caelum votis implesse, Neaera,
Blandaque cum multa tura dedisse prece,
Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri
Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae
Inque tuo caderet nostra senecta sinu
Tunc cum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive Caryste tuis,

V. 24. Meliores quidem *dives*, sed hoc modo praecessit.

V. 9. permenso optimi, recte. Vulgo *praemensae* inde ab Aldo 1502. quod explosit Huschkius.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos
Aurataeque trabes marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat,
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est: falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque levantur:
Nam Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera:
At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversa non meus aure deus,
Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum tristesque sorores,
Stamina quae ducunt quaeque futura neunt,

V. 22. Libri plerique et optimi *gerit*, etiam Excerpta Frisingensia. Puccius et pauci codices inferioris ordinis regit, quod verum, idque Muretus, Scaliger, Heynius, Vossius, Huschkius, Golberyus amplectuntur.

V. 29. iuvant optimi libri et Vincentius. Puccius *iuvent*, quod alii sequuntur. Conf. supra I, 8, 39.

V. 36. neunt libri corrupte. *canunt* vulgo de coniectura Heinsii. Coniicio *regunt*.

Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

ELEGIA IV.

Dii meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit hesterna pessima nocte quies.
Ite procul, vani, falsumque avertite visum:
Desinite in votis quaerere velle fidem.
Divi vera monent, venturae nuntia sortis
Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pavidas mentes falsa timere iubent:
Et natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale?
Et tamen, utcunque est, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent,

V. 2. hesterna meliores. Vulgo *extrema* ex Cuiaciano recentiore. — V. 3. *vanum* Consensus codd. Wittiani, Datiani, Askewiani et *pr.* Eborac. ap. Lachm. vani Paris. et *rec.* Eborac. et omnino maior pars librorum, quamquam non est verum.

V. 4. in votis libri. Vulgo *in vobis* de coniectura Scaligeri. Itali *in somnis*, quod probat Huschkius, sequente Golberyo; Statius *inventis*. Bachius *et vobis* vel *a nobis*. Probabiliter Gyetus et Thierschius *in nobis*.

V. 9. Et libri, recte. Vulgo *At* de coniectura Mureti.

V. 11. Et tamen. Vulgo *Sed tamen* ex Thuaneo Gyeti *solo*, ait Lachmannus. Non recte igitur Florent. et Vatic. ad-

Efficiat vanos noctis Lucina timores
Et frustra inmeritum pertimuisse velit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto
Nec laesit magnos impia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat menti deus utilis aegrae:
Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum
Aetas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus,
Ut iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas,

duntur. Profecto hoc vel *At tamen* legendum oppositionis causa. Ceterum de confusione formularum *Et tamen* et *Sed tamen* vide primam Bentleii annotat. ad Terent. — moneri meliores recte. Al. *monenti* male. Sed pr. illi videtur *illis* scribendum.

V. 14. pertimuisse optimi. Vulgo *praetimuisse*.

V. 25. 26. corruptus locus. — V. 28. Stillabat libri omnes meliores. *Spirabat* pauci deteriores, quod tamen probant Passeratius, Vossius, Wunderlichius, Bachius.

Et cum contexunt amarantis alba puellae
Lilia et autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla:
Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit:
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit haec dulci tristia verba modo.
'Salve, cura deum: casto nam rite poetae
Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent:
Sed proles Semeles Bacchus doctaeque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens:
At mihi fatorum leges aevique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego quae dico non fallax accipe vates,
Quodque deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro,
Pro qua sollicitas caelestia numina votis,
Quae tibi securos non sinit ire dies,

V. 33. Et meliores. Alii *Ut*, quod receperunt Broukhusius, Heynius, Vossius, Huschkius, Bachius, Golberyus; sed non opus emphasi. Puccius *Aut*. — V. 34. et. Vulgo *ut* de coniectura Broukhusii, sed in ultimo membro etiam minor causa erat eiiciendi copulam, et frustra Huschkius etiam ad codices quosdam inferioris ordinis provocat.

Et cum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
Alterius mavult esse puella viri,
Diversasque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.
Ah crudele genus nec fidum femina nomen!
Ah pereat, didicit fallere siqua virum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis:
Tu modo cum multa brachia tende prece.
Saevus Amor docuit validos tentare labores,
Saevus Amor docuit verbera saeva pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse iuvencas
Non est in vanum fabula ficta iocum:
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora
Nec similes chordis reddere voce sonos,
Sed perlucenti cantus meditabar avena
Ille ego Latonae filius atque Iovis.
Nescis quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas
Immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas:
Vincuntur molli pectora dura prece.

V. 59. suas libri. Vulgo *tuis* de coniectura Lipsii.

V. 65. validos tentare labores Scaliger ex optimo Cuiaciano vetusto, qui ab hoc versu incipit. Alii lacunam, quae hic erat, aliter explent. — V. 66. saeva Cuiac. vet. Ceteri *posse*, quod optimum. — V. 67. niveas — iuvencas meliores. Alii *niveos* — *iuvencos*, quod Broukhusio placuit aliisque.

Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Haec illi nostro nomine dicta refer.
'Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse:
Felix hoc, alium desine velle virum."
Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
Ah ego ne possim tanta videre mala.
Nec tibi crediderim votis contraria vota
Nec tantum crimen pectore inesse tuo:
Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti
Nec flammam volvens ore Chimaera fero
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus horrendave Syrtis,
Sed culta et duris non habitanda domus
Et longe ante alias omnes mitissima mater
Isque pater quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia vertat
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

V. 81. corpore recte libri. Scaliger cum Aldo *pectore.*

V. 84. *pectori* primus Scaliger recepit. — V. 89. *Scyllave* Heynius et Vossius soli. — succincta Cuiac. vet. Vulgo magna varietas: *submixta*, *submissa*, *summista* cet. et *comixta*, *redimita*, *comitata*.

ELEGIA V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus:
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
Inmerito iuveni parce nocere, dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae,
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera nec cuiquam trita venena dedit,
Nec nos sacrilegi templis admovimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum,
Nec nos insanae meditantes iurgia mentis
Impia in adversos solvimus ora deos:
Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.

V. 3. maxima. Probo cum aliis coniecturam Scioppii *proxima*, de qua re pluribus in Explicatione dictum. Nullius pretii est Vossii coniectura: *nunc aequans sacris Baiarum munia lymphis*, et Huschkii: *nunc augens sacris Baiarum munera lymphis.*

V. 7. *deorum* Lachmannus cum libris plurimis. Itali *piorum*. Scaliger ex Cuiac. recent. virorum, quod unice verum, et probatum vulgo. — V. 10. trita Cuiac. vet. Ceteri *certa*. Vulgo *tetra* de coniectura Scaligeri. — V. 11. sacrilegi Cui. vet. *sacrilegos* Ebor., Paris., alii multi. — V. 13. mentis meliores. Pars *linguae*.

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis
Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequicquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae
Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti
Et nivei lactis pocula mixta mero.

ELEGIA VI.

Candide Liber, ades (sic sit tibi mystica vitis
Semper, sic hedera tempora vincta geras),

V. 17. primo nostrum. Alii *nostri.* Vulgo *nostri primum* ex libris paucis nec bonis, ait LACHMANNUS.

V. 32. *volent* vulgo ex uno.

V. 2. geras ITALI recte. LACHMANNUS cum libris *feras.*

Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem:
Saepe tuo cecidit munere victus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores:
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem:
Aut si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus, ille ferocem
Contudit et dominae misit in arbitrium,
Armenias tigres et fulvas ille leaenas
Vicit et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor et maiora valet. sed poscite Bacchi
Munera: quem vestrum pocula sicca iuvant?
Convenit ex aequo nec torvus Liber in illis,
Qui se quique una vina iocosa colunt:
Non venit iratus nimium nimiumque severus:
Qui timet irati numina magna, bibat.

V. 3. *medicando* libri. STATIUS medicande, quod recepit BROUKHUSIUS. Ac ducunt huc verba: *ipse pariter.* LACHMANNUS librorum lectionem posuit. — V. 6. Libri Et. Vulgo *I* de coniectura SCALIGERI. HUSCHKIUS male *Tu* inferre vult.

V. 15. *Armeniasque tigres* pauci libri, quod probarunt WUNDERLICHIUS, VOSSIUS, BACHIUS, male. Altera lectio etiam nervosior.

V. 21. Non venit codd. fere. *Iam venit* c. ALDO SCALIGER. *Cum venit* ITALI. LACHMANNUS vero optime coniicit: *Convenit — severos.* Libri severus. De LIVINEII coniectura vulgo legitur *severis.*

Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, siqua est,
Quid valeat laesi sentiat ira dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aeriae et nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae:
Venit post multos una serena dies.
Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum,
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae:
Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
Flevisti ignoto sola relicta mari:
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicunque dolore
Alterius disces posse cavere tuo.

V. 33 sqq. Hinc novum carmen ordiuntur libri et editiones ante Muretum, qui recte coniunxit, Scaligero obsequente.

V. 44. Vulgo *carere* cum bonis libris. Sed cavere habent Excerpta Scalig., Codex Cuiac. vet., Excerpta Frising., Vincentius, quod nunc recepi suadente etiam Lachmanno. — tuo optimi apud Lachmannum omnes et nunc etiam Excerpta Frising. *tuum* vero Excerpta Scalig. et Vincent. Bellov.

Nec vos aut capiant pendentia brachia collo
Aut fallat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos fallax iuravit ocellos
Iunonemque suam perque suam Venerem,
Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid totiens fallacis verba puellae
Conqueror? ite a me, seria verba, procul.
Quam vellem tecum longas requiescere noctes
Et tecum longos pervigilare dies,
Perfida nec merito nobis inimica merenti,
Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostrae convivia mensae
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

V. 47. Vulgo *iurarit* de coniectura FRUTERII. Quidam libri *iurabit*, nominatim PARISINUS. Sed verum iuravit quod ceteri omnes habent.

V. 52. Codices fere *precor*, etiam Excerpta FRISING. Sed procul PUCCIUS. Confusae voces etiam II, 1, 82. — V. 53. Vulgo *longas tecum* ex ALDO 1515. — V. 55. inimica optimi, recte. *nec amica* REGIENSIS aliaeque veteres. Conf. HUSCHK.

V. 62. PUCCIUS male *I*, quidquid dicat HUSCHKIUS. Pronomen Tu, quod omnes habent, necessarium. Mox *i* CUI. VET. Alii *et*, *es*.

ALBII TIBULLI
LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Te, Messala, canam. quanquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae valeant subsistere vires,
Incipiam tamen. a meritis si carmina laudes,
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua praeter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis, nec munera parva
Respueris. etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera caelo

V. 1. Libri *mea*. Vulgo m e ex Cuiac. recent. quod etiam mihi placet. Lachmannus *me et* scripsit. — V. 2. Cui. vet. *nequeant*, quod probat Lachmannus. Ceteri v a l e a n t. Dissensus librorum inde ortus, quod de constructione dubitabatur. — V. 3. Cui. vet. *at*. Ceteri fere a. Puccius *ac*, quod praestare videtur. Porro libri m e r i t i s, unde Lachmannus *a meritis* reposuit, Puccius *meritas*, quod probo cum aliis. — V. 5. p r a e t e r t e meliores. Complures *te praeter*, quod probarunt veteres editores et nonnulli recentiorum.

Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides deus ascensurus Olympum
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis,
Parvaque caelestis placavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in inmenso desederit aere tellus,
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
Huic et contextus passim fluat igneus aether,
Pendentique super claudantur ut omnia caelo:
At, quodcunque meae poterunt audere Camenae,
Seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra
Sive minus (certeque canent minus), omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quanquam antiquae gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores maius decus ipse futuris:

V. 14. placavit ITALI, quod restituit BROUKHUSIUS, libri plerique *pacavit*.

V. 21. libri e. Vulgo *a* de coniectura BARTHII, quod et ipse probo. — V. 22. et libri. PUCCIUS bene *ut*. — V. 25. *ultro*, vulgo quod probatur, non est in libris, et *sed* pr. *seu* in paucis. Tamen sensus melior. Propagavit VULPIUS. — V. 26. vovemus. Alii boni *movemus*, male quod placuit quibusdam.

At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique quique canent vincto pede quique soluto.
Quis potior, certamen erit: sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
  Nam quis te maiora gerit castrisve forove?
Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorve minorve,
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
  Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora vel parvae magnum decus urbis Ulixen,
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurreret horis,
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,

V. 33. Vulgo *stemmate*, quod habent Itali.

V. 39. Nam quis te Cuiac. vet. Ceteri vario modo aberrant. — V. 40. hic aut hic Cuiac. vet. aliique. Vulgo *hinc aut hinc* incerto auctore.

V. 51. decurreret recte. *decurrerit* c. Aldo Scaliger.

Nec valuit lotos coeptos avertere cursus,
Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho:
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos:
Incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda:
Solum nec doctae verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras:
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arcis,
Quis nunquam candente dies apparuit ortu,
Seu supra terras Phoebus seu curreret infra:
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deum proles levibus discurreret umbris,
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Cum canibus rapidas inter fera serperet undas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et erroris miseri Phaeacia tellus.

V. 64. Vulgo *Cimmeriorum* de coniectura Broukhusii.

V. 72. rapidas. Alii *rabidas* male. — fera Puccius recte et codices nonnulli, *freta* ceteri.

V. 78. erroris Cuiac. vet. Ceteri *errorum*.

Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia, maior.
Iam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles:
Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
Iecerit aut lento perfregerit obvia pilo,
Aut quis equum celeremve arto compescere fraeno
Possit et effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere passu,
Seu libeat, curvo brevius contendere gyro,
Quis parma, seu dextra velit seu laeva, tueri,
Sive hac sive illac grandis venit impetus hastae

V. 91. Vulgo *celerem arctato* de coniectura ITALORUM. LACHMANNUS bene addit: „Haud scio an *celeremque* cum AYRMANNO scribendum sit, nisi totum vocabulum ex v. 89. huc venit."

V. 93. passu EBOR., PARIS., CUIAC. VET. *cursu* WITTIAN., DAT., ASKEW. — V. 94. Libri contendere corrupte. Vulgo *compellere* vel *convertere* de coniectura BROUKHUSII et CRUSII. *compellere* etiam in codicibus legitur. Possis etiam *decurrere* coniicere. Nam genuina vox exciderat. — V. 95. Quis parma, seu, vera codicum optimorum lectio. — V. 96. grandis venit. Vulgo *veniat gravis*, quod a SCALIGERO in annotatione forte positum, ut observat LACHMANNUS, operae M. PATISSONII invexerunt.

Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis venient certamina Martis,
Adversisque parent acies concurrere signis,
Tum tibi non desit faciem componere pugnae,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem,
Dexter uti laevum teneat dextrumque sinister
Miles sitque duplex gemini victoria casus.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. testis mihi victae
Fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes,
Testis Arupinis et pauper natus in armis,
Quem si quis videat vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.

V. 98. venient recte, ut videtur, Ebor., Paris., edd. pr. ann. 1472. et Regiensis. Ceteri plerique *veniunt.* Quidam *veniant*, quod Scaliger dedit. — V. 99. parent optimi quique. Vulgo *parant* ex Aldinis. — V. 103. *duplici* — *Marte* vulgo de coniectura Salmasii. — seiunctim idem, libri *seu iunctum.*

V. 105. *geminis* — *castris* vulgo de coniectura Italorum receptum inde a Broukhusio. — V. 108. *Iapidiae* Cui. vet. aliique. Pars *Iapigiae.* Vera scriptura Iapydiae, cf. Drakenb. ad Liv. XLIII, 5, 3. Reimar. ad Dion. XLIX, 34, laudante Heynio.

V. 110. Arupinis Cui. vet. Vulgo *Arupinas* de coniectura Scaligeri. Ante hunc legebatur *Arupinus*, quod probaverim, quemadmodum *est*, quod Lachmannus bene coniecit pr. et. Vossius audacter coniecit *pauperque et natus in armis.* — V. 112. In parte librorum legitur post hunc insititius versus: *Namque senex longae peragit dum saecula vitae.*

Centum fecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanae subiecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
Quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine vestem
Indueras oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus,
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sunt muta silentia votis.
Iuppiter ipse levi vectus per inania curru
Affuit et caelo vicinum liquit Olympum
Intentaque tuis precibus se praebuit aure
Cunctaque veraci capite annuit: additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante deo magnis insistere rebus
Incipe: non idem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia nec latis audax Hispania terris
Nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus vel regia lympha Choaspes

Profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Aret Arecteis haud una per ostia campis,
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia nec saevis celebrans convivia mensis
(Ultima vicinus Phoebo tenet arva) Padaeus:
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos,
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus
Teque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso consistit in aere tellus
Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duae gélido vastantur frigore semper:
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque,
Quippe ubi non unquam Titan super egerit ortus.
At media est Phoebi semper subiecta calori,

V. 142. Cui. vet. *Ardet Arecteis*, ceteri meliores *Creteis ardet.* Pro *Ardet* Lachmannus Aret de coniectura scripsit. Pro Arecteis quidam ex amicis proponebat *Araxeis.* Scaliger et Heinsius, qui etiam *Radit* coniecit, volebant *Arecteos — campos.* Bachius *Radit Areccaeos* cum Salmas. ad Solin. p. 840. Vides nomen incertum esse. — V. 146. Hebrus. Vulgo *Istrus* de coniectura Broukhusii. — Magynos vel *Maginos* optimi. Alii *Mosinos.* — V. 151. consistit. Vulgo *considit* de coniectura Heinsii.

V. 157. egerit optimi quique, *ingerit* Regiensis. Illud Scaliger revocavit, hoc Broukhusius.

Seu propior terris aestivum fertur in orbem
Seu celer hibernas properat decurrere luces:
Non igitur presso tellus exurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent nec pabula terrae:
Non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est interque rigentes
Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similis utrinque tenens vicinia caeli
Temperat, alter et alterius vires necat aer:
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus:
Hic et colla iugo didicit summittere taurus
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere,
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.
Ergo, ubi praeclaros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.

V. 161. igitur Cui. vet. Ceteri *ergo.* — Pr. exurgit vulgo *consurgit* incerto auctore.

V. 167. similis utrinque tenens, producta finali syllaba v. *similis* in caesura. Vulgo *utrinque tenens similis* ex libris pessimis. — V. 168. necat Italus in margine ed. Venet. 1475. apud Heinsium. Libri *negat.*

V. 175. *per claros* Scaliger de coniectura, optima ut videtur, pr. praeclaros. — ierint Cui. vet. Ceteri *poscent.* Lachmannus vero coniecit *cierint.*

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: aeterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Cum memor ante actos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
Pro te vel densis solus subsistere turmis
Vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcunque, tuum est. nostri si parvula cura
Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.

V. 189. admonet Ebor., Paris., Puccius, cod. Datian., edit. princ. mai. et cum Aldo Scaliger. Alii *admovet.*

V. 195. densis solus optimi. *solus densis* cum Aldo aliisque Scaliger. — subsistere Cuiac. vet. aliique optimae notae libri. Ceteri *obsistere.* — V. 197. Vulgo *sit* pr. si incerto auctore. — V. 200. vincere Cui. vet. Ceteri *mittere.*

Quod tibi si versus noster, totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
Sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
Quandocunque hominem me longa receperit aetas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

CARMEN II.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis:
Spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.

V. 204. tunc — cum texerit optimi et cum Aldo Scaliger. *cum — contexerit* Puccius, quod primum Muretus in contextum intulit. — V. 205. celerem Cui. vet. Ceteri *fato*. — V. 209. *volucri — penna* vulgo de coniectura Heinsii.

Urit, seu Tyria voluit procedere palla:
  Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
  Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quicquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratae dives Arabs segetis
Et quascunque niger rubro de litore gemmas
  Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
  Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solemne sacrum: multos hoc sumet in annos:
  Dignior est vestro nulla puella choro.

CARMEN III.

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
  Seu colis umbrosi devia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in praelia dentes,
  Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura:
  O pereant silvae, deficiantque canes!

V. 19. gemmas optimi libri, et omnino tantum non omnes. *conchas* c. ALDO SCALIGER. — V. 20. aquis recte. Vulgo *equis* de coniectura SCALIGERI, sine idonea causa. — V. 23. Corruptus versus. hoc sumet codd. EBOR. et PARIS. sicque omnino veteres omnes libri, SCALIGERO teste. *haec sumit*, si HENSIO fides, CUIAC. VET. Alii *hoc fumet*, *hoc summat*, *hoc sumat*. „Fortasse *hoc sumite*", addit LACHMANNUS, quod equidem non spreverim.

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle manus?
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas:
Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit,
Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu:
Et quaecunque meo furtim subrepit amori,
Incidat in saevas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

CARMEN IV.

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.

V. 13. *cervae* vulgo de coniectura Broukhusii, „ne in pentametro ter sonet *τὸ i* sibilo odioso." — V. 15. *sic* vulgo de coniectura Heinsii pr. si lectum admisit Broukhusius. — V. 20. tange Cui. vet. cum aliis optimae notae libris. Alii *tende*, quod Broukhusius reposuit ex antiquis editionibus. — V. 21. subrepit recte libri optimi. *subrepet* vulgo e deterioribus duobus.

Crede mihi, propera: nec te iam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.
Effice ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color,
Et quodcunque mali est et quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sapores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant:
Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae
Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in aeternos aspera verba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non laedit amantes.
Tu modo semper ama: salva puella tibi est.
Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est, te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.
Phoebe, fave: laus magna tibi tribuetur in uno
Corpore servato restituisse duos.
Iam celeber, iam laetus eris, cum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.

V. 6. pallida vel *palida* libri corrupte. *candida* Heynius ex Romana ann. 1475. — V. 8. Vulgo *devehat* de coniectura Heinsii. — V. 9. *sopores* vulgo ex libris paucis nec bonis, ait Lachmannus.

V. 17—22. Nil — At — Phoebe. Primus Aldus ann. 1515. habet hunc ordinem versuum rectum. Libri *At — Phoebe — Nil*, et c. Aldo 1502. Scaliger. *At — Nil — Phoebe* Puccius.

Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

CARMEN V.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
Perque tuos oculos per Geniumque rogo.
Mane Geni, cape tura libens votisque faveto,
Si modo, cum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios iam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac nos soluisse dies.

V. 1. Qui mihi Cuiac. vet. *Est qui* ceteri.

V. 9. Libri Mane. Puccius *Alme.* Vulgo *Magne* incerto auctore. Alterutrum verum videtur iudice Huschkio. — tura optimae notae libri Ebor. et Paris. et c. Aldo Scaliger. Alii *dona.*

V. 16. nos. Puccius: „vel *quam*", quod etiam in codd. nonnullis. Alii denique aliter, *exsoluisse*, *dissoluisse* cet.

Optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat:
Nam pudet haec illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue: quid refert, clamve palamve roget?

CARMEN VI.

Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat:
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,
Sed iuveni quaeso mutua vincla para.
Sic bene compones: ullae non ille puellae
Servire aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret Amor.
Annue purpureaque veni perlucida palla:
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.

V. 20. *clamne palamne* viri docti, sine idonea causa.

V. 1. acervos. Minorem a libris auctoritatem habet altera lectio *honores.*

V. 7. neu quis Cui. vet. Alii *neve id*, *ne quid*, *ne nos*, *ne nox.*

Praecipit et natae mater studiosa, quod optet:
Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit,
Si, iuveni grata veniet cum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

CARMEN VII.

Tandem venit amor, qualem texisse pudori
Quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit in nostrum deposuitque sinum.
Exolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
Dicetur siquis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo quam meus ante, velim,
Sed peccasse iuvat, vultus componere famae
Taedet: cum digno digna fuisse ferar.

V. 15. Pro et vulgo *en* de coniectura Broukhusii, ut ipse significat. — Tum vulgo *quid* e Lipsii excerptis. Sed conf. II, 5, 18. — V. 16. iam sua. Itali *iam sibi.* Vulgo *clam sibi* de coniectura Heinsii, admissa primum a Broukhusio.

V. 19. Libri Si, *Sis*, *Sic* corrupte. — veniet plerique. Altera lectio *adveniet* est.

V. 1. pudori recte. Alii *pudore.* — V. 2. magis libri. Vulgo *minor* de coniectura Italorum. — V. 6. sua Cui. vet. *suam* ceteri. — V. 8. Ne cod. Ebor. aliique et cum Aldo Scaliger. Alii boni *Me.* Puccius *Ut.*

CARMEN VIII.

Invisus natalis adest, qui rure molesto
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
Atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam, nimium Messala mei studiose, quiescas,
Non tempestivae saepe propinque viae.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

CARMEN IX.

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
Natali Romae iam licet esse suo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

V. 4. *Aretino* libri. *Eretino* Itali. *Reatino* Huschkius. — Mox libri fere amnis, *annis*. Vulgo *annus* incerto auctore. Codex Thuaneus *Arnus* bene.

V. 8. Vulgo *Arbitrei* — *mei* de coniectura Heinsii. — quoniam Puccius et codices nonnulli. Ceteri, etiam optimi, libri *quamvis* et cum Aldo Scaliger.

V. 2. iam Cui. vet. *non* ceteri. Vulgo *nunc* de coniectura Italorum. — mox *tuo* libri. suo vulgo ex Aldd. ann. 1502, 1515. recte. — V. 4. *iam* pro nunc Vulpii librarius forte intulit, ut monet Lachmannus.

CARMEN X.

Gratum est, securus multum quod iam tibi de me
Promittis, subito ne male inepta cadam.
Si tibi cura togae potior pressumque quasillo
Scortum quam Servi filia Sulpicia:
5 Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
Ne cedam ignoto maxima causa toro.

CARMEN XI.

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae
Quod mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.
5 At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

CARMEN XII.

Ne tibi sim, mea lux, aeque iam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies,

V. 2. *Permittis* libri, unde Lachmannus habet. Promittis vulgo de coniectura Heinsii egregia. — V. 3. *Si* — *toga* vulgo de coniectura Heinsii, in qua Si probandum, *toga* non necessarium. Quidni enim vel sic *potius* ad Scortum suppleri recte possit? — V. 6. causa optimi. Vulgo *cura*.

V. 2. Quod. Vulgo *dum* de coniectura Heinsii recepta a Broukhusio. — V. 5. At Cuiac. vet. recte. Ceteri *Ah*. Vulgo *Nam* ex Aldd. ann. 1502, 1515.

V. 2. Ac Optimi libri.

Si quicquam tota commisi stulta iuventa,
Cuius me fatear paenituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

CARMEN XIII.

Nulla tuum nobis subducet femina lectum:
Hoc primum iuncta est foedere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam possis uni mihi bella videri,
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi:
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus.
Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna deos.

V. 3. Plerique *modo*, alii m i h i, ut PARISINUS optimus, quod lectum ante SCALIGERUM in editionibus probo cum aliis. — V. 5. Vulgo p o s s i s incerto auctore, quod verum. LACHMANNUS *posses* revocavit. — V. 9. Vulgo *possim* ex uno BROUKHUSII libro.

V. 15. H a e c SCALIGER iure dedit, de quo vide HUSCHKIUM. Cod. EBOR. *Nec.* PARIS. cum WITTIAN., DATIAN., ASKEW. *Hoc.* PUCCIUS *Per.*

Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
Iuravi stulte: proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam quodcunque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notae servitium dominae,
Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras.
Haec notat iniustos supplicibusque favet.

CARMEN XIV.

Rumor ait crebro nostram peccare puellam:
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non haec sunt nostro sine facta dolore:
Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli,
Haec tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis,
Improbus ut siquis nostrum violarit agellum,
Hunc tu — sed taceo: scis, puto, quod sequitur.

V. 3. facta optimi libri, etiam Cuiac. vet., mendose. Vulgo *iacta* de coniectura Pontani. Alii *ficta* emendarunt.

Villicus aerari. Annotat Lachmannus: „Haec duo carmina, quae inter Priapea leguntur (82, 83), Iosephus Scaliger se in codice Cuiac. vet. inter Tibulli opera reperisse testatur. Huius codicis scripturas, quantum ex annotatione Scaligeri intelligi possunt, expressi."

Quid hoc novi est? quid ira nuntiat deum?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum iaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape, qui sub arboris coma
Soles sacrum revinctus pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino?
At, o Triphalle, saepe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas
Abegimusque voce saepe, cum tibi
Senexve corvus impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Vale, nefande destitutor inguinum,
Vale, Priape: debeo tibi nihil.
Iacebis inter arva pallidus situ,
Canisque saeva susque ligneo tibi
Lutosus affricabit oblitum latus.
Sceleste penis, o meum malum grave,
Gravi piaque lege noxiam lues.
Licet querare: nec tibi tener puer
Patebit ullus, imminente qui toro
Iuvante verset arte mobilem natem,
Puella nec iocosa te levi manu
Fovebit apprimetve lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur, inter atra cuius inguina

Latet iacente pantice abditus specus
Vagaque pelle tectus annuo gelu
Araneosus obsidet fores situs.
Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit aeger angue lentior cubes,
Tereris usque, donec ah miser miser
Triplexque quadruplexque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners? pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel:
Sed ille cum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
Rigente nervus excubet lubidine
Et inquietus inguina arrigat tumor
Neque incitare cesset usque dum mihi
Venus iocosa molle ruperit latus.

DOMITII MARSI.

CARMEN XV.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores
Aut caneret forti regia bella pede.

COLLATIO
EDITIONIS TIBULLI PINELLIANAE
CUM ALDINA
A.
M. DII.

PRAEFATIO.

Praeter editiones principes Tibulli maiorem et minorem ann. 1472., quarum lectiones Huschkius in editione sua et nos in Supplemento editionis Tibulli Heynio-Wunderlichianae exhibuimus, duae aliae principes eiusdem saeculi descriptae sunt ab Huschkio Tom. I. p. xxxiii sqq. et a nobis in Supplemento modo dicto p. 8 sqq., *Pinelliana* ab Huschkio dicta, cum in Bibliotheca Maphaei Pinelli Veneti olim haberetur, et *Bartoliniana*. Ac *Bartolinianae* collationem cum Aldina ann. 1502. Huschkius in fine Tomi secundi editionis suae proposuit, *Pinellianae*, quae sola restabat nondum a quoquam collata, nos nunc primum exhibemus hoc loco lectiones,

a doctissimo Bardilio oblatas, cuius merita egregia de historia litteraria Tibulli norunt docti ex Huschkii editione et Supplemento nostro. Nam huius praeclari viri cura studioque eximio disquisitio de editionibus principibus Tibulli ad liquidum perducta est atque perfecta. Sed pergo narrare cetera. Exemplum Pinelli emptum ann. 1789. cum ceteris huius viri libris et in Britanniam translatum nunc pars est Spenzerianae bibliothecae; sed aliud eiusdem editionis exemplum V. D. Bardilius nuper emerat publice mens. Sept. ann. 1834. a libraria Metzleriana Stutgardiae cum aliis libris venditum, idque excussit diligenter. Atque hanc collationem nunc communicamus cum lectore, ut iam nulla editionum quattuor principum restet incognita. Impressus erat Tomus primus et maxima pars secundi editionis nostrae, cum ea ad nos deferretur, unde in fine huius Tomi subiecta est. Apographum quam accuratissime a Bardilio factum est adhibita Aldina ann. 1502., cum Huschkius etiam *Bartolinianam* cum hac exhibuerit collatam. Adscripsimus igitur versus et verba Aldinae, quibus opus erat, quemadmodum Huschkius, ut lector nihil desideraret ad comparationem. Praemonemus porro haec in universum de *Pinelliana*: Elegiae non distinctae sunt numeris in hac editione. Initio elegiarum abest prima littera. Scriptura valde mendosa; ac tribus prioribus elegiis vitia omnia notata sunt in apographo, postea vero maxima omissa. Editio non habet comma, sed punctum, colon (:), et interrogationis signum. Legitur semper *temptare*, *foelicem*, *obscula*, *scaeva*, *neera*, et quae sunt alia. Neque tamen sibi constat ubique orthographia in omnibus verbis, sic plerumque *lacrymis* etc. legitur, semel *lacrimis*, et saepe, non semper, ponitur

u pr. *n.* Alia verba passim distrahuntur, ut *in mites, per domuisse, ne mesi* al. Huschkius, qui non potuerat inspicere hanc editionem, scribit in Praefatione p. xi. editionis suae, videri sibi *Pinellianam* antiquissimam omnium, expressam, si forte, ad librum Senecae et Pontani[a] commentis non inquinatum; tu nunc aliter iudicabis, ubi videris II, 3, 16. et post 72. Senecae et Philelphi interpolationes, quas alter locus etiam coniunctas offert nec redditas accurate.

Fol. 1. a. ALBII. TIBVLI. POETAE. ILLVS
TRIS. LIBER. PRIMVS. ET. PRIMO
PRAEMIVM: QVOD. DIVITIIS:
ATQVE. MILICIA. SPRETIS. DELI
AM. AMET. ET. AMORI. VACAR
E. PRORSVS. VELIT. INCIPIT. FOE. *)
Iuitias alius fuluo ſibi cõgerat auro.

Lib. I. Eleg. 1.

V. 11. Textus Aldinus 1502. *ſtipes habet deſertus*
Editio Pinelliana. ſtipes hȝ desertꝰ
17. T. Ald. *in hortis,* — *Ed. Pin.* ꝛ ortis
18. T. Ald. *ſæua* — *Ed. Pin.* ſcæua
19. T. Ald. *felicis* — *Ed. Pin.* foelices
23. T. Ald. *uobis,* — *Ed. Pin.* nobis:
29. T. Ald. *bidentem,* — *Ed. Pin.* bidẽtes:
34. T. Ald. *de magno eſt præda*
Ed. Pin. de magno ẽ preda

*) Versus divisi sunt ut in editione ipsa; apographum apud Huschkium Tom. I. p. xxxiii. non est accuratum.

V. 35. T. Ald. *quotannis*, — *Ed. Pin.* quot ãnis:
44. T. Ald. *& ſolito membra leuare toro.*
Ed. Pin. & ſoluo membra leuare thoro.
45. T. Ald. *Quam iuuat immites* — *Ed. Pin.* Quam ī mites
46. T. Ald. *continuiſſe* — *Ed. Pin.* cõtenuisse
49. T. Ald. *ſit diues* — *Ed. Pin.* ſi diues
50. T. Ald. *Qui maris*, — *Ed. Pin.* Qui mari:
54. T. Ald. *V tdomus hoſtiles præferat exuuias.*
Ed. Pin. Vt domus exiles præferat eximias
55. T. Ald. *retinent uinctum* — *Ed. Pin.* retinẽt iũctũ
57. T. Ald. *laudari cupio* — *Ed. Pin.* laudari curo
59. T. Ald. *T e ſpectem*, — *Ed. Pin.* Et ſpectẽ
61. T. Ald. *positum* — *Ed. Pin.* poſtum
62. T. Ald. *lachrymis* — *Ed. Pin.* lacrimis
71. T. Ald. *iners ætas*, *nec amare*
Ed. Pin. īeres ætas. neqꝫ ãare
72. T. Ald. *blanditias capiti.* — *Ed. Pin.* blandicias capite.
74. T. Ald. *rixas* — *Ed. Pin.* riſſas
75. T. Ald. *tubæq;* — *Ed. Pin.* tubeqꝫ
78. T. Ald. *Dites* — *Ed. Pin.* Dices

E l e g. 2.

CONQVERITVR: Quod ianua ſit clauſa. & ad ianuã multis utit̃ blanditiis

V. 1. T. Ald. *compeſce* — *Ed. Pin.* cõpeſſe
2. T. Ald. *uicta ſopor*, — *Ed. Pin.* uictor ſopor.
3. T. Ald. *N eu quiſquam multo perfuſum*
Ed. Pin. Heu ꝗſꝗ multo ꝑfuſſũ
7. T. Ald. *I anua difficilis dominæ*
Ed. Pin. Lamina difficilis. domīæ
10. T. Ald. *Nec furtim* — *Ed. Pin.* Heu furtim
23. T. Ald. *N ec decet hoc* — *Ed. Pin.* Nec decꝫ hoc
25. T. Ald. *uagor* — *Ed. Pin.* uago
[26. T. Ald. *facit ipſa Venus*, — *Ed. Pin.* facit eſſe uenus:]
32. T. Ald. *imber* — *Ed. Pin.* ymber
33. T. Ald. *lædit*, — *Ed. Pin.* ledit

V. 36. T. Ald. *cælari* — *Ed. Pin.* celari
37. T. Ald. *quærite* — *Ed. Pin.* querite
39. T. Ald. *S iquis & imprudens ſpexerit, occulat*
Ed. Pin. Si quid & ĩprudẽs aſpexerit oculat
40. T. Ald. *Per'q; deos omneis* — *Ed. Pin.* Perq3 deus omnes
42. T. Ald. *ſentiat* — *Ed. Pin.* ſentiet
45. T. Ald. *ſydera* — *Ed. Pin.* ſidera
49. T. Ald. *I am ciet infernas magico ſtridore*
Ed. Pin. Iã tenet ĩfernas magico ſermoẽ
54. T. Ald. *Hecates perdomuiſſe*
Ed. Pin. hecatæ per domuiſſe
55. T. Ald. *cantus, quis fallere poſſes,*
Ed. Pin. cãt9: ꝗb9 fallere
59. T. Ald. *aliis, nam* — *Ed. Pin.* alii nam
60. T. Ald. *ſentiet eſſe nihil.* — *Ed. Pin.* ſentiet ipſe nihil.
63. T. Ald. *luſtrauit tædis, &* — *Ed. Pin.* lustrauit: cædis &
65. T. Ald. *totus abeſſet* — *Ed. Pin.* totus ut abeſſet
73. T. Ald. *Delia* — *Ed. Pin.* delea
74. T. Ald. *paſcere monte* — *Ed. Pin.* parcere monte
76. T. Ald. *ſomnus* — *Ed. Pin.* ſonnus
79. T. Ald. *tum plumæ,* — *Ed. Pin.* tũc plume
83. T. Ald. *incæſtus* — *Ed. Pin.* inceſtus
87. T. Ald. *tellurem* — *Ed. Pin.* tellure.
90. T. Ald. *ſæuiet* — *Ed. Pin.* ſcæuiet
93. T. Ald. *blanditias* — *Ed. Pin.* blandicias.
94. T. Ald. *fingere* — *Ed. Pin.* figere.
95. T. Ald. *caræue* — *Ed. Pin.* care ue
97. T. Ald. *circunſtetit* — *Ed. Pin.* circũterit
100. T. Ald. *acerba tuas?* — *Ed. Pin.* acerba meas?

E l e g. 3.

AD MESSALAM Cõquerit: quod apud phoecas egrotet. Laudat ætatem primã. et de mum ſe ducendũ ad eliſyos campos ait.?.

V. 3. T. Ald. *phæacia* — *Ed. Pin.* phæatia
4. T. Ald. *auida mors uiolenta manus.*
Ed. Pin. auida mors modo nigra manus.

V. 11. T. Ald. *ſuſtulit, illi* — *Ed. Pin.* ſuſtulit ille.
12. T. Ald. *Rettulit e triuiis omnia certa puer,*
Ed. Pin. Retulit omnia certa puer etriniis.
13. T. Ald. *dabant reditus. tamen eſt deterrita*
Ed. Pin. dabũt reditus, tamẽ ẽ deterita
14. T. Ald. *Quin fleret* — *Ed. Pin.* Cũ fleret
17. T. Ald. *omina* — *Ed. Pin.* omnia
19. T. Ald. *qnoties* — *Ed. Pin.* quotiens
23. T. Ald. *Iſis* — *Ed. Pin.* hyſis
24. T. Ald. *tocies œre* — *Ed. Pin.* tociens æra
25. T. Ald. *puréq;* — *Ed. Pin.* puræqȝ
35. T. Ald. *Saturno uiuebant* — *Ed. Pin.* Saturno iuuebãt
37. T. Ald. *cœruleas* — *Ed. Pin.* cæruleas
38. T. Ald. *ſinum,* — *Ed. Pin.* ſinu.
40. T. Ald. *Preſſerat* — *Ed. Pin.* Præſſerat
43. T. Ald. *domus ulla fores habuit, non fixus*
Ed. Pin. domus illa fores habuit: nõ fixũ
47. T. Ald. *enſes* — *Ed. Pin.* enſem.
48. T. Ald. *arte* — *Ed. Pin.* arce
49. T. Ald. & *uulnera ſemper,* — *Ed. Pin.* & uulnera ſꝑ
50. T. Ald. *nunc leti mille repente*
Ed. Pin. nũc læti mille reperte
58. T. Ald. *elyſios.* — *Ed. Pin.* eliſyos.
61. T. Ald. *ſeges, totosq;* — *Ed. Pin.* ſegeſqȝ totoſqȝ
63. T. Ald. *immixta* — *Ed. Pin.* inmixta
64. T. Ald. *miſcet* — *Ed. Pin.* miſſet
66. T. Ald. *myrtea ſerta* — *Ed. Pin.* mixtea ſerta
68. T. Ald. *Abdita,* — *Ed. Pin.* Adita:
69. T. Ald. *T hiſiphonéq; impexa*
Ed. Pin. Theſiphoẽ: quæ ĩpexa
70. T. Ald. *Sœuit* — *Ed. Pin.* Seruit
71. T. Ald. *T um niger in turba ſerpentum*
Ed. Pin. Tũc iuger in porta ſerpentũ
72. T. Ald. *œratas* — *Ed. Pin.* eratas
73. T. Ald. *tentare Ixionis Auſi*
Ed. Pin. temptare hysionis ausi
74. T. Ald. *celeri* — *Ed. Pin.* ſceleri

V. 75. T. Ald. *Tityus* — *Ed. Pin.* Titius
82. T. Ald. *militias.* — *Ed. Pin.* milicias.
84. T. Ald. *Assideat custos sedula semper anus.*
Ed. Pin. Aſſidiat cuſtos ſedula ſemper anus.
85. T. Ald. *lucenar* — *Ed. Pin.* lucerna
86. T. Ald. *plena* — *Ed. Pin.* pleno
89. T. Ald. *nuntiet* — *Ed. Pin.* nunciet

E l e g. 4.

AD PRIAPVM De amoribus puero℞. & execratur pecuniã ꝑ Venerẽ peccantes.?.

V. 3. T. Ald. *formoſos cepit* — *Ed. Pin.* formoſas coepit
4. T. Ald. *nitet,* — *Ed. Pin.* uitet:
7. T. Ald. *ego, tum Bacchi reſpondet*
Ed. Pin. ego: cũ bachi: reſpõdit
11. T. Ald. *anguſtis* — *Ed. Pin.* augustis
13. T. Ald. *audacia, cepit, at illi*
Ed. Pin. audatia coepit. ad illi
20. T. Ald. *ſigna* — *Ed. Pin.* ſingna
25. T. Ald. *Dictynna* — *Ed. Pin.* dictina
26. T. Ald. *Affirmes,* — *Ed. Pin.* Affirmet
31. T. Ald. *infirmæ uenêre ubi* — *Ed. Pin.* infirmæ Veneri ubi
32. T. Ald. *elæo* — *Ed. Pin.* eleo
33. T. Ald. *premeret,* — *Ed. Pin.* præmeret
34. T. Ald. *Mœrentem* — *Ed. Pin.* Merentem
36. T. Ald. *non ullam* — *Ed. Pin.* non illam
37. T. Ald. *phœbo, bacchóq; iuuenta.*
Ed. Pin. baccho phoeboq̃ʒ iuuentas
39. T. Ald. *tentare* — *Ed. Pin.* temptare,
41. T. Ald. *N eu comes* — *Ed. Pin.* Heu comes
44. T. Ald. *Venturam admittat imbrifer*
Ed. Pin. Veuturam amiciat. imbrifer
45. T. Ald. *cœruleas* — *Ed. Pin.* ceruleas.
48. T. Ald. *operi inſuetas attenuaſſe*
Ed. Pin. opera inſuetos atteruisse

V. 49. T. Ald. *altos* — *Ed. Pin.* altas
51. T. Ald. *arma, leui* — *Ed. Pin.* arua leui
52. T. Ald. *nudum uincat ut ille latus,*
Ed. Pin. nudã uincat ut ille lacus
53. T. Ald. *T unc tibi mitis erit, rapias tum cara*
Ed. Pin. Tnuc mihi mitis erit: rapias cũ cara
55. T. Ald. *poſt offeret ipſe uolenti,*
Ed. Pin. poſt afferet ipſa roganti
56. T. Ald. *implicuiſſe uolet.* — *Ed. Pin.* implicuiſſe uelit.
58. T. Ald. *aſſueuit* — *Ed. Pin.* aſueuit
60. T. Ald. *infelix* — *Ed. Pin.* infoelix
62. T. Ald. *nec ſuperent* — *Ed. Pin.* ne ſuperent
63. T. Ald. *purpurea eſt Niſi* — *Ed. Pin.* purpurea niſi
66. T. Ald. *amnis aquas.* — *Ed. Pin.* annis aquas.
68. T. Ald. *Idææ* — *Ed. Pin.* Hydeæ
70. T. Ald. *phrygios* — *Ed. Pin.* frigios
73. T. Ald. *Tityo* — *Ed. Pin.* Titio
74. T. Ald. *Tityum* — *Ed. Pin.* Ticiũ
77. T. Ald. *me, qui ſpernentur* — *Ed. Pin.* meq3 spernẽtur
78. T. Ald. *cunctis* — *Ed. Pin.* conctis
81. T. Ald. *E heu quam Marathus*
Ed. Pin. Heu heu q̃ maracus

E l e g. 5.

CONQVERITVR Cum pro amica nota fecerit alter ipſã teneat. & quod ruſticatu rus ſit cũ delia. nec uino nec alia Venere potuerit amori mederi. et demũ lenã execrat̃.?.

V. 1. T. Ald. *diſcidium me ferre* — *Ed. Pin.* diſſidiũ me fere
2. T. Ald. *longæ gloria fortis* — *Ed. Pin.* longæ gloria ſortis
3. T. Ald. *per plana citus ſola uebere*
Ed. Pin. ꝑ plẽa cit9 ſola uebere
6. T. Ald. *horrida* — *Ed. Pin.* orrida
7. T. Ald. *tamen per te furtiui* — *Ed. Pin.* tamẽ parce furtiui
9. T. Ald. *cum triſti* — *Ed. Pin.* quom tristo

V. 11. T. Ald. *ter circum lustraui sulfure*
Ed. Pin. te circũ lustram sulphure
14. T. Ald. *Somnia*, — *Ed. Pin.* Sompnia:
16. T. Ald. *nouem Veneri nocte* — *Ed. Pin.* nouem tota nocte
17. T. Ald. *fruitur nunc alter* — *Ed. Pin.* fruitur ıã alter
18. T. Ald. *precibus felix* — *Ed. Pin.* proecibus foelix
22. T. Ald. *teret.* — *Ed. Pin.* terret.
30. T. Ald. *Et iuuet in* — *Ed. Pin.* Adiuuet in
35. T. Ald. *caurusq;*, — *Ed. Pin.* eurusqȝ
38. T. Ald. *lachrymas* — *Ed. Pin.* lacrymas
45. T. Ald. *ad æmonium nereis Peléa quondam*
Ed. Pin. ad emoniũ nereis quæ pellea condã
46. T. Ald. *Vecta est frenato cœrula*
Ed. Pin. Victa est. frenato cerula
48. T. Ald. *exitium* — *Ed. Pin.* exitũ
56. T. Ald. *agat hanc triuiis* — *Ed. Pin.* agat e trıniis
58. T. Ald. *relicta* — *Ed. Pin.* relictta
59. T. Ald. *primum sagæ* — *Ed. Pin.* priuum sage.
64. T. Ald. *Subiicietq;* — *Ed. Pin.* Subicietqȝ
69. T. Ald. *nunc es, mea furta caueto*,
Ed. Pin. nũc est mea furta timeto
74. T. Ald. *excreat usque fores.* — *Ed. Pin.* excreat ipẽ fores.

E l e g. 6.

CONQVERITVR Ad amorẽ quod de lia ãet aliũ. & ui℞ admouȝ quod sibi nõ credat & laudat delie matrem.?.

V. 1. T. Ald. *inducar*, — *Ed. Pin.* ĩducãt
3. T. Ald. *mecum est, an gloria* — *Ed. Pin.* mecũ ẽ? ꝛ gloria
10. T. Ald. *Custodes, eheu* — *Ed. Pin.* Custodes. heu heu.
17 et 19. T. Ald. *Neu* — *Ed. Pin.* Heu
20. T. Ald. *trahat, et mensæ* — *Ed. Pin.* trahat ex mensæ
35. T. Ald. *T' e tenet*, — *Ed. Pin.* Tenet:
57. T. Ald. *N on ego te* — *Ed. Pin.* Non eo te
59. T. Ald. *Hæc me deducit tenebris*,
Ed. Pin. Hæc mihi te adducit teẽbris

V. 64. T. Ald. *Sit modo fas*, — *Ed. Pin.* Sit modo mihi fas
66. T. Ald. *Quicquid* — *Ed. Pin.* Quidquid
67. T. Ald. *uitta* — *Ed. Pin.* uicta
73. T. Ald. *uenerit iſte* — *Ed. Pin.* uenerit ipẽ.
80. T. Ald. *uellere fila parat.* — *Ed. Pin.* uellere ducta putat.
83. T. Ald. *olympo* — *Ed. Pin.* olĩpo
84. T. Ald. *inſidis quod ſit* — *Ed. Pin.* infidis ꝙ ſit

Eleg. 7.

GRATVLATVR De uictoria Meſſalæ contra aquitanos. .?. .?.

V. 2. T. Ald. *diſſolüenda* — *Ed. Pin.* diſſoluenda
3. T. Ald. *Hunc forte aquitanas*
Ed. Pin. Hanc fore equitanas
5. T. Ald. *romana* — *Ed. Pin.* rhomana
6. T. Ald. *euinctos* — *Ed. Pin.* euictos
9. T. Ald. *pirene* — *Ed. Pin.* pyrene
12. T. Ald. *Carmoti et flaui cœrula*
Ed. Pin. Carnoti et flaui cerula
13. T. Ald. *A t te Cidne* — *Ed. Pin.* Ac te cidine
14. T. Ald. *Cœruleus* — *Ed. Pin.* Ceruleus
15. T. Ald. *æthereo* — *Ed. Pin.* æthero
16. T. Ald. *cilicas.* — *Ed. Pin.* cylicas.
21. T. Ald. *ſirius* — *Ed. Pin.* ſyrius
22. T. Ald. *nilus abundet* — *Ed. Pin.* nillus abundat
23. T. Ald. *N ile* — *Ed. Pin.* Nille
25. T. Ald. *imbres*, — *Ed. Pin.* hymbres
26. T. Ald. *nec pluuio* — *Ed. Pin.* nec plumo
27. T. Ald. *Oſirim*, — *Ed. Pin.* oſyrim
29. T. Ald. *Oſiris*, — *Ed. Pin.* oſyris
35. T. Ald. *iucundos primum matura ſapores*
Ed. Pin. iocundos primum matura ſopores
42. T. Ald. *dura compede* — *Ed. Pin.* dura cuſpide
44. T. Ald. & *cantus*, *leuis*, *et aptus amor.*
Ed. Pin. & cantus: & leuis aptus amor.
45. T. Ald. *S ed uarii flores*, *et frons*
Ed. Pin. Sed uacui flores. frons

V. 46. T. Ald. *Fuſa ſed ad teneros lutea*
Ed. Pin. Fuſca ſed ad teneros lucea
47. T. Ald. *tibia* — *Ed. Pin.* tybia
53. T. Ald. *uenias, hodierna tibi dum*
Ed. Pin. uenias hodierne tibi dẽ
61. T. Ald. *agricola e magna* — *Ed. Pin.* agricola magna
62. T. Ald. *rettuleritq;* — *Ed. Pin.* retuleritqȝ

Eleg. 8.

CONQVERITVR DE PHOLOE
dilecta a maratho quod nõ curet. deinde exor
tatur eã ad concubitũ cum puero. .?. .?.

V. 1. T. Ald. *cœlarim, poſſit quid* — *Ed. Pin.* celare poſſũ ꝗd
2. T. Ald. *ferant miti lenia* -- *Ed. Pin.* ferant nuti leuia
11. T. Ald. *fuco* — *Ed. Pin.* fucco
14. T. Ald. *Arctáq; conſtrictos cogıt a luta pedes,*
Ed. Pin. Anſaqȝ compreſſos colligat arcta pedes.
19. T. Ald. *uicinis* — *Ed. Pin.* uicinus
21. T. Ald. *C antus et e curru* — *Ed. Pin.* Cantus & curru
35. T. Ald. *A t Venus* — *Ed. Pin.* An Venus
41. T. Ald. *iuuenta,* — *Ed. Pin.* iuuentas
43. T. Ald. *coma cũ mutatur,* — *Ed. Pin.* coma mutat̃
45. T. Ald. *tunc cura eſt albos a ſtirpe capillos*
Ed. Pin. nũc — — albos & ſtrepe capillos
49. T. Ald. *Heu Marathũ* — *Ed. Pin.* Seu marathum
52. T. Ald. *nimius luteo* — *Ed. Pin.* nimius luceo
54. T. Ald. *Coniicit, & lachrymis*
Ed. Pin. Conicit et lacrymis
57. T. Ald. *mihi eſt, ut lenis* — *Ed. Pin.* michi ẽ ut leuis
62. T. Ald. *toro?* — *Ed. Pin.* thoro.
66. T. Ald. *Illius credo tunc* — *Ed. Pin.* Illius ordo tunc
67. T. Ald. *lachrymare* — *Ed. Pin.* lacrymare
69. T. Ald. *Pholoë (moneo)* — *Ed. Pin.* pholoe moneo
77. T. Ald. *pœna manet niſi deſinis eſſe*
Ed. Pin. poena monet. tu deſitus eſſe

E l e g. 9.

DILECTI pueri fidẽ prætio corruptam
CONqueritur multa deuouens in eum.

V. 3. T. Ald. *Ah - - - - cœlat* — *Ed. Pin.* Ha - - - - celat
9. T. Ald. *patentia* — *Ed. Pin.* parentia
11. T. Ald. *puer, at Deus* — *Ed. Pin.* puer: ac deꝰ
17. T. Ald. *quoties,* — *Ed. Pin.* quociẽs
23. T. Ald. *cœlanti* — *Ed. Pin.* celanti
24. T. Ald. *Sit Deus, occultos qui uetat*
Ed. Pin. Sic deus ocultos qui uetet
25. T. Ald. *lene miniſtro* — *Ed. Pin.* læna ministro
26. T. Ald. *E deret ut multo* — *Ed. Pin.* Et decet. ut multo
31. T. Ald. *nullo te diuitis* — *Ed. Pin.* nullo tibi diuitis
32. T. Ald. *non gemmis* — *Ed. Pin.* non gemmis
33. T. Ald. *tibi ſi pretium* — *Ed. Pin.* tibi ſit preciũ
37. T. Ald. *at non* — *Ed. Pin.* ac nõ
41. T. Ald. *quoties* — *Ed. Pin.* quotiens
46. T. Ald. *Non poteram* — *Ed. Pin.* Nam poterã
55. T. Ald. *laxauerit* — *Ed. Pin.* laxuerit
57. T. Ald. *S int externa tuo ſemper ueſtigia*
Ed. Pin. Semper ſint externa tuo uestigia
63. T. Ald. *I lla queat nullam melius*
Ed. Pin. Illa nulla queat melius
64. T. Ald. *Atq; operum* — *Ed. Pin.* Aut operum
68. T. Ald. *pectere* — *Ed. Pin.* pectore
69. T. Ald. *I lla hœc* — *Ed. Pin.* Iſta hæc
73. T. Ald. *N on facit hoc uitio,*
Ed. Pin. Hæc facit hoc uicio:
75. T. Ald. *accubuit* — *Ed. Pin.* occubuit
78. T. Ald. *oſcula ferre* — *Ed. Pin.* obſcula fere
79. T. Ald. *uinctum* — *Ed. Pin.* uiçtum
80. T. Ald. *Et geret in gremio regna*
Ed. Pin. Et gerit in regno regna

E l e g. 10.

DETESTATVR BELLA. Laudās æta
tem primam & pacem .?. .?.

V. 3. T. Ald. *generi tunc prælia* — *Ed. Pin.* generi dū prælia
4. T. Ald. *Tunc* — *Ed. Pin.* Tum
15. T. Ald. *& iidem* — *Ed. Pin.* et idem
17. T. Ald. *N eu* — *Ed. Pin.* Heu
26. T. Ald. *hara.* — *Ed. Pin.* ara.
32. T. Ald. *& in menſa* — *Ed. Pin.* et immenſa
39. T. Ald. *laudandus hic eſt, quem*
Ed. Pin. laudandus. & hic ē quē
49. T. Ald. *at tristia duri* — *Ed. Pin.* at triſticis duri
50. T. Ald. *Militis in* — *Ed. Pin.* Millis in
54. T. Ald. *perfractas* — *Ed. Pin.* perfectas
60. T. Ald. *Verberat, è cœlo* — *Ed. Pin.* Verberat & cœlo
62. T. Ald. *ornatas diſſolüiſſe comas,*
Ed. Pin. ornatus diſſoluiſſe comas

Lib. II. E l e g. 1.

ALBII TIBVLLI Poetæ illustris liber pri·
m9 explicit. Incipit Secūd9 de agriluſtracōe.

V. 1. T. Ald. *ualeat,* — *Ed. Pin.* ualiat
2. T. Ald. *extat* — *Ed. Pin.* exſtat
11. T. Ald. *diſcedite ab* — *Ed. Pin.* diſcedat ab
16. T. Ald. *poſt olea candida* — *Ed. Pin.* poſt dea candida
19 et 20. T. Ald. *N eu* — *Ed. Pin.* Heu
24. T. Ald. *extruet* — *Ed. Pin.* exſtruet
25. T. Ald. *precor, uiden' ut felicibus extis*
Ed. Pin. præcor: uideri ut felicibus eſtis
26. T. Ald. *nuntia* — *Ed. Pin.* nuncia
27. T. Ald. *N unc* — *Ed. Pin.* Hūc
33. T. Ald. *aquitanæ* — *Ed. Pin.* æquitane

V. 35. T. Ald. *Huc ades,* — *Ed. Pin.* Nūc ades
44. T. Ald. *hortus* — *Ed. Pin.* ortus
45. T. Ald. *Aurea tunc* — *Ed. Pin.* Antea tunc
46. T. Ald. *Mixtáq; ſecuro eſt ſobria lympha mero.*
Ed. Pin. Mirtaqꝫ ſecuro ē ſobria limpha mero.
48. T. Ald. *flauas annua terra* — *Ed. Pin.* flauas anima terra
51. T. Ald. *primum ſatiatus* — *Ed. Pin.* primū ſacratus
55. T. Ald. & *minio* — *Ed. Pin.* & nimio
56. T. Ald. *duxit ab urbe* — *Ed. Pin.* duxit ab arce
58. T. Ald. *pecoris hircus auxerat, hircus*
Ed. Pin. peccoris hyrcus auxerat hyrcꝰ
63. T. Ald. *fœmineus* — *Ed. Pin.* fœmineis.
64. T. Ald. *appoſito* — *Ed. Pin.* oppoſito
69. T. Ald. *I llic* — *Ed. Pin.* Illinc
70. T. Ald. *Hei* — *Ed. Pin.* Heu
77. T. Ald. *prætentat* — *Ed. Pin.* pretē̄tat
79. T. Ald. *urget, at ille* — *Ed. Pin.* urget ad ille
80. T. Ald. *Felix,* — *Ed. Pin.* Foelix.
84. T. Ald. *Voce Palem, pecori* — *Ed. Pin.* Voce palam. pecori
87. T. Ald. *ſequuntur* — *Ed. Pin.* ſecūt̄
88. T. Ald. *laſciuo ſydera* — *Ed. Pin.* laſſiuo ſidera
89. T. Ald. *fuluis circundatus alis*
Ed. Pin. fulius cricūdat̄ alis

E l e g. 2.

AD CORINTTVM De uotiuo ſacrifi
cio ſui natalis celebrando. .?.

V. 2. T. Ald. *ades,* — *Ed. Pin.* adeſt
3. T. Ald. *thura* — *Ed. Pin.* tura
5. T. Ald. *genius* — *Ed. Pin.* genuıs
6. T. Ald. *ſanctas florea ſerta*
Ed. Pin. ſanctas mollia certa
9. T. Ald. *Cherinthe* — *Ed. Pin.* cornute
17. T. Ald. *cadunt, utinam ſtrepitantibus*
Ed. Pin. cadunt. ut ſtrepitantibus

E l e g. 3.

AD Cor̄ttū de puella Cōquerit ꝛ agro pōita

V. 1. T. Ald. *r Vra tenent Cornute meam, uillæq;*
Ed. Pin. Vra meā cornute tenēt uilleq;
2. T. Ald. *Ferreus eſt eheu quiſquis in*
Ed. Pin. Ferreus ē. heu heu quis in
5. T. Ald. *cum dominam aſpirem, quam*
Ed. Pin. cū aſpicerē dominā. quā
9. T. Ald. *quererer quod ſol* — Ed. Pin. quererer ꝙ ſol
10. T. Ald. *poſtula* — Ed. Pin. puſtula
12. T. Ald. *cithara, intonſæ profuerant'ue*
Ed. Pin. cythara intonſæ profuerūt ue
[16. T. Ald. *Et potum paſtas ducere fluminibus,*
Ed. Pin. Creditur ad mulctrā coſtituiſſe prius.] *)
[17]. T. Ald. *E t miſcere* — Ed. Pin. Et miſere
17 [21]. T. Ald. *Ah quoties* — Ed. Pin. O quotiens
19 [23]. T. Ald. *A h quoties auſæ caneret dum ualle*
Ed. Pin. O quotiēs auſæ coneret quom ualle
22 [26]. T. Ald. *et e templis* — Ed. Pin. & a templis
27 [31]. T. Ald. *delphica* — Ed. Pin. delphita
29 [33]. T. Ald. *aperte* — Ed. Pin. apertæ
33 [37]. T. Ald. *quiſquis is es, cui* — Ed. Pin. quiſꝗs est cui
35 [39]. T. Ald. *ſecula* — Ed. Pin. ſæcula
38 [42]. T. Ald. *mors propior'q;*
Ed. Pin. mors ꝓpriorq;
43 [47]. T. Ald. *tumultus,* — Ed. Pin. tumultu
44 [48]. T. Ald. *ualidis multa columna*
Ed. Pin. ualidis mille colūna
49 [53]. T. Ald. *E heu* — Ed. Pin. Heu heu
51 [55]. T. Ald. *Nemeſis fluat,* — Ed. Pin. nemeſis fluat:

*) Vide quae modo monuimus in Praefatione contra Huschkii sententiam T. I. p. xi. editionis suae ab eo propositam. Hunc versum Seneca fecit, ut discitur e codd. Dresdensi et Parisino. Conf. Huschkii editionem ad h. l., et de Seneca, qui ann. 1420 floruit, eundem in Praefatione pag. xv.

V. 53 [57]. T. Ald. *fœmina coa* — *Ed. Pin.* fœmĩa choa
58 [62]. T. Ald. *Africa* — *Ed. Pin.* Affrica
59 [63]. T. Ald. *ipse tenet, quo ſæpe coëgit*
Ed. Pin. ipſæ tenȝ quæ ſæpe coegit
60 [64]. T. Ald. *gypſatos* — *Ed. Pin.* lapſatos
61 [65]. T. Ald. *Nemeſim quæ ducis ab*
Ed. Pin. nemeſim que adducit ab
63 [67]. T. Ald. *iucundæ* — *Ed. Pin.* iocundæ

Post v. 72. interpositi leguntur hi duo:

Ha pereant artes & mollia iura tenendi
Oſtẽdit ueteri ꝑagrantes more puellæ. *)

V. 75 [79. T. Ald. *Ah pereant artes, & mollia iura colendi,*
Ed. Pin. Detur. ut accedã dominæ prouelle loquarqȝ]
77 [81]. T. Ald. *N unc ſi* — *Ed. Pin.* Huc ſi
78 [82]. T. Ald. *miſerum laxam quid*
Ed. Pin. miſerũ lapſam qnid

E l e g. 4.

CONQVERITVR De nemeſi & ꝗ ſit amoris uinculis innodatus ꝑqȝ non ꝓſĩt muſæ ſed premia poſcat amaſia. & poſcẽtes præcia ex ecrat̃

V. 1. T. Ald. *S Ic mihi* — *Ed. Pin.* I c mihi
5. T. Ald. *peccauimus, uror,* — *Ed. Pin.* peccauiꝰ: urit
13. T. Ald. *N ec proſunt elegi, nec carminis author*
Ed. Pin. Hec ꝓſunt elegi. nec carmĩs auctor
15. T. Ald. *ſi non prodeſtis* — *Ed. Pin.* ſi uõ ꝓdeſtis
17. T. Ald. *et qualis ut orbem* — *Ed. Pin.* & æqualis ubi orbẽ
29. T. Ald. *coa* — *Ed. Pin.* choa
35. T. Ald. *cœleſtis* — *Ed. Pin.* celeſtis
58. T. Ald. *Hippomanes,* — *Ed. Pin.* Hippõones

*) Confer Huschkii editionem ad hunc locum, videbis priorem versum a Seneca consarcinatum, posteriorem a Philelpho.

E l e g. 5.

INVOCATIO Phebi & eius laudes.

V. 2. T. Ald. *cithara*, — *Ed. Pin.* cythara
3. T. Ald. *chordas*, — *Ed. Pin.* cordas
4. T. Ald. *Nunc precor* — *Ed. Pin.* Hnc precor
18. T. Ald. *quod canat* — *Ed. Pin.* quod canit
21. T. Ald. *H æc fore* — *Ed. Pin.* Nec fore
23. T. Ald. *firmauerat* — *Ed. Pin.* formauerat
27. T. Ald. *umbram*, — *Ed. Pin.* ũbræ
32. T. Ald. *cæra* — *Ed. Pin.* cera
37. T. Ald. *fœcundi* — *Ed. Pin.* fecundi

[E l e g. 6.]

SIBYLLAE uaticĩum de ænea & urbe roma
Signa quæ uẽtura erãt. & lauri pronoftica.
Et fefta pallilia refert. demũ fe ne mefi cõẽdat

V. 41 [3]. T. Ald. *Iuppiter* — *Ed. Pin.* iupiter
43 [5]. T. Ald. *Numici* — *Ed. Pin.* numiti
47 [9]. T. Ald. *rutulis* — *Ed. Pin.* rutilis
48 [10]. T. Ald. *barbere* — *Ed. Pin.* barbare
51 [13]. T. Ald. *placitura* — *Ed. Pin.* placiture
67 [29]. T. Ald. *quicquid Marpefia dixit*,
Ed. Pin. quicqd in arpefia dıxt?
69 [31]. T. Ald. *tyburs per* — *Ed. Pin.* tybris ꝑ
71 [33]. T. Ald. *Hæ - - - - - cometen*,
Ed. Pin. Haec - - - - - cometẽ
72 [34]. T. Ald. *Multus* — *Ed. Pin.* Multis
73 [35]. T. Ald. *ftrepitantia* — *Ed. Pin.* ftrepitãcia
74 [36]. T. Ald. *præcinuiffe* — *Ed. Pin.* precinuiffe
77 [39]. T. Ald. *lachrymas* — *Ed. Pin.* lacrymas
80 [42]. T. Ald. *æquoribus*, — *Ed. Pin.* aequoreis.
82 [44]. T. Ald. *annus eat.* — *Ed. Pin.* annus erat.
83 [45]. T. Ald. *A t laurus bona figna*
Ed. Pin. Laurꝯ ubi bona figna

V. 84 [46]. T. Ald. *Diſtentet* — *Ed. Pin.* Diſcendet
85 [47]. T. Ald. *feriat* — *Ed. Pin.* feriet
86 [48]. T. Ald. *deficiunt'q;* — *Ed. Pin.* deficientqȝ
87 [49]. T. Ald. *At - - - - parilia* — *Ed. Pin.* Ac - - - - palilia
88 [50]. T. Ald. *Concınet, a ſtabulis*
Ed. Pin. Contınuet. ſtabulis
95 [57]. T. Ald. *T unc operata Deo*
Ed. Pin. Tũc ad operta deo
96 [58]. T. Ald. *cadet.* — *Ed. Pin.* cadit.
97 [59]. T. Ald. *e ueſte ſacris tendent*
Ed. Pin. e ueſte ſua tendent
99 [61]. T. Ald. *extruet* — *Ed. Pin.* exſtruet
108 [70]. T. Ald. *Eheu quam* — *Ed. Pin.* Heu: heu ꝗ
109 [71]. T. Ald. *E t mihi præcipue,*
Ed. Pin. At mihi præcipuæ:
115 [77]. T. Ald. *celebrem, cum* — *Ed. Pin.* celebrẽ. tum
116 [78]. T. Ald. *feret,* — *Ed. Pin.* geret.
117 [79]. T. Ald. *deuinctus* — *Ed. Pin.* deuictus
118 [80]. T. Ald. *canet,* — *Ed. Pin.* canat:

E l e g. 6 [7].

AD AMOREM. ꝙ reuocet macrũ caſtra petere ſtatuerat: ut amorẽ relinqueret .?.

V. 2. T. Ald. *Sıt comes,* — *Ed. Pin.* Si comes
8. T. Ald. *leuem* — *Ed. Pin.* lenẽ
10. T. Ald. *tuba eſt.* — *Ed. Pin.* tuba.
13. T. Ald. *quoties* — *Ed. Pin.* quotiens
18. T. Ald. *nefanda* — *Ed. Pin.* nephanda
20. T. Ald. *& melius cras fore ſemper ait.*
Ed. Pin. & fore cras ſẽper ait melius.
49. T. Ald. *ubi nox promiſſa mihi eſt,*
Ed. Pin. ubi uox mihi ꝓīſſa ẽ
50. T. Ald. *Nuntiat,* — *Ed. Pin.* Nunciat.
51. T. Ald. *mens mea perdita* — *Ed. Pin.* mens mihi ꝑdıta
53. T. Ald. *diras ſatis* — *Ed. Pin.* diræ ſatis

Lib. III. Eleg. 1.

ALBII TIBVLLI liber ſecundus explicit
Incipit Trrcius ad Neeram ſuam .?.

V. 1. T. Ald. *calendæ*, — *Ed. Pin.* kalendæ
6. T. Ald. *Neæra* — *Ed. Pin.* neera
14. T. Ald. *Sic etiam comptum*
Ed. Pin. Sic & enim comptũ
15. T. Ald. *authores* — *Ed. Pin.* auctores
18. T. Ald. *erat*, — *Ed. Pin.* erit
21. T. Ald. *S ed primum nympham larga*
Ed. Pin. Sed primũ nuntiũ larga
23. T. Ald. *Neæra* — *Ed. Pin.* neera
25. T. Ald. *caram magıs eſſe medullis*,
Ed. Pin. charã magis eſſe medulis

Eleg. 2.

DE AMORIS diſſidio queritur nomīe Ly
damii & optat funeri ſuo intereſſe Neeram
& eꝗdem ligdami epithaphion .?.

V. 5. T. Ald. *non hæc patientia noſtro*
Ed. Pin. non hoc patiemur & æquo.
8. T. Ald. *perpeſsæ tot ſupereſſe meæ.*
Ed. Pin. perpeſſæ tedea nata meæ.
10. T. Ald. *ſuper* — *Ed. Pin.* ſupra
15. T. Ald. *P ræfatæ - - - - rogatæ*,
Ed. Pin. Præfate - - - - rogate:
17. T. Ald. *quæ ſola* — *Ed. Pin.* quæq3 ſola
19. T. Ald. *lyæo*, — *Ed. Pin.* lieo

Eleg. 3.

AD NEERAM AMICAM SVAM:

V. 1. T. Ald. *Neæra?* — *Ed. Pin.* neeram.
5. T. Ald. *renouarent iugera tauri?*
Ed. Pin. renouarēt nigera thauri

V. 9. T. Ald. *præmenſæ* — *Ed. Pin.* præmenſo
12. T. Ald. *ſindant* — *Ed. Pin.* ſindant
14. T. Ald. *Tœnare* — *Ed. Pin.* Thenare
17. T. Ald. *erythræo* — *Ed. Pin.* eritheo
20. T. Ald. *Inuida quæ* — *Ed. Pin.* Inuidia quae
23. T. Ald. *iucunda* — *Ed. Pin.* iocũda
28. T. Ald. *auerſa* — *Ed. Pin.* aduerſa
29. T. Ald. *lydius* — *Ed. Pin.* lidius
38. T. Ald. *orcus* — *Ed. Pin.* orchus

E l e g. 4.

DE SOMNIO. In quo ſibi de Neera phebus uaticinatus eſt . ? .

V. 1. T. Ald. *d I meliora* — *Ed. Pin.* Ii meliora
6. T. Ald. *thuſcis* — *Ed. Pin.* tuſcis
9. T. Ald. *E t uanum metuens hominum genus, omnia*
Ed. Pin. Et manũ uẽtura hominũ ge9 õnia
14. T. Ald. *fruſtra immeritum* — *Ed. Pin.* fruſtra in me meritũ
15. T. Ald. *S i mea* — *Ed. Pin.* Dii mea
16. T. Ald. *læſit* — *Ed. Pin.* leſit
18. T. Ald. *cœruleo* — *Ed. Pin.* ceruleo
19. T. Ald. *ægræ* — *Ed. Pin.* ægre
29. T. Ald. *præfert* — *Ed. Pin.* profert
31. T. Ald. *V t iuueni primum uirgo deducta*
Ed. Pin. Vt iuuẽi primũ iuueni deducta
33. T. Ald. *V t cum contexunt amaranthis*
Ed. Pin. Et cũ contexunt adamantis
38. T. Ald. *leua garrula* — *Ed. Pin.* læna garula
39. T. Ald. *modulatus* — *Ed. Pin.* modulat̃
59. T. Ald. *mens anxia curas* — *Ed. Pin.* mens impia curas
63. T. Ald. *illi.* — *Ed. Pin.* illis
65. T. Ald. *Sœuus* — *Ed. Pin.* Scæu9
66. T. Ald. *Seuus* — *Ed. Pin.* Scæu9
69. T. Ald. *cithara* — *Ed. Pin.* cythara
71. T. Ald. *S ed perlucenti cantus*
Ed. Pin. Sed preducẽti cantum

V. 73. T. Ald. *N éſcit* — *Ed. Pin.* Neſcis
80. T. Ald. *Felix,* — *Ed. Pin.* Fœlix:
81. T. Ald. *defluxit pectore ſomnus.*
Ed. Pin. defluxit corpore ſomnus.
82. T. Ald. *Ah ego* — *Ed. Pin.* Hæc ego
87. T. Ald. *N ec canis anguinea* — *Ed. Pin.* Nec conſanguinea
92. T. Ald. *diris* — *Ed. Pin.* duris
93. T. Ald. *alios* — *Ed. Pin.* alias
96. T. Ald. *tepidos irrita ferre* — *Ed. Pin.* tepidos impia ferre

E l e g. 5.

DE SE AEGROTANTE.

V. 1. T. Ald. *n Os tenet* — *Ed. Pin.* Os teʒ
4. T. Ald. *remittit hyems.* — *Ed. Pin.* remittit humus.
5. T. Ald. *denuntiat* — *Ed. Pin.* denũciat
13. T. Ald. *meditantis iurgia linguæ*
Ed. Pin. medicantis iurgia mentis
21. T. Ald. *pallentes umbras* — *Ed. Pin.* pallentes undas
22. T. Ald. *tertia* — *Ed. Pin.* tercia
24. T. Ald. *cimerioſq;* — *Ed. Pin.* chimerioſqʒ
25. T. Ald. *Cum* — *Ed. Pin.* Quum
27. T. Ald. *nequicquam terrear* — *Ed. Pin.* nec ꝗcꝗ̃ terear
29. T. Ald. *Atq; mihi thuſcæ* — *Ed. Pin.* Atqʒ nobis tuſcæ

E l e g. 6.

ALLOQVITVR bachũ & redit ad Neerã

V. 2. T. Ald. *uincta* — *Ed. Pin.* iũcta
7. T. Ald. *curæ* — *Ed. Pin.* cure
8. T. Ald. *alitibus.* — *Ed. Pin.* altilibus.
15. T. Ald. *tigres,* — *Ed. Pin.* tygres
19. T. Ald. *in illos,* — *Ed. Pin.* ĩ illis.
20. T. Ald. *qui'q; unà uina iocoſa colunt.*
Ed. Pin. quiqʒ ıma uina iocoſa tollunt.
21. T. Ald. *I am uenit* — *Ed. Pin.* Non uenit
23. T. Ald. *hic, quantaſq;* — *Ed. Pin.* hic quãtũqʒ

V. 27. T. Ald. *ah demens, —* *Ed. Pin.* ha demens.
32. T. Ald. *multos —* *Ed. Pin.* multas

[E l e g. 7.]

DE NEERA CONQVERITVR.

V. 43 [11]. T. Ald. *dolore —* *Ed. Pin.* dolorē.
50 [18]. T. Ald. *Iuppiter, —* *Ed. Pin.* Iupiter
51 [19]. T. Ald. *toties —* *Ed. Pin.* tociens
56 [24]. T. Ald. *cara —* *Ed. Pin.* chara
57 [25]. T. Ald. *N aida Bacchus amat, ceſſas o lætæ*
Ed. Pin. Naiada bacchus amat. ceſſas olēte
58 [26]. T. Ald. *Temperet —* *Ed. Pin.* Temperat
[34. T. Ald. *Vt uideo —* *Ed. Pin.* Aut uideo
35. T. Ald. *commiſi —* *Ed. Pin.* comiſa]

Lib. IV. Carm. 1.

LAVS MESSALE Albii Tibulli liber Quartus fœliciter Incipit .?.

V. 3. T. Ald. *Incipiam —* *Ed. Pin.* Inopiam
4. T. Ald. *humiles, —* *Ed. Pin.* humilis.
5. T. Ald. *tua te præter chartis*
Ed. Pin. tua præter te chartis
8. T. Ald. *R eſpueris, etiam —* *Ed. Pin.* Reſpuens. etiam
9. T. Ald. *iucundior —* *Ed. Pin.* iocūdior
10. T. Ald. *I carus, —* *Ed. Pin.* Hycarus
11. T. Ald. *E rigonéq;, canisq; neget ne longior*
Ed. Pin. Erigonēq3 canis q3 neget tam longior
15. T. Ald. *taurus —* *Ed. Pin.* thaurus
18. T. Ald. *dictet —* *Ed. Pin.* dictat
20. T. Ald. *in curuum —* *Ed. Pin.* incuruū
24. T. Ald. *A t quodcunq; - - - camœnæ,*
Ed. Pin. Et quodcūq3 - - - camenæ
26. T. Ald. *canent —* *Ed. Pin.* canet
27. T. Ald. *mihi nomine c arta.*
Ed. Pin. mihi carmīe charta

V. 33. T. Ald. *capiet ſub* — *Ed. Pin.* capis ſnb
35. T. Ald. *Conuenientq;* — *Ed. Pin.* Conuenietqʒ
39. T. Ald. *gerit caſtris ue, foro ue,*
Ed. Pin. gerit chartis ue. foro ue:
40. T. Ald. *N ec tamen hinc tibi laus,*
Ed. Pin. Nec tāā hic: aut hic t̃ laus
41. T. Ald. *premit* — *Ed. Pin.* præmit́
42. T. Ald. *nec hac* — *Ed. Pin.* nec hæc
43. T. Ald. *Qualis inæquatum ſiquando onus urget utrinque*
Ed. Pin. Qualis ĩæquām ſi quādo onꝰ urgʒ utrĩqʒ
44. T. Ald. *depreſſior orbe.* — *Ed. Pin.* compreſſior orbe.
45. T. Ald. *ſeu diuerſi* — *Ed. Pin.* ſeu dimiſſi
47. T. Ald. *miteſcere* — *Ed. Pin.* muteſcere
48. T. Ald. *Itace* — *Ed. Pin.* ithacæ
49. T. Ald. *Vlyſſem,* — *Ed. Pin.* uliſſē
51. T. Ald. *S ecula fertılibus tıtan decurrerit*
Ed. Pin. Sæcula fertilibus titan decurreret
55. T. Ald. *cyclops* — *Ed. Pin.* ciclpos
56. T. Ald. *ætnææ neptunius* — *Ed. Pin.* æthnææ neptunus
57. T. Ald. *Victa* — *Ed. Pin.* Vncta
59. T. Ald. *leſtrygonas,* — *Ed. Pin.* leſtrigonas
60. T. Ald. *artaciæ* — *Ed. Pin.* athraciæ
61. T. Ald. *Circes.* — *Ed. Pin.* Cyrces.
64. T. Ald. *Cimmeriωn etiam obſcuras acceſſit ad oras,*
Ed. Pin. Cymenion etiā obſcuras acceſſit ad arces
67. T. Ald. *Plutoni ſubdita regna.*
Ed. Pin. plutonis ſubdita regno.
68. T. Ald. *diſcureret umbris.* — *Ed. Pin.* diſcuteret undis.
69. T. Ald. *ſirenum* — *Ed. Pin.* ſyrenum
70. T. Ald. *confinıa* — *Ed. Pin.* confima
71. T. Ald. *ſcyllæ* — *Ed. Pin.* ſyllæ
72. T. Ald. *rapidas inter freta ſerperet undas,*
Ed. Pin. rapidas infreta ſerper: & undas.
73. T. Ald. *charybdis,* — *Ed. Pin.* caribdis
77. T. Ald. *atlantidos arua calypsûs*
Ed. Pin. adlanthidos arua calypſos
78. T. Ald. *Finis & errorum miſeri phæacia*
Ed. Pin. Cuius & errorū miſeri phæatia

V. 79. T. Ald. *Atq; hæc* — *Ed. Pin.* Atqȝ hoc
83. T. Ald. *caſtris deducere* — *Ed. Pin.* caſtris producere
85. T. Ald. *Quem'ue* — *Ed. Pin.* Quē ne
91. T. Ald. *A ut quis* — *Ed. Pin.* At quis
94. T. Ald. *libeat curuo melius contendere*
Ed. Pin. libeat anno breuius contēdere
95. T. Ald. *ſeu quos dextra* — *Ed. Pin.* ſeu quis dextra
96. T. Ald. *uenit impetus haſtæ,* — *Ed. Pin.* ueint ĩpet9 haſte.
99. T. Ald. *parant* — *Ed. Pin.* parēt
102. T. Ald. *R ectus an æquatis* — *Ed. Pin.* Rectus inæquatis
103. T. Ald. *ſeu iunctum* — *Ed. Pin.* ſeu uictũ
104. T. Ald. *Dextera'q; ut leuum teneat, dextrum'q; ſiniſtra*
Ed. Pin. Dextraqȝ ut leuũ teneat dextraqȝ ſiniſter.
109. T. Ald. *deſiectus* — *Ed. Pin.* diſiectus
110. T. Ald. *T eſtis arupinus,* — *Ed. Pin.* Teſtis & arpinis:
112. T. Ald. *T erna* — *Ed. Pin.* Ternia
113. T. Ald. *fœcundos titan renouauerit*
Ed. Pin. fecundos titã renouauerat
115. T. Ald. *ualidis'q; ſedet moderator habenis,*
Ed. Pin. ualid9qȝ ſedet: moderat hēnis.
118. T. Ald. *contentus eris, maiora*
Ed. Pin. contentus, maiora
120. T. Ald. *nequeat* — *Ed. Pin.* nequeāt
122. T. Ald. *fertilis anni* — *Ed. Pin.* fertilis artis
126. T. Ald. *Quin rapidum placidis etiam mare*
Ed. Pin. Quom rapidũ placidis & mare
127. T. Ald. *V lla nec aerias* — *Ed. Pin.* Nulla hæc aertas
128. T. Ald. *quadrupes denſas* — *Ed. Pin.* q̃drupes clauſas
129. T. Ald. *Quin* — *Ed. Pin.* Quim
130. T. Ald. *I uppiter* — *Ed. Pin.* Iupiter
131. T. Ald. *cœlo uicinum* — *Ed. Pin.* celo uicynum
132. T. Ald. *præbuit* — *Ed. Pin.* prebuit
134. T. Ald. *Lætior* — *Ed. Pin.* Letior
136. T. Ald. *I ncipe, non iidem tibi ſint, aliis'q; triumphi,*
Ed. Pin. Incipe. uũc idē tibi ſũt aliiſqȝ triumphis
139. T. Ald. *fera rhetæo tellus*
Ed. Pin. ſera tyrrheno telius

V. 140. T. Ald. *N ec qua uel nilus, uel regia lympha choaſpes*
Ed. Pin. Nec qua nec nill9 uel regia lympha driaſpes
141. T. Ald. *dementia Sindes*, — *Ed. Pin.* demẽtia tyrus
142. T. Ald. *Cretæis ardens aut unda Cayſtria*
Ed. Pin. Cretheis ardet. aut unda chariſtia
143. T. Ald. *Tomyris ſiniuit Araxe*,
Ed. Pin. tamyris fimuit araxe
144. T. Ald. *ſæuis* — *Ed. Pin.* ſcæuis
145. T. Ald. *Phœbo tenet arua padæus*,
Ed. Pin. phebo tenet arua pacheus.
146. T. Ald. *at'q; moſinos*, — *Ed. Pin.* atqꝫ magõs
147. T. Ald. *ponto qua* — *Ed. Pin.* ponto q̃
149. T. Ald. *britannus* — *Ed. Pin.* britanus.
151. T. Ald. *circunfuſo conſiſtit in aere*
Ed. Pin. circũfuſo conſiſtit in ere
152. T. Ald. *E t quinq; in partes totus diſponitur orbis*,
Ed. Pin. Et quãq̃ in partes toto diſponitur orbe.
156. T. Ald. *in glaciem'q;* — *Ed. Pin.* inglatiemqꝫ
157. T. Ald. *ibi nonunquam titan ſuper ingerit ortus*,
Ed. Pin. ubi nõ nũq̃ titan ſuꝑ egent ortus.
161. T. Ald. *conſurgit* — *Ed. Pin.* exurgit
162. T. Ald. *præbent, nec* — *Ed. Pin.* prebẽt neqꝫ
167. T. Ald. *utrinq;* — *Ed. Pin.* uterqꝫ
170. T. Ald. *Hic &* — *Ed. Pin.* Huic &
171. T. Ald. *conſcendere* — *Ed. Pin.* concẽdere
172. T. Ald. *annua partus*, — *Ed. Pin.* anima ꝑtus
173. T. Ald. *conſinditur* — *Ed. Pin.* cõfunditur
174. T. Ald. *oppida* — *Ed. Pin.* opida
178. T. Ald. *ſi præſcribat carmina*
Ed. Pin. ſi præſtabat carmina
180. T. Ald. *Homero.* — *Ed. Pin.* homere.
182. T. Ald. *illi me* — *Ed. Pin.* illa me
185. T. Ald. *fœcundis indeficientia*
Ed. Pin. fecundis indeficitiẽtia
189. T. Ald. *memor accitos* — *Ed. Pin.* memor acritos
190. T. Ald. *relictis*, — *Ed. Pin.* relictus
191. T. Ald. *deficient noſtræ memorare camœnæ*,
Ed. Pin. defitient noſtræ mẽorare camenæ

V. 193. T. Ald. *maris ire per undas*,
Ed. Pin. mare ire ꝑ nudas.
194. T. Ald. *A duerſis hyberna licet tumeant freta uentis,*
P ro te uel ſolus denſis obſiſtere turmis,
V el paruum ætnææ corpus committere flammæ,
Ed. Pin. Vel paruũ æthnææ corp9 cõmittere flãmæ.
Pro te uel denſis ſolus ſubſiſtere turmis
Aduerſis hyberna licet. tumeant freta uẽtis.
197. T. Ald. *quodcunq; tuum est, noſtri ſit*
Ed. Pin. quicũq3 tuũ ẽ: noſtri ſi
198. T. Ald. *S it tibi* — *Ed. Pin.* Sit tibi
199. T. Ald. *Gylippi*, — *Ed. Pin.* gilippi.
200. T. Ald. *meleteas nec mallem mittere*
Ed. Pin. me letheas nec male mittere
201. T. Ald. *Quod tibi ſi uerſus noſter notus'ue*
Ed. Pin. Qui tibi ſi uerſus noſter tot9 ue
202. T. Ald. *notus*, — *Ed. Pin.* notas.
203. T. Ald. *canendi* — *Ed. Pin.* cauendi.
204. T. Ald. *tumulus cum texerit*
Ed. Pin. tumulus ꝗ texerit
210. T. Ald. *quencunq;* — *Ed. Pin.* quẽcũq3

Carm. 2.

LAVS SVLPITIAE AD MARTEM.

V. 1. T. Ald. *calendis*, — *Ed. Pin.* kalẽdis
6. T. Ald. *Accendit* — *Ed. Pin.* Aſcendit
7. T. Ald. *agit, quoquo* — *Ed. Pin.* agit quæ quæ
13. T. Ald. *felix uertunnus* — *Ed. Pin.* foelix uertumnus
19. T. Ald. *littore conchas* — *Ed. Pin.* littore gemmas
21. T. Ald. *calendis*, — *Ed. Pin.* kalendis?
22. T. Ald. *lyra.* — *Ed. Pin.* lira.
23. T. Ald. *H oc ſolenne ſacrum multos celebretur in annos,*
Ed. Pin. Hoc ſolempne ſacrũ multos hoc ſũmet ĩ ãos
24. T. Ald. *toro.* — *Ed. Pin.* thoro.

Carm. 3.

SVLPITIA ad Cherītũ de uenatiõe dīttēda

V. 3. T. Ald. *pectora* — *Ed. Pin.* pectore
7. T. Ald. *eſt, quæ mens denſos*
Ed. Pin. eſt. o quæ mẽs denſa
11. T. Ald. *Cherinthe* — *Ed. Pin.* Chermte
15. T. Ald. *ſyluæ,* — *Ed. Pin.* ſylue:
18. T. Ald. *Ne ueneris* — *Ed. Pin.* Da ueneris
20. T. Ald. *Caſte puer caſta retia tende*
Ed. Pin. Caſtae puer caſta retia tange
21. T. Ald. *quæcunq;* — *Ed. Pin.* quecunq3
22. T. Ald. *Incidat in ſæuas diripienda feras.*
Ed. Pin. Incidat & ſæuis diripienda feris.
23. T. Ald. *concede parenti,* — *Ed. Pin.* concede parumper

Carm. 4.

AD Phebũ pro cherīto. egrotãte q3 puella.

V. 4. T. Ald. *Formoſæ medicas* — *Ed. Pin.* Formoſe meditas
5. T. Ald. *macies pallentes occupet*
Ed. Pin. maties pallentes occupat
6. T. Ald. *Neu* — *Ed. Pin.* Heu
11. T. Ald. *N eu* — *Ed. Pin.* Heu
13. T. Ald. *uouet, interdum quod langueat*
Ed. Pin. uouet: interdũq3 langueat
15. T. Ald. *Cherinthe,* — *Ed. Pin.* Cherinte.

Carm. 5.

AD CHERINTVM De eius natali atq3
amore. & demum ad Venerem oratio .?.

V. 4. T. Ald. *déderunt regna ſuperba*
Ed. Pin. dederant regna ſuperbia
6. T. Ald. *nobis* — *Ed. Pin.* uobis
7. T. Ald. *amor, tua per dulciſſima*
Ed. Pin. amor ꝑ te dulciſſima

V. 8. T. Ald. *oculos, per geniumq;*
Ed. Pin. oculos pro geniumqȝ
9. T. Ald. *Mane ueni, cape* — *Ed. Pin.* Mane geni cape
11. T. Ald. *ſuſpirat* — *Ed. Pin.* ſuſpiret
15. T. Ald. *cathena,* — *Ed. Pin.* cattena
16. T. Ald. *poſthac quam ſoliiiſſe*
Ed. Pin. poſt hac nos ſoluiſſe
18. T. Ald. *pudet hæc* — *Ed. Pin.* pudet hic
20. T. Ald. *Annue, quid refert* — *Ed. Pin.* Anime quod refert

Carm. 6.

AD IVNONEM Cõmendatio puellæ .?.

V. 3. T. Ald. *lætiſſima* — *Ed. Pin.* letiſſima
9. T. Ald. *compones ulli non ille puellæ*
Ed. Pin. compones ulle non ille puelle
12. T. Ald. *mille* — *Ed. Pin.* millæ
14. T. Ald. *ſit libo,* — *Ed. Pin.* ſic libo
15. T. Ald. *P ræcipit* — *Ed. Pin.* Precipit
19. T. Ald. *S it iuueni grata, adueniet*
Ed. Pin. Si iuueni grata ueniet.

Carm. 7.

GRATVLATIO ad uẽrẽ de âoris obtẽtu

V. 3. T. Ald. *cytherea camœnis* — *Ed. Pin.* cytharea camenis
8. T. Ald. *Ne legat id nemo quam*
Ed. Pin. Me legat id uenio q̃
10. T. Ald. *Tædet* — *Ed. Pin.* Tedet

Carm. 8.

AD MESSALAM de obſentia cherinti

V. 1. T. Ald. *natalis* — *Ed. Pin.* natitalis
2. T. Ald. *erit.* — *Ed. Pin.* eriti.
3. T. Ald. *puellis,* — *Ed. Pin.* puellæ
6. T. Ald. *tempeſtiuæ* — *Ed. Pin.* tempeſtiue
7. T. Ald. *Hic* — *Ed. Pin.* His

Carm. 9.

AD THOSTRATVM De natali die .?.

V. 2. T. Ald. *Romæ non ſinit eſſe ſuo.*
Ed. Pin. rhomae non ſinet eſſe tuo.
3. T. Ald. *natalis agatur,* — *Ed. Pin.* natalibus agantur

Carm. 10.

AD SVLPITIAM .?.

V. 2. T. Ald. *Permittis* — *Ed. Pin.* Permittas
3. T. Ald. *preſſumq; quaſillo* — *Ed. Pin.* preſſumqȝ ꝗs illo
4. T. Ald. *Sulpitia.* — *Ed. Pin.* ſulpicia.
6. T. Ald. *maxima cura toro.* — *Ed. Pin.* maxima cauſa thoro.

Carm. 11.

AD CHERINTVM .?.

V. 1. T. Ald. *placiture* — *Ed. Pin.* placitura
4. T. Ald. *quoque* — *Ed. Pin.* queque
5. T. Ald. *N am mihi* — *Ed. Pin.* Ah mihi
6. T. Ald. *potes* — *Ed. Pin.* poteſt
12, 1 [7]. T. Ald. *æque tam* — *Ed. Pin.* æquæ iam
2 [8]. T. Ald. *Vt uideor* — *Ed. Pin.* Ac uideas
4 [10]. T. Ald. *pœnituiſſe* — *Ed. Pin.* penituiſſe

Carm. [12] 13.

AD AMICAM .?.

V. 1. T. Ald. *tuum titulis ſubducet*
Ed. Pin. tuũ nobis ſubducet
3. T. Ald. *T u mihi ſola* — *Ed. Pin.* Tu mō ſola
5. T. Ald. *A tq; utinam* — *Ed. Pin.* At utinã
6. T. Ald. *Diſpliceas* — *Ed. Pin.* Diſplicias
8. T. Ald. *gaudeat ille* — *Ed. Pin.* gaudeat ipſe
15. T. Ald. *Hæc per ſancta tuæ iunonis numina iuro,*
Ed. Pin. Hæc tibi ſancta tuæ iunonis numina. iuro
17. T. Ald. *heu cui mea pignora credo*
Ed. Pin. heu heu mea pigõra cædo

V. 19. T. Ald. *eris, nunc tu me* — *Ed. Pin.* eris: nũc me
20. T. Ald. *garrula* — *Ed. Pin.* garula
22. T. Ald. *dominæ,* — *Ed. Pin.* domine.
23. T. Ald. *confidam uinctus* — *Ed. Pin.* confidã iunctus

C a r m. [13] 14.

TETRASTICON de infamia fuæ puellæ.

In hoc carmine nihil variæ lectionis notandum fuit

T. Ald. *EPITHAPHION TIBVLLI.*

t E quoque Vergilio comitem non æqua Tibulle
Mors iuuenem campos mifit ad elyfios,
N e foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Ed. Pin. DPITHAPHION TIBVLLI POETAE

E queque uirgilio comitẽ nô æq̃ tibullæ
Mors iuuenẽ campos mifit ad helyfios
N e foret. aut elego molles qui fleret aõres
Aut caneret forti. regia bella pede :?.

ALBIVS Tibullus Regalis eques. Infignis
forã cultuq; corporis obferuabilis. ãte alios cor
uinũ. Meffalã originẽ dilexit. cuiꝰ ẽt cõtuber
nalis eq̃tanico bello militaribꝰ donis donatꝰ ẽ.
Hic multoꝝ iudicio ĩter elogrographos prĩci
pes ẽ hĩtꝰ. Epiftolæ quoq; eiꝰ ãatorie q̃q̃ breues.
õĩno utiles fũt obiit adolefcẽs. ut fupra fcriptũ. *)

Absolvitur antecedentibus fol. 42. b. editionis. Sequitur deinde sine inscriptione a fol. 43-47. b. Ovidii Epistola Sapphus ad Phaonem, quam non transscribimus. In fine accedit distichon, quod etiam apud Huschkium vides:

Illa furẽs phaoni quã fcripfit eplã fappho
Explicit: ex græco tranftulit. Ouidius

Tum desinit editio.

*) Errat, ut vides, Huschkius, qui Tom. I. p. xxxv. editionis suae scribit Epigramma Marsi et Vitam Tibulli abesse a Pinelliana.

Post haec restat, ut de collatione editionis minoris ann. 1472. aliquid addam, quam nos in Supplemento supra indicato exhibuimus et Huschkius in editione sua. Habet haec lacunam a carm. VII-XIII, 11. libr. IV., cum in exemplari Parisino, unde transscripta est, duo folia desint. Etiam hanc nunc explebit vir in talibus indefessus Bardilius, brevi ad nos transmissurus collationem istorum foliorum Londini factam. Quam ubi acceperimus, addetur huic editioni nostrae folium exhibens eam. Atque ita ab omni parte absoluta erit editionum principum cognitio.

SVPPLEMENTVM

COLLATIONIS EDITIONIS MINORIS

A. MCCCCLXXII.

Quod amicissimus Dissenius novae suae Tibulli editioni brevi adiuncturum promiserat, Collationis Editionis minoris a. 1472 Supplementum, id nunc demum post immaturam praeclari viri mortem mea cura, sane quam laboriose paratum, publicatur. Nam quum primo amicum Londinensem rogavissem, ut duo editionis illius folia, quae in Parisiensi exemplari desunt, ex Musei Britannici exemplo describenda curaret, diligenter inquirens verum esse comperit, quod scribit Heynius (v. Huschk. edit. Tibull. tom. 1. pag. XXXXIV.), ibi *maiorem* editionem a. 1472, non minorem, asservari. Sic elusus Romae Casanatensem et Corsinianam bibliothecam adii, in quo non fui felicior. Certior enim factus sum, in Casanatensi bibliotheca editionem Tibulli, quam quaererem, numquam exstitisse (v. Huschk. l. c. pag. XXXVIII.); Corsinianum exemplar cum multis aliis pretiosissimis libris Saec. XV. excusis ex Illustrissimi Principis bibliotheca in praeclaram illam Comitis Angeli Mariae Illycini (d'Elci) immigrasse. Huius bibliothecae praestantissimam partem quum munificentissimi possessoris testamento Laurentianae illatam esse scirem, iam Florentiam reiectus hic tandem duorum foliorum ra-

rissimi libri, tam diu frustra quaesiti, exemplum fideli Aloysii Balthasaris Grassii opera accuratissime transscriptum nactus sum. Ceterum quod Huschkius l. c. pag. XXXVIII sq. suspicatur, in Cantabrigiensi aliqua bibliotheca huius editionis exemplar exstare si non integrum Catulli, Tibulli et Propertii, at tamen Catulli et Propertii, id falso eum opinatum idem ille, cuius supra mentionem feci, Londinensis amicus mihi significavit. Namque eius rogatu doctissimus vir Cantabrigienses bibliothecas omnes diligentissime perscrutatus nullum tale exemplum reperire potuit, ut pro certo habendum sit, in *minore* illa editione a. 1472 solum Propertium, non item Catullum, cum Tibullo coniunctum fuisse. Huius autem exemplaris duo folia repraesentans in iucundam illius temporis memoriam redeo, quo desideratissimis viris, Huschkio et Dissenio, comes in tractandis suavissimi poëtae carminibus eorumque primis editionibus accuratius describendis studiose versatus sum. Edito autem hoc Supplemento nihil iam superest quod ad rationem earum perspiciendam requiri possit.

D. Uraci
Die xx. Decemb. GUIL. BARDILI.
A. MDCCCXXXVII.

(Fol. XXXIII.)

Cōpoīt furtī ſubſeqtq; decor.
Seu ſolvit crines: fuſis decet eſſe capillis
Seu compſit: comptis ē venerāda comis
Urit seu tiria voluit ꝓcedere palla
Urit seu nivea candida veſte venit.
Talis in æterno foelix vertūnus olimpo.
Mille habet ornatus mille decenter habet
Sola puellarū digna ē cui mollia charis

Vellera det ſuccis bis madeſacta tiros.
Poſſideatq; metit qcqd bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives arabs segetis
Et q̃ſcunque niger rubro de littore gemmas
Proximus ęois colligit ĩdus aquis
Hanc vos pierides festis cãtate Kalendis:
Et teſtudinea phoebe sup̱be lira.
Hoc ſolenne ſacrũ multos hoc ſumet ĩ ãnos
Dignior ẽ vestro nulla puella thoro.

AD. CHERINTUM.

Parce meo iuveĩ ſeu qſ bona paſcua cãpi
Seu colis umbroſi devia montis ap̱
Nec tibi ſit duros acuiſſe ĩ pectore dentes
Incolumẽ cuſtos hũc mihi ſervat amor
Sed ꝓcul abducit venãdi delia curam
O pereant ſilvæ deficiantq; canes
Quis furor ẽ et quae mẽſ dẽſos ĩdagiẽ colles
Claudendo teneras lædere velle manus
Quidve iuvat furtĩ latebras ĩtrare ferarũ
Candidaq; armatis crura notare rubis
Sed tamen ut tecum liceat cherinte vagari:
Ipã ego per montes retia torta feram.
Ipã ego velocis quæram veſtigia cervi
Et demam cœleri ferrea vincla cani
Tũc mihi tunc placeãt ſilvę: si lux mea tecũ
Arguat ante ipãs cõcubuiſſe plagas.
Tunc veniat licet ad caſſes illęſus abibit
Ne veneris cupidę gaudia turbet aper
Tunc ſine me ſit nulla venus. sed lege dianæ
Caste puer caſta retia tende manu.
Et quæcunq; meo furtim ſubrepit amori
Incidat in ſævas dirripienda feras
At tu venandi ſtudium concede parenti
Et cœler in noſtros ipẽ recurre ſinus?

AD. CHERINTUM.

HUc ades & teneræ morbos expelle puellæ
Huc ades intonſa phoebe sup̱be coma
Crede mihi ꝓpera: nec iam te phoebe pigebit
Formosae medicas appoſuiſſe manus
Efficies neu macies pallentes occupet arctus —
Neu notet informis pallida membra color
Et quodcũqȝ mali eſt: & quicq̄d triſte timemus
In pelagus rapidis evehat amnis aquis
Sancte veni: tecumqȝ feras cunqȝ ſapores
Quicunqȝ & cantus corpora feſſa levant
Neu iuvenẽ torque: metuit q̱ fata puellæ:
Votaqȝ ꝓ domina vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum ꝗ langueat illa
Dicit in æternos aſpera verba deos
(Fol. XXXV.)
Tandẽ venit amor qualem texiſſe pudorẽ
Et nudaſſe alicui ſit mihi fama magis
Exorata meis illa cytherea camenis
Attulit in noſtrũ depoſuitqȝ ſinũ
Exoluit promiſſa venus mea gaudia narret
Dicetur ſiquis nõ hiũſſe ſua
Nõ ego ſignatis q̱cq̱ mãdare tabellis
Me legat id nemo q̃ meus ante velim
Sed peccaſſe iuvat vultus cõponere famæ
Tedet cũ digno digna fuiſſe ferar

EIUSDEM. DE NATALI. DIE

INvisus natalis adeſt qui rure moleſto
Et ſine cherĩto triſtis agendus erit
Dulcius urbe q̱dem an villa ſit apta puellis
Atqȝ aretino frigidus amnis agro
Iam nimiũ meſſalla mei ſtudiose quieſcas
Nõ tempeſtivæ ſæpe ꝓpĩqȝ viæ
Hic animũ ſenſusqȝ meos abducta reliq̱
Arbitrio q̃vis nõ ſinis eẽ meo

AD MESSALLAM.

S Cis iter ex animo ſublatũ triſte puellæ]
Natali romę nõ ſinet ẽẽ tuo
Omnibus ille dies nobis natalis agat̃
Qui nec opinati nũc tibi forte venit

DE. SULPITIA

G Ratũ eſt ſecuris multũ qd iã mihi deme
Permittas ſubito ne male ĩepta cadam
Sit tibi cura togæ potior p̃ſſũq3 quaſillo
Scortũ: quã ſervi filia ſulpitia
Soliciti ſũt ꝓ nobis qbus illa dolori ẽ
Ne credã ignoto maxĩa cauſa toro

AD. CHERINTUM.

E St ne tibi crerĩte tuæ placiture puellæ
Qui mea nũc vexat corꝑa feſſa calor
Ha ego nõ aliter triſtes evĩcere morbos
Optarim q̃ te sic quoq3 velle putem
Ha mihi qd ꝓſit morbos evĩcere? qd tu
Noſtra potes læto pectore ferre mala
Nec tibi ſim mea lux æque tã fervida cura
Ac videor paucos ante fuiſse dies
Si qcq tota comiſi stulta iuvẽta
Cuius me ſatear poenituiſſe magis
Heſterna q̃ te ſolũ ꝗ nocte reliqui
Ardorẽ cupies diſſimulare meũ

AD. AMI:CAM

N Ulla tuũ nobis ſubducet foemĩa lectũ
Hoc primũ iũcta ẽ foedere nrã venus
Tu modo sola places nec iã te p̃ter ĩ urbe
Formoſa ẽ oculis ulla puella meis
Atq3 utinã poſſes uni mihi bella videri
Diſpliceas aliis. ſic ego tutus ero
Nil opus ĩvidia ẽ ꝓcul abſit gloria vulgi
Qui ſapit ĩ tacito gaudeat ipẽ ſinu

Sic ego fecretis poffum bene vivere filvis
Qua nulla humano fit via trita pede
Tu mihi cura ♃ reqes: tu nocte vel atra

Huic Descriptioni tres Notas adnectendas censui:

1) Verbis mandati obsequens etiam Errata omnia Editionis et Impressionis accuratissime transscripsi.

2) Ea adhibita sedulitas est, ut etiam litterae *i* apices, prout in Editione inveniuntur, superpingerentur vel omittere tur.

3) Notae compendiariae, etsi generatim sedulo, signanter tamen ob artis calligraphicae imperitiam non potuerunt ad amussim exprimi.

Florentiae
IX. Cal. Nov.
A. MDCCCXXXVII.

ALOYSIUS. BALTHASAR GRASSIUS.

ALBII TIBULLI

CARMINA

EX RECENSIONE CAR. LACHMANNI

PASSIM MUTATA

EXPLICUIT

LUDOLPHUS DISSENIUS

SOCIETAT. REG. GOTTING. SODALIS

ACADEM. REG. BAVAR. RESPONDENS PER EPISTOLAS.

PARS POSTERIOR,

Commentarium continens.

GOTTINGAE, MDCCCXXXV.

TYPIS ET IMPENSIS LIBRARIAE DIETERICHIANAE.

COMMENTARIUS

IN

T I B U L L U M.

COMMENTARIUS IN TIBULLI

LIBR. I. ELEG. I.

INTRODUCTIO.

Tibullus, qui modo stipendia equestria fecerat, a M. Valerio Messala Corvino invitatus erat ut cum eo in novum bellum proficisceretur, cum autem nollet, excusat se patrono hoc carmine. Quaeras quaenam fuerit haec expeditio. De Aquitanico bello et statim post suscepta a Messala navigatione in Asiam ad res Orientis componendas cogitari nequit; his enim itineribus interfuisse Tibullum ad elegiam tertiam et septimam videbimus. Neque post illud tempus constat Messalam bellandi causa Roma abfuisse. Restat igitur ut quod ante Aquitanicum gestum est contra Antonium bellum intelligamus, scriptumque statuamus carmen ante ver anni 723., cum copiae Antonium superaturae in Graeciam traiiciendae essent. Ac conveniunt optime cum hac sententia versus 49 sqq. ubi de maritimo itinere loquitur poeta et aurum smaragdosque contemnit, quales e praeda orientalium populorum sperare licebat. Quod vidit imprimis Vossius, probavit Passovius. Accedamus nunc propius ad carmen ipsum. Poeta lassus militaris vitae tandem rus redire volebat, simul amoris vinculis per hoc tempus captus erat: quare nunc militiae divitias et gloriam promittenti, sed irrequietae et terrore perpetuo hostium vicinorum agitatae opponit securam tranquillitatem et iucunditatem vitae modico contentae, quae domi in otio rustico et amore agatur. Ac primum rusticae vitae iucunditates tractat, cum praedium haberet exiguum quidem ex amplioribus agris, sed gratissimum sibi, maxime qui delectaretur rure, ruralibus negotiis, festis, voluptatibus, nec factus esset ad belli molestias. Ipse illic plantabit poma vitesque et cum pie veneretur

et veneraturus sit deos agricolas omnes, frugum vinique sperat quantum satis. Attinget porro interdum arationem nec pecoris curam negliget, ac cum pastoritiam deam vere quoque colat Palilibus, etiam pecuariae florem sperat felicem. Ita negotiis rusticis ut libebit vacans et favore deorum securus inopiae, vitabit simul aestum sub umbra arboris et hiemis procellas in solito lecto. Sed accedit ad haec, quod etiam puella formosa Delia animum cepit, ut his quoque vinculis domi retineatur. Describit igitur nunc etiam affectum mollissimum huius amoris sui ad mortem duraturi, et hortatur puellam cum iuventus brevis sit, ut secum indulgeat amoris lusibus dum fata sinant; gloriae vero militari et haec gaudia sperata opponit et post mortem lacrimas Deliae iuvenumque et virginum, poetae fidelissime amantis funus qui comitabuntur lugentes. Ita Tibullus. Vides quod dixi: otium paucis contentum rure et in amore transigendum, haec est felicitas idealis, quam sibi fingit animo, cuius sensu etiam nos afficimur iucundissime et movemur legentes. Cum enim per se magna suavitas sit in rurallum occupationum descriptionibus, praeterea accedit cultus pius deorum agrestium et modestia parvo contenta, postremo amor Deliae, quibus rebus coniunctis pulcherrima exsistit imago vitae. Augetur vero haec praeclara vis rerum etiam eo non parum, quod opponitur simul per totum carmen militia; neque enim solum propter invitationem Messalae, cui respondetur, haec res consentanea est, sed etiam ad poeticam rationem carminis suavissima, *cuius summa sententia hac oppositione militiae otiique continetur.* Considera nunc mecum dispositionem rerum. Divisit poeta totam otii idealis tractationem tribus partibus, primum de arborum vitiumque cura et cultu deorum agricolarum dicens, deinde de pecuaria et pastoritiae deae cultu, postremo tractatis rusticis rebus de amore Deliae, qui locus ultimus esse debuit. Cum autem summa sententia, ut dixi, in oppositione otii militiaeque versetur, optime id quoque factum est, ut haec regnans per universum carmen iungat partes et contineat totum. Nam primum in introitu posita est ut par erat, deinde claudit carmen in fine. Praeterea vero etiam in intervallis partium repetitur, primum v. 25 sqq. inter duos illos locos, qui de rusticis rebus sunt, tum post tractatas res rusticas v. 37 sqq. ubi ad amorem transitur. Simul observabit lector quo-

ties recurrat, novis eam coloribus prodire ornatam. Perspicuum est quam suavis sit haec compositio, quam miramur a nullo priorum interpretum animadversam. Si musicas sonorum compositiones comparare licet, ut cum in tali compositione harmonia princeps per intervalla repetitur, similiter dicas in hac pulchra elegia sententiam primariam redire identidem, quae vis vitalis est eius. Atque haec quidem de his. In universum denique hoc carmen, ut fert talis argumenti ratio, hilaritatem placidam spirat; neque tamen plane abest querimonia Tibullianae elegiae propria, sed intermixta sunt etiam hic suspiria quaedam suaviter, quae tristitiae quid et desiderii flebilis toti addunt. Vehementiae vero nihil adest, quare etiam transitus nusquam abruptior deprehenditur, quales vehementior affectus alias passim infert.

EXPLICATIO.

V. 1-6. Exordium. Divitias quaerant qui belli labores et pericula ferre non recusant; ego spretis divitiis valedico militiae et ad otiosam vitam transire malo. Est haec summa sententia carminis. —

V. 1 sqq. Redierat Tibullus ex militia diuturniore, cf. v. 26. quae sunt stipendia equestria, de quibus diximus in Introductione ad elegiam decimam et in Vita poetae. Nunc relinquere se velle hoc genus vitae significat. Invitatum vero eum a Messala ad novum bellum, huic respondere, et hanc causam esse elegiae, infra demum vv. 54. 75. intelligimus; neque enim ab ovo ordiuntur elegiae, sed a summa sententia argumenti. — auro, ex praeda militari, ut saepe praeda bellica memoratur, cf. Tib. I, 2, 68. II, 3, 35. PROPERT. III, 4, 1. 5, 3. Nam bello divitias quaerebant tum vulgo. — Epitheton fulvum, etsi perpetuum auri quod dicunt, tamen minime otiosum esse senties. Denique non iunges divitias fulvo auro pr. fulvi auri, sed congerat fulvo auro parato. — V. 2. iugera soli. Possis intelligere coemtos a praedatore milite post bellum agros, cf. II, 3, 41., sed malumus cum HEYNIO assignationes agrorum cogitare in bellis civilibus usitatissimas, quibus donabantur milites, ut utrumque genus divitiarum pariter di-

recte debeatur militiae. Etsi autem ante omnia ad istorum temporum rationem totum locum revocamus, non tamen negligimus quod aliunde notum atque hic a Vulpio et Huschkio maxime observatum est, omnino a Graecis Latinisque aurum et agros ut duo praestantiora divitiarum genera saepe coniunctim memorari; haec enim observatio eo pertinet ut etiam poetica unitas distichi illustretur luculenter. Sed ipsum iugerum, ut pergamus, ex actubus duobus constabat, actus autem quadratum erat, cuius latus centum et viginti pedum. Cum igitur certam mensuram iugera haberent, neque alia magna, alia parva essent, porro notatum est a Statio, Brouckhusio, Vulpio, Heynio, Huschkio, praestare lectionem multa, et nihili Bachii est opinio, mensuras agrorum non curare debere concitatum poetae animum. Qui *magna* praeferunt, comparant ista notissima *magna millia* Valer. Flacc. Arg. V, 274. et *magnas legiones* Horat. Sat. I, 6, 4; sed iugera per se *magna* dicere sic tantum hic recte potuisset Tibullus, si ipse multo minorem iugero agrum habuisset, quod non credibile; sin ipse quoque iugera talia habebat, inepta est phrasis; qui vero ita interpretantur, magnum campum, magnum spatium significari in iugera divisum, praeterea non accurate interpretantur, ut censor Ienensis Huschkii ann. 1815. Ephemeridd. nr. 203. p. 187. Ceterum *multa* etiam exemplis plurimis collatis confirmatur ab Heynio et Huschkio. — teneat. Sensus: *Colligat aurum in bello et teneat finita militia etiam iugera multa.* Non erat quod quis hic offenderet. — V. 3. 4. Quem — fugent, qui neque interdiu neque noctu terrore vacet in vicinia hostis. Coniunctivos accipe ut si Graece ὃν ἄν, ᾧ ἄν dictum esset. — labor assiduus. Nam frumentatum, aquatum, lignatum missi milites, ait Wunderlichius, vexabantur et turbabantur ab assidente hoste. Sed talia maxime respicere non fuerit poeticum. Immo sunt omnino perpetuae pugnae graves cum hostibus, qui modo interdiu modo noctu lacessunt, oppugnant, irruunt; unde intelligenter Menkius meus, doctor eruditus in Gymnasio Bremensi, pro exemplo comparat Caes. de Bell. Gall. VII, 41: *Summis copiis castra oppugnata demonstrant, cum crebro integri defessis succederent nostrosque assiduo labore defatigarent* etc. Ac terret hic labor, cum sit periculosus et perniciem minetur aut afferat multis, ut Sophocl. Philoct. 864.

optime comparante WUNDERLICHIO, *πόνος ὁ μὴ φοβῶν* est: periculo carens. — Denique ad iuncturam labor assiduus vicino hoste cf. I, 8, 76: *ianua dura opposita sera.* Ceterum imitatur hunc locum OVIDIUS Epp. ex Ponto IV, 9, 82: *et quam vicino terrear hoste, roga.* — Videamus nunc classica pulsa. Sunt vulgo *classica*, ut constat, signa quae canuntur tuba, cornu, buccina, interdum vero ipsa instrumenta, veluti cum VIRG. Georg. II, 539: *inflari classica* dicit. Ad Tibullum vero notatum est maxime ab EICHSTADIO et HUSCHKIO, verba instrumentis, quae plectro aut digitis temperantur, propria, translata esse ad ea, quorum modulatio ore ac spiritu efficitur, ut Graeci dixerunt *κρέκειν αὐλόν*, et *κρούματα* pro *αὐλήματα*, cf. PLUTARCH. Symposs. Quaestt. II, 4. ARISTOPH. Av. 682., aut Latine CLAUDIAN. de Cons. Theod. 313: *tibia flatu pulsanda.* Vide WUNDERLICHIUM apud Heynium et HUSCHKIUM h. l. et WAARDENB. in Opuscc. p. 176 sqq. Contra I. H. VOSSIUS non censet opus ut classica pro instrumentis istis musicis nunc accipiamus, sed signa intelligit, *pulsa* interpretans, quae distinctis ictibus flatus edantur (*in abgemessenen Stössen geblasene*); dici enim pulsum omnino rhythmicum ictum (*Taktschlag, Taktstoss*). Verum sane, esse hanc rationem sonorum in talibus instrumentis, unde etiam Graeci *κτύπον σαλπίγγων* dixerunt, sed non video a Latinis sonos dictos *pulsos*, propulsos flatu, quod probari debebat, praesertim in tanta simplicitate Tibullianae orationis. Quare redeundum est ad alteram explicationem. Neque vero credo Tibullum sine causa sic dixisse ut facit, sed vim depinxit ac vehementiam flatuum in tali casu. Dicit *pulsa classica*, opinor, *flatu vehementi inflata*, cum in repentino impetu hostium *excitatur classico miles truci*, ut ait HORATIUS Epod. II, 5. — V. 5. mea paupertas, quae modico contenta. Non est enim paupertas hoc loco studium paupertatis, ut WUNDERLICHIO visum, nec *mea* dictum pro *mihi cara*, quemadmodum VOSSIUS accepit, sed ex antecedente opposita sententia, ut saepe alias, elicienda vera notio, quod miror non animadversum. Sic facile sentias suam dicere poetam, quae non sit cupida opum. Est igitur sensus clarus loci hic: *Cum alios paupertas ad militiam trahat, ut divitias sibi parent, me mea non cupida paupertas et parvo contenta mediocritas ad otium potius securum traducat.* In quo tradu-

cat dicit, cum militasset antea et nunc transire velit ad aliud vitae genus. De constructione vero dativi, confer *deducta marito* infra III, 4, 31., *ducere vela salo* PROPERT. I, 6, 2. collat. LACHMANNI nota ibid. ad IV, 11, 102. p. 403. Atque satis cognita alia, ut *compulerit gregi* HORAT. I, 24, 18., *compellere hibisco* VIRG. Eclog. II, 30., ubi cf. VOSSIUM, ne plura addam. — V. 6. Dum meus sqq. dummodo semper cibum habeam et calorem, semper habeam quo vivam. Suaviter autem etiam propter oppositionem antecedentium focum memorat; qui enim focum suum dicit, simul domesticam in patria vitam iucunde significat, ubi non foris et in extero solo degatur. — assiduo igne. Defenditur haec lectio, optimorum codicum et grammaticorum auctoritate munita, ab HUSCHKIO data opera, probante etiam censore in Ephemeridd. Ienenss. 1815, nr. 203. p. 186. *Focum perennem* laudat MARTIAL. Ep. X, 47. HUSCHKIUS addit Inscript. ap. Fabrettum c. IV. p. 283: TVNC. MEVS. ASSIDVE. SEMPER. BENE. LVXIT. AMICE. FOCVS. coll. ANTHOL. LAT. Tom. II, p. 23. Est exstinctus focus summae paupertatis. Opponit VOSSIUS huic lectioni cum aliis, praecessisse paullo ante idem verbum. Sed nihil frequentius apud Tibullum, vide HUSCHKIUM ad v. 50. et WUNDERLICHIUM in Observatt. ad I, 9, 67. qui etiam Virgilium comparat. Sic in hoc ipso carmine est v. 39. *antiquus*, v. 42. *antiquo*, mox v. 45. *iuvat*, v. 48. *iuvante*. Atque ut alios scriptores afferamus, vide DRAKENB. ad Liv. I, 3, 9. HEUSING. ad Cicer. de Off. I, 20, 10. Adde ibid. I, 4, 9. 21, 3. III, 4, 15. 30, 9. Inter Graecos apud Homerum idem in unaquaque pagina reperias. Nec ipse SOPHOCLES talibus repetitionibus abstinuit, veluti Electr. 580 sqq. Atque imprimis frequens res apud Euripidem est, de qua dixit VALCKEN. ad Phoeniss. p. 240. Ad Tibullum ut redeam, quidam etiam de oppositione cogitarunt, *labor assiduus — assiduo igne*, quod nihili. Atque haec hactenus. Altera lectio *exiguo* probatur ab HEYNIO, EICHSTADIO, WUNDERLICHIO, VOSSIO; sed designaret exiguus ignis hominem in magna inopia viventem, qualem describit LEONIDAS TARENT. ep. LV. *κενεή σε περιστέψαιτο καλιή, ἣν θάλποι μικκὸν πῦρ ἀνακαιόμενον*, quod a Tibulli conditione alienum est. — Vidimus exordium; nunc enim ad illustrationem sententiae propositae pergit.

V. 7-24. Prima pars medii carminis. De plantatione vitium arborumque et de cultu deorum agricolarum.

V. 7. Ipse, non usurus servorum opera. Similiter Propertius III, 17, 15. — V. 8. grandia. Vossius male *eximia* interpretatur; immo teneras vites et grandia poma cum oppositione epithetorum dixit. Fit autem alacrior et nervosior oratio oppositionibus talibus epithetorum, quae maxime conveniunt vigori elocutionis Tibullianae. Quare errabis si talia otiosa habeas, aut solius ornatus causa posita; epica vel ubertas vel magnificentia epithetorum perpetuorum aliena est ab his carminibus. Sed pergo ad cetera. In priore versu adiecit maturo tempore, quia hoc in vitibus serendis maxime opus, licet etiam poma non quovis tempore plantentur; in altero autem facili manu addidit, suaviter etiam hoc pomis grandibus accommodans, quoniam facilem manum melius in maioribus laudaveris quam in levioribus (*mit Leichtigkeit hohe Obststämme*). Hoc sensu Ovidius Amorr. II, 16, 30. dixit: *Corpore nos facili dulce feremus onus*, ne adscribam cetera, quae Burmannus affert ad Ovid. Art. Am. I, 160. Errant igitur qui explicant: *solerti industria.* — V. 9. Nec spes destituat. Verbum non est optantis, precantis, sed sperantis, monente Huschkio contra ceteros. Porro spem censor Ienensis Huschkii l. cit. p. 187. *proventum speratum* intelligit, collato Burmann. ad Propert. II, 1, 73. ut *spes anni* saepe vocatur seges (Ovid. Met. XV, 113.). Atque hoc etiam Bachius sequitur. Sed causam equidem non video, quare contemta propria nervosiore significatione metonymiam praeferre debeamus. Nempe qui primum legit verba: nec spes destituat, accipit ea necessario proprie, veluti cum Livius I, 41. dicit: *simul quae curando vulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedule comparat, simul si destituat spes, alia praesidia molitur.* Cum autem spei indoles haec sit, ut qui de hoc sensu diceret apud veteres, continuo posset etiam de persona Spe loqui, quoniam vivida vis exspectationis excitabat facillime deae cogitationem in eorum animis, quemadmodum aliae multae abstractae notiones sic in deas mutatae sunt, nunc etiam Tibulli phantasia continuo a re ad deam transit, nec quidquam miri in hoc transitu. Plane eodem modo

infra II, 6, 20: *Iam mala finissem leto, sed credula vitam spes fovet et fore cras semper ait melius*, de exspectatione animi credula dicit primum, tum vero ad deae cogitationem crescente motu animi transit, nam in fine loci ipsam deam appellat. Est talis progressus phantasiae et naturalis maxime et vere poeticus. Et nunc quidem etiam illud accedit, quod scimus Romanos frugum proventum passim a Spe repetiisse. Confert Brouckhusius lapidem apud Boissardum Tom. IV. Antiqq. p. 130. ubi expressa est mulier stolata, corolla florea crinem redimita, sinistra manu spicas quinque gestans cum duobus papaverum capitibus. In basi verba haec sunt: M. AVR. PACORVS. AEDI||TVVS. SANCTAE. VENE||RIS. IN. SALVST. HORTIS||SPEI||ARAM. CVM. PAEMENTO||SOMNIO. MONITVS. SVM||TV. SVO. D. D. Conf. etiam Mülleri Compend. Archaeolog. ed. sec. p. 626. Atque haec hactenus. — frugum, h. e. pomorum et frumenti. Nam poma quidem versus antecedens habet, frumentum vero ut addamus v. 15. monet et res ipsa. Nam non poma et vinum, sed generaliore formula fruges et vina componere debuit', quemadmodum in fine loci v. 24. dicit: *io messes et bona vina date* (*Brod und Wein*). — V. 10. pleno. Vulgaris ordo erat hic: *frugum* acervos et *musta* pleno lacu. Sed cum etiam plenus lacus et acervi sibi opponi possint, recte dicas etiam sic: frugum acervos et pleno lacu musta, aut frugum acervos et pleno musta lacu; solo adiectivo praeposito. Notabimus passim huiusmodi collocationes elegantes. — pinguia musta. Colum. de Re Rust. X, 432. comparatus a Vulpio: *Ferveat ut lacus et multo completa Falerno exsudent pingui spumantia dolia musto.* Sic *pingue merum* Horat. Sat. II, 4, 65. ubi conf. Bentl. et *pingue vinum* Plin. XXIII, s. 22. et Cels. II, 18. n. 74, ubi cf. Targa. Opponitur autem in hoc usu pingue tenui. — V. 11 sqq. Nexus clarus. Coniunctivi, quos vidimus, sunt sperantis. Iam pergit: Nam colo et colam religiosissime deos omnes rusticos, ut iure sperare liceat felicem agri proventum. — stipites in terram defossi lapidesque sacri in viis agrisque Italicis reperiebantur multi, deorum agrestium signa rudia, veluti Ovidius dicit Fast. II, 461: *Termine, sive lapis, sive es defossus in agris stipes*, quos populus agrestis honorabat corollis, infulis, unguento delibuto, cf. Heynii annotationem. — desertus, solitarius, in infrequenti loco po-

situs, ut Termini. Sic notantibus aliis PROPERT. I, 20, 36. *desertae arbores* dicuntur, et *ἐρημαῖαι δρύες* MOSCH. III, 21. Adde vero, quod vidit etiam VOSSIUS, vocem nunc opponi verbis: in triviis, frequenti loco; triviis enim, de quorum sanctitate constat, simul frequentium locorum notio inest. Habemus igitur iterum oppositionem praedicatorum nervosam in his membris de more Tibulli, quem qui semel perspexit, multa potest in his carminibus accuratius interpretari. Porro vetus lapis dicitur, cum tales essent hi sacri; at stipites cum putrescerent vi aëris, subinde novi substituendi erant. Iam vide sensum totius loci: *Sive in frequenti sive in infrequenti loco* s. *ubicunque stipitem et lapidem in agris video sertis ornatum, ut appareat sacrum eum esse, accedo et adoro*, veneror. HUSCHKIUS comparat LUCIAN. Alexandr. c. 30. Bipont. Tom. V: *εἰ μόνον ἀληλιμμένον που λίθον ἢ ἐστεφανωμένον θεάσαιτο, προςπίπτων ἀεὶ καὶ προσκυνῶν*, ubi vide alia apud SOLANUM. Est tamen ibi res superstitiosi hominis. — V. 13 sqq. novus annus, h. e. novo quoque anno honoro deum primitiis fructuum. — educat selectius verbum pr. nutrit et maturat. — quodcunque pomum, h. e. quodcunque genus pomorum ponitur Silvano *libatum*, ex parte selecta. Nam libatum aliquid offerre est offerre quod libaveris et decerpseris e toto. Porro *agricolae deum* codicum est lectio, sed corrupta; si quis enim credat per circumscriptionem Silvanum nunc agricolarum deum dictum, admodum ieiunia sit talis circumscriptio. Haud dubie vel *agricolam deum*, vel *agricolae deo* legendum. Videbitur dativus exquisitior. Sic ante adverbialiter dictum, aut pro: antequam ipse gustem, ut CENSORINUS de D. Nat. c. 1. dicit de maioribus: *cum perceperant fruges, antequam vescerentur, dis libare instituerunt.* Volebat ita HEYNIUS et ni fallor etiam HUSCHKIUS, qui adscripsit HORAT. Sat. II, 5, 12 sqq. Sed simplicior altera ratio, ubi nihil suppletur. Accipe ponitur ante pro *anteponitur* cum MURETO et WUNDERLICHIO, qui HORAT. Sat. I, 3, 92. comparat *positum ante.* Tibullus dixit II, 1, 24: *exstruet ante;* II, 5, 98: *stabit ante.* — Est autem agricola deus, ut cum VOSSIO credo, Silvanus, etiam infra I, 5, 27. cogitandus. Exposuit de eo VOSSIUS ad Virg. Eclog. X, 24. Quo minus enim cum GYETO, VULPIO, HEYNIO, WUNDERLICHIO collective haec verba de diis agricolis accipiamus,

satis prohibet ratio totius loci, qui post stipites lapidesque manifesto singulos quosdam deos commemorat. Atque inter deos agricolas etiam Ceres est, quae tamen poma accipere non debet. Ne multa; cum dicit: flava Ceres, tibi *vero* sit spicea corona (nam *vero* hic supplendum), vides opponi eam non agricolis diis, quorum pars est, sed deo agricolae Silvano, qui arbores agri curat ut ipsa segetes. — V. 16. templi ante fores. Erat Tibulli praedium in regione Pedana inter Tibur et Praeneste; quodsi templum Cereris in praedio non habuit, vicinum adiit, quod alicubi in agris esse potuit. — V. 17. 18. De Priapo, hortorum proprio custode, nota omnia, cf. Voss. Epistt. Mytholl. II, 37. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 8, 1. Hic nunc signum minio pictum habebit, ut fieri solebat. — terreat ut aves, est enim furum aviumque maxima formido, ut ait Horat. l. cit. Denique collocationem nominis Priapi in secundo versu attende, et conf. Pind. Pyth. IV, 2. Horat. I, 15, 4. Virg. Aen. I, 3. et in his carminibus I, 5, 13. III, 1, 12. Non inanis lusus poeticus hic est, sed qui attenderit, sentiet sic novam simul vim accedere secundo membro. Multis vero modis curant poetae in continuata constructione ne vigor orationis decrescat, sed alatur et augeatur scite, de quibus artificiis saepe moneo. — V. 19 sqq. Respice mecum, antequam pergamus, totum perlectum de pietate poetae locum, ut pulchram compositionem eius sentias. Est autem tripartitus per gradationem. Primum dixit de stipitum et lapidum veneratione per agros. Deinde eorum deorum cultum descripsit, qui specialiter praedii sui singulis partibus praeerant, Silvani, qui arbores agrorum, et Cereris, quae segetes curabat, nec non hortorum custodis Priapi. Nunc restat ultimum. Nam post praepositos singulis partibus deos postremo etiam universi praedii tutelares deos Lares debet laudare, idque nunc facit. Sunt Lares praestites omnino locorum certorum (*Vorstand eines bestimmten Bezirks*), ut domorum, viarum, ruris, cf. Müllerum meum in Libr. de Etruscis II, 90. Et nunc rurales intelliguntur. — V. 19. felicis quondam, nunc pauperis agri. Valedixit opulentiae, tamen non potuit plane oblivisci amissam partem patrimonii, sed resurgebat subinde dolor. Ita factum ut, cum tota elegia hilaritatem animi paucis contenti spiret, tamen etiam flebiles soni immixti quidam sint suaviter. Ceterum confer de ademtis

bonis Vitam Tibulli. — V. 20. munera fertis illustrat Huschkius, et vestra est: vobis debita. Loquitur autem de ambarvalibus vere quovis celebrari solitis, cum hostia ter circumducta agri gregesque lustrarentur. Ac ditiores vitulam, minus divites agnam, pauperes porcam sacrificabant, ubi autem solemniori modo coniuncta essent haec tria genera, suovetaurilia lactentia dicebantur, cf. Voss. ad Virgil. Georg. I, p. 157. Eclog. I, p. 18. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 3, 65. Brouckhus. ad h. l. et vide infra Introductionem ad II, 1. — V. 22. hostia parva est optima lectio, nec obstat quod exigui adest; graviter loquitur et cumulate. *Magna* qui probant sic intelligere debent: *nunc agna apud me magna hostia audit* s. *maxima est, quam afferre possum.* Ex altera ratione dicit: *Nunc pro exiguo agro parva hostia affertur, agna,* quod flebilius. — v. 23. 24. Agna cadet vobis, vividius surgente oratione, idque optime, cum sequantur verba: io messes et bona vina date. Sic pulchre ex flebilibus modis ad laetiora redit. Ceterum antecedens fertis v. 20. non est: feretis, ut quidam intelligunt, sed: *ferre soletis;* nunc autem crescente alacritate orationis futurum inferri debuisse vides. — rustica pubes, quam in praedio habet.

V. 25-28. Redit primaria sententia.

Transitus hic est: dixerat de Laribus. Lares autem qui cogitat, simul tranquillitatem vitae *domi et in patria* actae cogitat, ubi in proprio solo degas, nec foris cum belli laboribus et periculis lucteris. Quare facillime et suavissime poeta ab antecedentibus ad sequentia ducitur. *Iam enim contigit mihi,* ait laetus, *ut possim domi contentus vivere parvo, nec semper longae viae deditus esse* etc. Hic si verus nexus est, ut videtur esse, non probaverim Lachmanni mei coniecturam: *Iam modo si possum,* quasi dubitet an possit contentus vivere parvo, quo frangitur pulchra vis loci. Nec placet *Iam volo, iam possum,* sed unice *possum* hic a poeta scriptum censeo, qui laetatur se posse, sibi contigisse propitiis diis ut contentum domi vivere liceat. Multo minus *Iam volo, nam possum* Tibullus dixit. Ieiunum etiam et minime verum *Quippe ego iam possum,* aut *Possum quippe ego iam,* ab antiquioribus coniectatum. Displicet porro *Iam modo, iam possum,* quod cum Gyeto Vossius vult, ubi nescias quid sit *modo*, monente etiam Huschkio, qui tamen quod tentat: *Iam possum, modo non con-*

tentus, vivere parvo, non magis probabis. Censor Ienensis Huschkii l. cit. p. 190. vult *Iam, modo iam possum,* credo ut Sidonius Apollin. II, 545. dixit: *Nam modo nos iam festa vocant* pro *eben jetzt,* sed non solum rarissimum hoc, verum etiam nihil eo ieiunius fuerit apud Tibullum. Alius vir doctus in Annall. literarr. Vindobonn. 1815, p. 719. Iun. coniiciebat: *Iam modulo possum — parvo,* in quo nimis aucta *parvi* notio, nec omitti potuit *agri,* quod supplet. Restat ut afferam quid ipse censeam. Coniicio: Iam modico possum contentus vivere in arvo, in quo insunt quae ego desidero omnia, posse se paucis contentum *domi et in patria* vivere. Hac enim notione opus. Modicum arvum dictum ut *magnum* Varr. de Re Rust. I, 7. — V. 26. longae viae. Militia saepe longinquis itineribus terra marique declaratur, cf. infra v. 52. Propert. III, 4, 3. ibique Kuinoel. Aliis in locis *mare* et *viae* de maritimo et pedestri itinere dicuntur, vide Mitscherl. ad Horat. II, 6, 7. Atque hoc loco *longam viam* intelliges longa itinera multorum millium passuum, qualia faciebant exercitus Romani (*lange Märsche*), ut posita locutio est v. c. infra II, 6, 3. Liv. XXII, 2. Sueton. Iul. 57. Molesta talia equiti ut pediti. Ad v. deditus Vossius comparat *deditus aequoribus* Ovid. Met. XIII, 921. de piscatore, et *deditus fugae* Lucret. IV, 993. de cervis. Ut constat, deditus alicui rei dicitur qui studiose, assidue aut totus ei operam dat, et nunc Tibullus laetatur, quod liber sit ab assiduis istis molestiis. Ceterum hic versus oppositus antecedenti ostendit ibi notionem: *domi et in patria* requiri, quam ipsam nostra coniectura praestat. — V. 27. Canis aestivos ortus, h. e. *calores, quos ortus aestivus Canis affert,* ut alias pro vi et effectu rei gravius res ipsa nominatur. Ovid. Met. V, 281: *grave sidus vitare.* Claudian. in nupt. Honor. Fescen. v. 20: *gelido specu torrentiorem fallere Sirium.* Est vero *ortus Canis* omnino praesentia Sirii in coelo per aestivos menses, quod propter Huschkium annoto, intelligentem mire momentum illud temporis, cum Sirius ex Oceano surgit, laudato Homero Il. V, 4. — Ceterum comparat Muretus suavia verba Graeca: *λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου Καύματ᾽ ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός,* Epigramm. incert. nr. 260. Anthol. Gr. T. IV. p. 171. Jacobs. Alia Janus Gebhardus confert. — V. 28. ad rivos h. e. nunc ad hunc, nunc ad illum.

Erant enim haud dubie plures in praedio sive natura sive arte deducti arboribusque umbriferis cincti. Horat. Epist. I, 10, 6: *Ego laudo ruris amoeni rivos et musco circumlita saxa nemusque.* De genitivo aquae, si tanti est, cf. Ovid. Amor. Remed. 194: *Ipse potes rivos ducere lenis aquae.* Quod censor Ienensis Huschkii p. 193. pluralem hic pro singulari positum statuit de celeri cursu aquae quasi multiplicante rivos, Tibullus certe nihil nisi praetereuntis dicit. Et posuisset haud dubie singularem, veluti Lucret. II, 30: *prostrati in gramine molli Propter aquae rivum sub ramis arboris altae*, nisi accipi verba voluisset ut nos diximus; nam et rarissime ponit pluralem pro singulari nec sine idonea causa. — Explicatis singulis de universo loco verbum addo. Dixerat supra de plantatione cultuque deorum agricolarum, dicet in sequentibus de alia parte rei rusticae; has duas partes iungit repetita primaria sententia, quam legimus. Observabis autem simul nunc alio colore quam supra eam redire vestitam. Cum enim supra de foco dixerit, nunc de umbra arboris loquitur fervente Sirio.

V. 29-36. Pars secunda rerum. De aliis negotiis rusticis, aratione maximeque pecuariae cura, et de cultu pastoritiae deae.

V. 30. stimulo increpuisse. Comparat Wunderlichius *hasta increpare* Stat. Theb. III, 431. — agnamve fetumve capellae. Vide Calpurnii imitationem V, 29. Observatum etiam est pulchre e negotiis rei pecuariae electum quod maxime poeticum. — V. 33. exiguo pecori, exiguo gregi. — V. 34. de grege, praepositio *de* partem sumi significat, notante etiam Wunderlichio. — magno est. Ne quis in posterum iterum tentet verbum *est*, semel moneo, cum *magno* accentum rhetoricum habeat, ad eum adiuvandum subiectam esse copulam, quod innumeris exemplis probari potest. Sic supra v. 22: nunc agna *exigui* est hostia parva soli. Infra v. 51: O *quantum* est auri potius pereatque smaragdi. Adde I, 4, 4: *coma* est. Ibid. 32: Qui prior *Eleo* est carcere missus equus. Ibid. v. 64: *purpurea* est. I, 5, 68: sed *plena* est percutienda manu. I, 6, 3: an *gloria magna* est. Ibid. v. 45: Haec ubi *Bellonae motu* est agitata. I, 7, 9: Non sine *me* est tibi partus honos. I, 8, 43: tum studium *formae* est. Ne afferam plura. Pessime igitur, ut ad propositum locum redeam, *est* hic in finem

versus reiiceres cum HUSCHKIO aliisque, ubi nulla est emphasis, nec minus male cum VOSSIO plane eiiceres. Ceterum eundem usum quem nunc v. *est*, etiam aliae omnes voculae in collocatione verborum habent. *Erigitur ubique et acuitur accentus rhetoricus antecedentis vocis subiecta alia leviori, quae accentum non habeat.* De qua re olim alio loco explicatius dicam. Nam est una ex summis legibus collocationis verborum. — V. 35 sq. Hic, apud me, in meo praedio nulla vobis praeda, cum pastorem lustrem quotannis et Palem placem ut tueatur gregem. Est igitur *hic* oppositum verbis: *de magno grege*, qualis in aliis agris est, et vides omnia optime iuncta, quod propter HEYNIUM moneo. Porro sacra, de quibus poeta loquitur, Palilia sunt, d. XXI. Apr. celebrari solita pro pecore et pastoribus, cf. OVID. Fast. IV, 727 sqq. Primum purgatio pecoris fuit, de qua tacet hic Tibullus. Post dapes vero lacte signum deae sparsum, quo pertinent OVIDII verba: *Silvicolam tepido lacte precare Palem,* ut similiter infra II, 5, 27: Panem videbis lacte madentem. Interea preces fiunt. Tum etiam pastores lustrabantur, et hi quidem Baccho madidi ardentes stipulas transilientes, cf. Tib. II, 5, 90. Duos igitur festi ritus potiores commemorans instar omnium utitur particulis que — et, quibus iunguntur, recte notante WUNDERLICHIO, ut Graecis τέ — καί, quae ad unam rem describendam pertinent, veluti I, 3, 25. 5, 54. Memorat vero, progrediens a minori ad maius, primum pastoris lustrationem, tum ritum spargendi Palem, etsi in festo ipso contrarius ordo rerum esset. — V. 36. placidam, ut placida sit, per prolepsin poetis usitatissimam. Vide ap. Tibullum I, 2, 6. *firma;* I, 3, 66. *insigni;* I, 7, 51. 8, 16. *nitidus;* I, 9, 1. *miseros;* II, 3, 9. *graciles.* — Singulis perlustratis de universa tractatione aliquid addendum esse video. Quemadmodum supra de plantatione et deorum agricolarum cultu dixit, ita nunc de pecuaria et pastoritiae deae cultu, quae suavis est concinnitas. Reprehendas tamen aliud primo adspectu, de quo nunc moneo. Cum enim in superiore loco messes et Cererem memoraverit, de aratione ibi potius credas dicendum fuisse quam hic. Tamen cur hoc non fecerit poeta, manifestum. Plantationem ipse faciet data opera; aratio et pecoris cura servis fere incumbit, nec nisi interdum ut placebit aliquid ex his rebus attinget poeta. Sic factum ut aratio hic demum memoraretur.

V. 37-50. Redit primaria sententia.

Revertitur poeta ad hanc per preces ad deos. Observabit autem lector novum ornatum sententiae. Cum enim supra de aestu Sirii et umbra arboris dixerit, nunc hiemem cogitat et lectum solitum laudat, dum venti immites sint pluviasque gelidas afferat Auster, nam transire vult hinc ad amorem Deliae.

V. 37. Adsitis divi. Significavit supra ob pietatem in agricolas deos et pastoritiam Palem agrorum se pecorisque proventum felicem sperare; nihil igitur aptius est quam quod post haec, complectens quodammodo antecedentia, etiam generatim invocat deos (*Ja seid gnädig ihr Götter*). Falluntur qui verba per: adeste sacris explicant, quod hic maxime ieiunum. Nec postulat hoc nexus rerum sequentium. Verum sensum verbi JANUS GEBHARDUS aliique viderunt. Mox verum est *nec*, si criticam consulimus, nec sententia postulat hic fortius *neu*, siquidem hoc dicit Tibullus: Favete rebus meis nec contemnite me munerum tenuium causa. — nec vos, ut amant in secundo membro addere pronomen, conf. MITSCHERL. ad Horat. I, 9, 16. Apud Tibullum confer *ipse ego* I, 5, 15. *non ego* I, 6, 38. et exempla pronominis *ille* ad I, 2, 60. Non minus nota res in Graecis, vide, ne plura afferam, STALLBAUM. ad Plat. Gorg. pag. 267. — e mensa recte, non *de mensa*, cum sequatur *e fictilibus*. Nam ubi eadem aut similis sententiae ratio, eadem praepositio praestat. Cogitandum vero nunc de sacro usu mensarum; nam ut arae cremandis sacrificiis inserviebant, sic mensae et apud Graecos τράπεζαι aliis donis offerendis; etiam prosiciae in mensis videntur appositae. Atque hoc loco de privatis sacris agitur. Cogitabis igitur mensam non pretiosam, exquisitiore e ligno factam, quales ditiores habebant, conf. HEINDORF. ad Horat. Sat. I, 3, 13., sed simplicem, credo marmoream, cf. HEIND. l. cit., qualem pauperem appellat nunc, in eaque dona collocata. — V. 38. fictilibus, pateris et poculis; utroque enim genere hic opus. puris, h. e. cum pura sint. Ceterum fictilia in sacris publicis diu retenta priscae simplicitatis veneratione, etiam postquam luxus rempublicam invaserat, notarunt interpretes, STATIUS, BROUCKHUSIUS, HEYNIUS, HUSCHKIUS. Sed hic mos paulatim in desuetudinem abierat domesticis in sacris ditiorum, ubi aurea, argentea, alia pretiosa vasa splendebant plurima. Confer modo

Cic. Verr. IV, 21. quem Brouckhus. laudat. — V. 39. primum, h. e. antiquitus. De opinione disputat Huschkius. Poeta suaviter etiam per sequentem versum in cogitatione simplicitatis priscae immoratur, ubi de facili luto est argilla, quae fingi commode potest. — V. 44. et solito membra levare toro, ut Ovid. Amorr. I, 5, 2: *imposui medio membra levanda toro;* Fast. VI, 326: *Pars iacet et molli gramine membra levat*, quae Vossius contulit. Repetitur vero sententia hexametri ornatius per amplificationem, cum luculenter depingere velit suavitatem rei. Differunt enim *lectum* et *torus* ut λέχος et εὐνή, et vides Tibullum postquam primum simpliciter *requiescere lecto* dixit, deinde bene stratum lectum laudare, quo levari membra possint, et laudare *solitum*, quale non est in bello. Neque vero Homeri epica ubertas comparari debet ut Huschkius fecit, alia est enim epica, alia lyrica poesis; epicus poeta fere ubique diutius moratur atque etiam minora studiose exsequitur, lyricus sicubi moratur, prae aliis extollere vult aliquid amplificando. Sic modo vidimus in laude simplicitatis priscae: *Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis pocula*, *de facili composuitque luto.* Mox legemus aliud: *Me retinent vinctum formosa vincla puellae, et sedeo duras ianitor ante fores.* Plura autem de hoc genere amplificationis explicui in Dissertatione de elocutione Tibulli. Quae cum ita sint, iam non cogitabis cum quibusdam interpretibus de discubitorio lecto, in quo epulis accumbebant; satis patet in toto loco de somno et quiete nocturna loqui poetam, epularum vero mentio aliena est. — V. 46. tenero sinu, ut I, 2, 73: *teneris retinere lacertis.* In quo *tener* est: amorem spirans, amatorius (*zärtlich*), epitheto ad corporis partem relato, ut saepe, v. c. *miserum caput* I, 2, 88. *noxia membra* I, 3, 74. *brachia capta* I, 7, 6. *solers manus* ibid. v. 29. *inculti pedes* v. 36. et alias. De significatione porro conf. *tener Amor* I, 3, 57. *teneri versus* Ovid. Art. Am. II, 273. *tenerum carmen* Amorr. II, 8, 2. — detinuisse. Virg. Aen. IV, 84: *Aut gremio Ascanium — detinet.* Ac comparant dictum Comici veteris: ἐξὸν καθεύδειν τὴν ἐρωμένην ἔχων, quod Scholia ad Eurip. Phoeniss. 481. laudant, ubi vide Valcken. Postremo notandus usus infinitivi perfecti pr. aoristo, saepe apud Tibullum et alios obvius poetas, ut constat. Neque vero solum poeticus hic usus,

lege Senatusconsultum de Bacchanalibus v. c. apud Drakenb. Liv. Tom. VII, p. 198., aut in edit. noviss. repetita Stutgard. T. XV. p. 378., quod factum ann. urb. 568., videbis ubique ibi hunc infinitivum. Occurrit idem in Inscriptionibus. Non est e Graecis translata res. — V. 48. somnos sequi. Est verbum de eo, qui non turbatus continuat somnum non interruptum. — imbre iuvante, cum voluptas quod tutus sis ab imbre, augeat somni iucunditatem. Ceterum laudant cum Mureto Sophoclis verba ex Cicer. ad Att. II, 7: κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί. — V. 49 sqq. furorem maris et tristes pluvias. Bene monet hic Vossius secundum Dion. Cass. L, 11. copias Antonium debellaturas circa initium Mai. ann. 723. e Brundisio in Graeciam traiectas, quo tempore ortus Hyadum pluvias afferebat: vide eundem ad Virg. Georg. I, 313. Hoc nunc timet defugitque Tibullus. Nam eodem hic pertinere pluvias et maris furorem non dubium, et erravit Wunderlichius cum Heynio pluvias ad terrestria itinera trahens. Cum enim pluviae per se in maritimo pariter ac terrestri itinere molestae sint, addi praeterea aliquid debuisset, unde disceres ad terrestre esse has iter trahendas; quod cum non sit factum, nulla est oppositio. —

V. 51-75. Tertia pars carminis, quae de amore Deliae est.

V. 51. O quantum est auri potius pereatque smaragdi. Hanc ego verborum collocationem a Tibullo profectam credo. Amant enim poetae verbum duobus membris orationis commune in principio secundi ponere, licet oppositio in substantivis sit et alterum substantivum videatur priorem locum occupare debuisse. Sic infra I, 3, 56: *Messalam terra dum sequiturque mari* pr. dum terra marique sequitur. Est vero collocatio ita facta, quasi bis adesset verbum: dum terra sequitur sequiturque mari, quanquam semel tantum adest nec sensus plerumque ferret bis positum. Similiter dictum I, 4, 2: *Ne capiti soles ne noceantque nives*; I, 8, 2: *quid nutus amantis, quidve ferant miti lenia verba sono*; II, 6, 23: *haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces*. Horat. I, 11, 4: *Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam*. Adde Heindorf. ad Horat. Sat. I, 6, 43. qui tamen in eo errat quod particulas *que, ne, ve* transpositas censet in huiusmodi locis. Col-

locatio eadem usurpata Graecis, cf. Pind. Ol. VI, 42. Pyth. XI, 64. Neque vero verba solum ita collocantur, ut Zumptio visum in Grammatica, sed etiam substantiva duobus membris communia, vid. infra ad I, 2, 42; porro adiectiva, ut Horat. II, 19, 28: *idem pacis eras mediusque belli,* atque etiam particulae, ut Horat. Sat. I, 4, 17: *inopis me quodque pusilli finxerunt animi.* Quid igitur causae est, dices, si alias aliae partes orationis ita collocantur, quod displicet lectio a Lachmanno e codicibus melioribus restituta: *O quantum est auri pereat potiusque smaragdi?* Nimirum ita tantum ferri potest haec collocatio, si manca et imperfecta est constructio prioris membri, ut dum id legas, sentias deesse vocem aliquam, quam deinde offerat principium sequentis membri. Sic habet res in exemplis allatis omnibus. Nunc autem si dico: *o quantum est auri pereat*, nec constructio nec sensus imperfectus, desiderabitque nemo aliam praeterea vocem qualis *potius*, sed hoc adverbium ad secundum solum membrum trahet, quod tamen fieri non debet. Sic apparet *potius pereatque* scribendum esse. Atque haec hactenus. Pergamus ad alia. Est enim de sententia loci praeterea notandum, quod bene vidit Vossius, auri smaragdique mentione iterum illam adversus Antonii orientales copias expeditionem significari, apud quos aurum, gemmas, smaragdos inventum iri sperabatur. Nam Antonio narrat Dio Cassius L, 6. omnes fere reges orientales, Romano imperio vicinos, affuisse socios, et poetae de Indis adeo loquuntur ab Octaviano devictis, ut Virg. Aen. VIII, 685. 705. Conf. Voss. ad Virg. Georg. p. 339 sqq. apud Indos vero aurum, gemmae, margaritae, smaragdi, cf. Tibull. II, 2, 15. IV, 2, 19. Lygd. III, 3, 17. Propert. I, 8, 39. 14, 12. III, 4, 2. Ovid. Met. II, 24. Curt. Histor. VII, 9, 19. Senec. Thyest. 371. Claudian. de IV. consul. Honor. v. 563. Quae cum ita sint, discimus ex hoc loco tempus elegiae. At enim, dicent nonnulli, quis sic urgeat verba Tibulli; aurum et smaragdos omnino pr. praeda dixit, nec loquuntur accurate poetae, sed strepitum verborum amant. Nimirum hic est iste pessimus error, qui et olim plurimum nocuit poetarum explicationi et etiamnum nocet. Etiam poetae accommodant verba praesentibus rebus et plane inepte Tibullus, si v. c. contra Gallos aut Germanos istud bellum paratum esset, smaragdos memorasset. Ceterum vide de smaragdis

veterum Beckmann. Histor. Invention. Tom. III, p. 295. — V. 54. ut domus hostiles praeferat exuvias. Est ille notus mos Romanorum, ex quo foribus spolia hostium praefigebant. Prop. III, 9, 26. Virg. Aen. VII, 183. Liv. X, 7. atque etiam si domus venderetur, fas non erat ea refigere emtori, Plin. XXXIII, 2. Vide Brouckhusium et Heynium h. l. et Casp. Sagitt. de ianuis veter. c. 29. in Graev. Thes. Antiqq. Tom. VI, p. 509. — V. 55. me retinent vinctum vincla puellae, cumulate dictum cum vi. Ut enim ostendat cur abire nolit, ego, ait, firmiter retineor vinctus puellae amore, eandemque ob causam etiam in pentametro ianitori se comparat foribus eius alligato. Homerus cum dicit *δῆσαι νηλέϊ δεσμῷ, κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ, ἀργαλέῳ ἐνὶ δεσμῷ, πλεόνεσσιν ἐνὶ δεσμοῖσι*, non negligenter loquitur, sed cum vi, atque etiam ubi non est additum adiectivum, vim habet cumulata dictio, ut apud Sophoclem Ai. 62. *τοὺς ζῶντας αὖ δεσμοῖσι συνδήσας βοῶν*, quod illic quidem oppositionis causa est positum, cum ante de caede gregum narratum esset. Vide dicta infra ad I, 2, 27. — V. 56. ianitor, cf. de his servis catena fere alligatis interprett. ad Petron. Sat. c. 28. et Pignor. de Servis p. 447. Vides praeterea abesse particulam comparationis *ut*; gravius ianitorem se dicit quam ad instar ianitoris sedere ante fores. Similiter apud Graecos *ὡς* omitti constat. Denique comparatio ipsa inde ducta est quod vulgo custodire, *φυλάσσειν, φρουρεῖν* dicuntur locum, qui non abscedunt ab eo. — duras ante fores. Non immitis et aspera erat Delia ut Nemesis, neque tale fuit eius ingenium; verisimile tamen initio amoris eam nondum tam facilem fuisse ut postea; nam cum Tibullus ad Aquitanos cum Messala proficisceretur quo in dolore puella fuerit, docet elegia tertia. Censor Ienensis Huschkii pag. 195. putat dissidia orta fuisse inter amantes et iratam puellam poetae, qui etiam nunc sequi Messalam, in animo aliquamdiu habuerit. Non credo, nec probabile est Tibullum unquam voluisse in hoc civile bellum comitari patronum. Immo, ut dixi, sunt prima tempora amoris, et puella est adhuc difficilior; Tibullus autem mollissimis verbis eam commovere studet. — V. 57. Non ego laudari curo, non curo militarem gloriam, noto usu verbi, ut Propert. I, 6, 29. Ad constructionem Wunderlichius confert Theocrit. XVI, 15. *αἰνεῖσθαι σπεύδοντι.* — mea Delia. Vossius haec

verba interpunctione cum sequentibus iunxit; ceterae editiones veteres et recentiores ad antecedentia trahunt. Video quidem alias nusquam hoc nomen in initio enuntiationis, sed tamen causa idonea non adest, quare negemus nunc aliter factum. Nam cum antecedentibus vix bene iunguntur verba, sin sequentibus praemissa sunt, quid pulchrius hoc in medio versu crescente affectu, dum transiturus est ad amorem suum depingendum! — V. 58. s e g n i s i n e r s q u e, qui in bellum ire recusaverit. — V. 59. T e s p e c t e m, t e t e n e a m, h. e. utinam te spectem etc. Ultimum versum suaviter repetiit OVIDIUS Amorr. III, 9, 58. Conferunt etiam ANTHOL. GRAEC. Jacobs. T. II, pag. 42. Demag. XI. *ὡς ὀφελόν γε χειρὶ φίλην τὴν σὴν χεῖρα λαβοῦσα θανεῖν.* — V. 61. Construe: F l e b i s e t m e, ut ego te amore maximo amplector. Quare non languet pronomen, ut VOSSIUS censebat. Sciebat autem poeta puellam revera non duram esse animo, etsi nondum tam facilis erat quam cupiebat. At si iam nunc tantopere amabat poetam, ut propter meditatum discessum in bellum ei graviter irasceretur, non potest intelligi hic locus. — a r s u r o l e c t o, funebri, in quo efferenda corpora componebantur. — V. 62. o s c u l a d a b i s, PROPERT. II, 10, 29: *osculaque in gelidis ponas suprema labellis.* Osculabantur enim etiam in rogo iamiam ponendos. — t r i s t i b u s l a c r i m i s, non inutili pleonasmo. Semper enim intenditur vis notionis, ubi quod inest in substantivo, etiam peculiari verbo expressum insuper iuxta ponas; ac si sententia sive per se sive propter oppositionem ponderosiorem formam postulat, nihil est aptius. Exempla ubique obvia. Sic *miserae querelae* OVID. Met. II, 342. *moestae querelae* Tib. I, 8, 53. *moesti questus* VIRG. Georg. IV, 515. *moesti luctus* Aen. XI, 38 notante HUSCHKIO, et *moesti fletus* PROPERT. I, 5, 15. et *moestae exsequiae* Tib. II, 4, 44. Adde *tristes curae* I, 7, 43. *fortis audacia* I, 4, 13. *liquida aqua* I, 5, fin. 9, 12. 50. Porro *dulci melle* II, 1, 50. *veteres senes* I, 8, 50. *fluitantes undae* II, 5, 59. *muta silentia* IV, 1, 129. OVID. Met. IV, 433. X, 53. et saepissime alias. Atque ut etiam ex alio genere exemplum addam, *μικρὰ πολίχνια καὶ νησύδρια* ISOCRATES dixit Philipp. p. 124. Bekk. Egregie errant qui nisi diversae significationis verba vident, pleonasmum dicunt, quasi non etiam intensiva vis notionum augeri possit et debeat saepe. — V. 63. F l e b i s. Ut mollem affectum

habet repetitio, ita transitum ad sequentia parat, ut saepius. — non tua sunt duro praecordia ferro vincta. Simplicissima ratione HOMERUS σιδήρεον, χάλκεον θυμόν, ἦτορ dicit, quamquam raro malo sensu, plerumque bono. Postea vero ornata vario modo locutio est, cum aut circumdatum, obductum ferro, aere cor, pectus dicerent aut ipsum cor e ferro saxove conflatum, vel in corde ferrum aut silicem et scopulos inesse. Vide JANUM GEBHARDUM et BROUCKHUS. et HEYN. ad h. l., MITSCHERL. ad Horat. I, 3, 9. CERD. ad Virg. Aen. IV, 365. BARTH. ad Stat. Theb. IV, 340. BURMANN. ad Anthol. Lat. III, 275, 1. GIOFAN. et GIERIG. ad Ovid. Met. VII, 33. nos ad PIND. Fragm. Scol. p. 643. Apud Tibullum *ferro vincta* sunt: inclusa et constricta ferro, veluti in carmine Priap. 63, v. 6. ANTHOL. LATIN. Burm. est: *rigetque duro barba vincta crystallo.* Infra I, 9, 69. habes: *auro lacertos vincire.* Comparabis etiam Graeca, ut χαλκοδέτους αὐλάς SOPH. Ant. 945. et ἐλεφαντόδετος lyrae epitheton; alia HUSCHKIUS affert. — V. 64. nec in tenero stat tibi corde silex, ubi *stare* est immobilem esse notante VOSSIO, WUNDERLICHIO, HUSCHKIO, cf. infra II, 4, 9. et VIRG. Aen. VI, 470: *Nec magis incepto vultum sermone movetur, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.* Adde SANTEN. ad Propert. IV, 11, 4. Coniungit autem duas locutiones per amplificationem, intentius admonens Deliam ne fiat dura, dum sic laudat. — V. 65 sqq. non iuvenis, non virgo. Attende formam loci. Dixerat de Deliae luctu dicetque statim iterum, interponit vero locum de luctu aliarum virginum et iuvenum, fidelem amatorem mortuum simul qui lugebunt. Nominamus orbem per interpositionem talem formam compositionis. — V. 67. Tu Manes ne laede meos etc. Flere et crines solutos habere consentaneum, si vero etiam abscinderet crines Delia et genas laceraret, aegre ferrent hoc Manes poetae, quibus etiam in Orco cura formosae puellae. Omnino laedi manes immodico luctu passim legitur, praeter SCALIGERUM cf. BROUCKHUS. ad h. l. et BURM. SEC. ad Anthol. T. II, p. 9. 10. et KIRCHM. de Fun. Rom. IV, 10. quae iam HEYNIUS attulit. — parce crinibus. PROPERT. I, 17, 21: *Illa meo caros donasset funere crines.* OVID. Heroid. XI, 115: *non mihi te licuit lacrimis perfundere iustis, in tua non tonsas ferre sepulchra comas.* Ponebant crines

in lecto funebri aut tumulo, cf. KIRCHM. II, 15. — V. 68. parce genis. OVID. Trist. III, 3, 51: *parce tamen lacerare genas nec scinde capillos.* Ceterum infra I, 5, 43. 44. faciem et flavas comas Deliae laudat; has igitur laedi non vult. — Singulis explicatis verbis in fine etiam de totius loci consilio monendum est. Credas poetam, qui vv. 59. 60. dixerat se ad mortem cupere cum Delia vivere, inde cogitatione ad luctum in funere suo futurum *per digressionem* delapsum, ut fere HEYNIUS intellexit et plerique, opinor, interpretes. Sed non assentior. Pulchrior est ratio suavissimi loci et arctior eius cum antecedentibus nexus. Vidimus hoc carmine Tibullum militiae opponere otiosam, ad quam transire vult, vitam. Igitur cum militia etiam gloriam afferat, ipse contra dixerat v. 57: non ego laudari curo, dummodo cum Delia sim, ostenditque nunc habere vero etiam amorem honores suos. Opponit igitur gloriae militari amoris gaudia et post mortem lacrimas Deliae iuvenumque et virginum, funus suum qui comitabuntur lugentes; atque eximia suavitas inest in hac luctus et splendoris militaris oppositione, nihilque elegiaco carmini accommodatius. Quoniam vero per totum hunc locum Deliam simul commovere vult, quid etiam huic consilio aptius tali molli descriptione, cum puella et ipsa mollioris animi esset, quantum coniicere licet. — V. 69 sqq. poeta ad laetiora redit. — iungamus amores, cf. infra I, 9, 76. CATULL. LXIV, 373. STAT. Theb. I, 574. Ceterum calidius PROPERTIUS II, 15, 23: *Interea dum fata sinunt, oculos satiemus amore.* — V. 70. Iam veniet tenebris mors adoperta caput. Varie explicant. Dictum vulgo volunt pr. furtim subrepit. Nam ut alias nimbo, aëre, nube cincti incedant dii apud HOMERUM aliosque, vid. HEYN. ad Virg. Aen. I, Exc. XIII., sic nunc Mortem capite tenebris involuto, atque ita fieri ut non animadvertatur eius aditus. Pertinere eodem Ἄϊδος κυνῆν, qua qui indutus erat, spectantium oculis erat subductus, cf. HOM. V, 845. HESIOD. Scut. 227. et interprett. ad ARISTOPH. Acharn. 890. Sic esse sensum verborum Tibulli: ἄφνω δ᾽ ἄφαντος προςέβα Ἅιδας, quemadmodum NEOPTOLEMUS dicit in carmine laudato ap. Diod. XVI, 92. Assentitur HUSCHKIUS. Sed abhorret a simplicitate elocutionis Tibullianae talis locutio pro simplici notione: clam venit, uti dicit I, 10, 34, etsi concedas, quod negat censor Ienensis Huschkii pag. 187.,

qui caput tenebris tectum habeat, hactenus ἄφαντον accedere quod facies dignosci non possit, quis sit. Censor ille moerorem, luctum tribuit Morti et velatum caput habere eam censet ut lugentes, miro phantasmate et dicendi audacia; alii opertum volunt caput, ne dirae deae vultus conspiciatur, quae res certe hoc loco inutilis. Ducunt vero Tibulli verba alio. Dicit: iam veniet mors, iam subrepet senectus, et quemadmodum senectutis tristitiam describit disertius, sic etiam quod morti est additum praedicatum, tristem naturam mortis, infelicitatem mortuorum significare debet, ubi cessant gaudia. Recordaberis igitur potius νέφος, σκότος θανάτου notissimum, et cogitanda est mors qualis conspicitur in mortuo (*als Erscheinung am Todten*), cum caput tenebris tectum h. e. oculi aeterna caligine tecti sunt. Ut *caput tenebris grave* habet Oedipus ap. Senec. Phoeniss. 233. Sic ut aliud exemplum ponam, cum infra III, 5, 16. dicitur: *Et nondum cani nigros laesere capillos, nec venit tardo curva senecta pede*, manifesto non cogitatur persona quaedam Senectus sic accedens, sed describitur ipsa senilis aetas, qualis conspicitur in senibus. Quod genus dicendi saepe non animadverterunt interpretes. — V. 71. iners aetas, senectus, non idonea militiae amatoriae, qualem mox describit. — subrepet, cf. similes alias locutiones ap. Rupert. ad Iuven. IX, 129. ubi *obrepit*, et vide infra I, 10, 40. — V. 72. cano capiti, ut propter codices recepit Lachmannus, est ablativus, quemadmodum apud Catullum LXVIII, 124: *suscitat a cano volturium capiti.* Tamen iam ab aliis iudicatum est hanc formam alienam videri a sermone Tibulli, qui alias *capite* habet, II, 1, 8. Ceterum confer ad locutionem Plaut. Mercat. II, 2, 34: *tun capite cano amas?* Illud enim ipse vides, non esse *capiti* dativum. Licet enim per se recte dicatur blanditias dicere cano capiti sic, ut Propertius II, 18, 18. dixit: *oscula ferre canae comae*, tamen nunc de se loquitur Tibullus (nunc tractanda Venus, ait, ubi frangere postes non pudet), et loqui debet, puellae vero senectutem futuram potius indirecte significare satis habet. — V. 73. frangere postes. Sunt irruptiones nocturnae amatorum, qui non admissi interdum vi sibi viam ad puellas faciebant. Res saepe memoratur in elegiis. — V. 74. rixas inseruisse. Est *inserere* passim pr. inferre, immiscere, dictum, quod vidit Wunderlichius, sed non explicuit accuratius. Sic au-

tem Liv. XXXV, 17: *Admissi plures* (legati) *dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserit, et aequa iniquis miscent, e disceptatione altercationem fecerunt.* Habetur ibi disceptatio, ubi suas quisque legatorum expostulationes aut querelas infert. Tacit. Histor. I, 23: *Studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfectaverat, — — vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando; alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia iuvare: inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba sermones,* h. e. immiscendo, loquendo inter cetera ista, quae memorantur. Iam *rixas inserere* dictum est absolute, credo quia rixa, ubicunque oritur, infertur aliis rebus, alii conditioni rerum. Quemadmodum igitur qui inter convivium rixas occipit, inserit rixas, sic qui vitae amatoriae rixas infert. Germanice dicas: *Streit dazwischen bringen.* Quod sane idem est quod inchoare, occipere omnino. Aliud denique est *innectere*, ut *fraus innexa clienti* Virg. Aen. VI, 609. *moras innectere* Stat. Theb. V, 743. *causas innecte morandi* Virg. Aen. IV, 51. quod artem significat, veluti nos dicimus *anzetteln, einfädeln.* Atque haec hactenus. — Sed observa denique totius loci suavem rationem. Ex flebilibus modis poeta ad laetiora reversus usque ad petulantes mores vitae amatoriae progreditur, ut opponat militiae bellicae amatoriam, quemadmodum sequentia ostendunt, et sic ad exitum viam muniat. Ceterum de militia amatoria integrum carmen est Ovid. Amorr. I, 9., rixas vero etiam necessarias esse in amore probare student Propertius III, 8. et Lucianus in Dialog. meretric. nr. 8. —

V. 75-fin. Exitus. Redit ultimum primaria sententia carminis et claudit totum.

V. 75. Hic ego dux milesque bonus. Gebhardus ad Propert. II, 22, 34. confert Homericum: ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Iam transit ad finem. — V. 76. cupidis h. e. divitiarum. Porro post i, ite saepius asyndeton ponunt, aliquoties copulam, ut Graeci post ἴθι, cf. Heins. ad Claudian. de Rapt. Proserp. I, 92. Wunderlichium ad h. l. et Lachmannum ad Propert. p. 170. Ac copula melior videtur ubi prima sententia propter secundam ponitur, ubi vero ea per se stat, ut

hoc loco, asyndeton melius. — V. 77. composito, condito. — In fine unice verus est receptus verborum ordo: despiciam dites, errant tamen BROUCKHUSIUS et HUSCHKIUS eo, quod nescio qua consuetudine Tibulli I, 4, 82. II, 2, 20. 5, 100. eum defendunt. Nam in huiusmodi rebus non consuetudo quaedam valet, sed sententia cuiusque loci quid postulet videndum. Atque hic sententia est: alii divitias habeant, ego despiciam dites, unde liquet necessario verbum primum locum occupare debere. Quod deinde nova oppositio est inter dites et famem, nullius hic est momenti, ubi ante omnia nexus cum sequentibus spectandus. —

ELEGIA II.

INTRODUCTIO.

Cum Elegia V. scripta sit ante hanc, lector primum adibit Introductionem ad illam; ad quem locum enim ibi deduximus narrationem rerum Tibulli, ab eo nunc eam continuamus. Vidimus autem illic postremo, Tibullum in gratiam redire voluisse cum Delia ex discidio ante orto. Hoc non statim effectum videtur. Discessit quidem amator iste dives, sed aderat iam alius, si vere dixit poeta in exitu quintae; quidquid fuit, Delia non diu post nupsisse videtur ei viro, qui hic et in sexta elegia memoratur. Fieri hoc potuit aestate ann. 725. Verum Tibullus nihilominus persecutus est propositum suum, postquam hieme sequenti in urbem redierat; fuit ante ianuam puellae, ut hic videmus, et haud dubie varias occasiones invenerat, quibus preces suas repeteret Deliae. Sic factum ut tandem nova promissa ab amata ferret. Atque hac nocte ex composito, ut videtur, venerat primum tentaturus nova limina: sed ecce praeter exspectationem clausae reperiuntur fores, positamque custodiam fallere Delia non audet. Errat hic VOSSIUS magnopere scribens, Tibullum tum, cum primum e Corcyra redux ad domum

notam carae puellae properasset, clausas vidisse fores et maritum comperisse inesse, de qua re eum in hoc carmine queri. Primum enim nova limina sunt (v. 17.), non priora Deliae, cum mutasset domicilium et apud maritum habitaret. Deinde non nunc primum comperit nuptam eam, sed iam alia nocte ante ianuam fuerat, ut ait, et suspenderat serta, et ni fallor iam saepius hic steterat. Unde vides ita potius cogitandam rem, ut ego dixi. Et hodie quidem venerat aditum sperans. Neque enim asperitatis aut perfidiae puellam accusat, sed audaciae ea nondum satis habet ad fallendos custodes. Perspicuum est ex his quo tempore scriptum carmen censeam. Hiemem fuisse patet e verss. 31. 32: *Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis, non mihi cum multa decidit imber aqua.* Atque hieme ann. 724-725. facta videntur ea, quae elegia quinta memorantur. Nec vereor ut hiemem ann. 726-727. cogitandam censeas et tantum intervallum ponas inter quintam et hanc; erant tum potius ultima tempora huius amoris, qui cum Messala ann. 727. rediret ex Oriente, finitus fuisse videtur, nec memoratur amplius in carmine septimo. Quare restat ut hiemem ann. 725-726. intelligamus, quod egregie convenit cum ceteris omnibus, quae disputavimus. Unum restat. Mentio fit hic belli in Cilicia, sed etiam haec res difficultatem nullam habet; cum Messala ab auctumno ann. 724-727. Orientem componeret, vides non esse cur circa tempora elegiae id gestum negemus. Satis de his rebus, veniamus ad alia. Carmen παρακλαυσίθυρον est, ut videtur, et ante ianuam puellae fingitur cantatum; nam v. 9. non obscure ante ianuam stantem prodit atque etiam alii loci id suadent ut statuatur. Vossius dicit poetam in convivio nocturno amicorum versari, ad quod credo, exclusum domo se videns, ivit aut rediit, haustoque multo vino ebrium videri sibi stare ante ianuam Deliae. In quo displicet maximopere pronuntiata in convivii loco elegia tota ad Deliam directa, displicet ebrietas tanta ut in convivio cum sit, ante puellae domum sibi videatur esse. Immo stat ante puellae fores ipsas neque abscedit, et primum etiam quiescere ibi vult, non potest vero, sed denuo ad preces convertitur: haec nobis videtur fictio poetica carmini subiecta. Videamus nunc carmen ipsum. Fundamentum est ardens cupiditas potiundae puellae toto pectore amatae. Caruerat poeta, ut vidimus, per anni tempus Deliae usu,

hodie primum cum laeta spe nova limina adierat, sed ecce ianua clausa! Quo casu inopinato quomodo commotum censes eum, qui maximo aestu amoris flagraret? Ostendit praeclare exordium plenum variorum affectuum: vult poeta vino consopire dolorem ingentem, sed conatur frustra; exsecratur ianuam, preces facit ad eandem, huc illuc iactato irrequieto animo, dum urget cupiditas introeundi maxima. Sequitur medium carmen. Rediit quidem poeta ad se et cessavit ista vehementissima fluctuatio animi, nec iam pergit ianuam alloqui, sed ad Deliam ipsam convertitur, hanc autem nunc omnibus quibus potest hortamentis aggreditur, totusque in eo est, ut quovis modo animum et audaciam ei inspiret ad fallendum virum et custodiam. In quo nunc observa mecum praeclaram varietatem et gradationem rerum. *Sunt tres partes. Primum* ostendit amantes in tutela Veneris esse et ab ea adiuvari et protegi omni modo, idque ostendit trifariam: docet dea artes furtivas quibus fallere possint, tuetur euntem noctu per vias et punit etiam proditores loquaces furtorum: quae quam graphice depingit omnia! Sed non his solis hortamentis confidit: succedit *secundo loco* magicarum rerum descriptio magnifica, et laudatur ars sagae stupenda per coelum, terram, Orcum pertinens, quam narrat se adiisse et carmen accepisse, quod si ter pronuntiaverit Delia, obcoecatum iri mentem mariti, ut nec videat quidquam nec proditori credat. Erat enim huius superstitionis apud multos tum magna vis, imprimisque apud puellas, quarum animus natura ad talia propensior. Considera denique *tertiam partem rerum.* Ostendit poeta opem Veneris et obtulit etiam magicum carmen, sed quis credat eum omnia hortamenta exhausisse, si omisisset quo nihil in hac re potentius, nihil magis necessarium in tali carmine? Vide igitur quam scite nunc etiam amoris sui magnitudinem et constantiam demonstret, ut rivalis nuper in bellum profecti levitati, praedam et vestium ornatum et gloriam praeferentis, cum Deliam habere posset, opponat suos sensus, suam fidem et constantiam, qui sagae artibus restitit solvere amorem paranti, qui ad aratrum et inter greges solis in montibus laete deget cum Delia et in eius lacertis mollem somnum habebit in dura humo, qui denique etiam templis supplex procumbere et genibus terram perrepere paratus est, si adversentur dii et meruerit aliquid, nullum supplicium recusaturus

pro Deliae usu. Profecto concedes nunc ultimos stimulos admotos et blandissimum persuasionis genus; talem enim amorem quae viderit, aut omnino non audit te aut nunc audiet. Atque ita patet perfecta unitas compositionis. Dominatur per omnia ardens cupiditas potiundae puellae, quam impedimenta etiam auxerunt, estque haec intima vis carminis; hinc persuasio nihil intentatum relinquens, hinc vigor praeclarus affectuum ubique regnans, quo haec elegia maxime insignis est. Maximopere enim errat Vossius hic ut alias docens non ita serio loqui poetam, quod est apertam temere negare veritatem affectuum, quam oratio tota demonstrat. Restat ut de exitu dicamus. Omnis elegia Tibulliana quaerit in fine tranquillitatem qualemcunque, atque hic ardor, hi dolores amoris vel imprimis lenimenta et solatia desiderabant. Quomodo hoc nunc effectum est? Factum saepe puta ut amantes ante ianuas puellarum flentes riderentur a praetereuntibus, quare cum hoc carmen *παρακλαυσίθυρον* sit, inde duxit exitus formam aptissime. „Tu qui rides mala nostra, caveto, ait; non uni saeviet usque deus. Nemo potest effugere vim amoris; qui iuvenes eam contemserunt, saepe in senectute ridiculi facti sunt. Ego cum non obfirmaverim animum adversus Veneris servitium, dato dea successum votorum merenti.“ Vides poetam aerumnas suas consideratione communis fati humani consolari, eventum vero votorum commendare aequitati divinae. Et nunc demum adest finis poeticus et legitimus carminis. Quare quid post haec de Vossio dices, qui cum ipse poeta esset, denuo misere divulsit optimam compositionem, quasi recte finiri possit tale carmen verss. 65. 66., et quae sequuntur reliqua, revera integrum sint poematium.

EXPLICATIO.

V. 1-14. Exordium. Exclusus poeta praeter exspectationem custodia a marito posita Deliae, quam hodie copiam sui facturam speraverat, frustra vino consopire studet ingentem dolorem et iterum precibus aggreditur ianuam.

V. 1 sq. Adde merum. Hortatur puerum ut plus meri affundat, quo fortior fiat potio. Sic infra III, 6, 63. LYGDAMUS: *tu puer, i, liquidum fortius adde merum.* Non est igitur pr. simplici *dare* dictum *addere*, notante etiam WUNDERLICHIO contra VULPIUM. Sed gravior alia quaestio. Ubinam versatur poeta haec dicens? De fictione poetica loci loquor. Credas domum eum rediisse a ianua Deliae, ibique poculo postulato bibere. Sed stat manifesto ante ianuam v. 9., ubi vide dicta, nec dubium quin carmen *παρακλαυσίθυρον* sit, suadentibus etiam aliis locis infra legendis. Quare duplex tentari potest explicatio. Primum haec: constat vinum passim allatum ad ianuas puellarum. Nolo afferre vino conspersas esse fores amatae, ut v. c. Thessalici amatores Laidem honorabant, cf. Schol. ARISTOPH. Plut. v. 179. Hoc loco PLAUTO utamur Curcul. I, 1, 76 sqq., ubi puer sinum affert Phaedromo cum Palinuro ad ianuam Phanesii eunti, qui fores conspergere vult, ut ex odore lena ianitrix eum adesse sentiat, deinde etiam lenae ipsi bibendum dare. Quod audiens Palinurus, *istunc*, inquit, *qui affert afflictum velim. Ego nobis afferri censui.* Unde factum vides interdum, ut ante fores biberetur. Ac Tibullus quidem (sic possis fingere) steterat aliquamdiu frustra ante ianuam exspectans, mox ut falleret noctem, vinum afferri iusserat, tandem vero intelligens non venire Deliam et custodiam esse positam, dolore ingenti corripitur. Nunc plus meri postulat, ut consopiat celeriter intolerabiles dolores, confestim hoc ipso loco dormiturus, ut constat amatores etiam alias iacuisse, dormivisse in limine puellarum. Sed ne somnus quidem venit, et mox denuo ianuam alloquitur poeta et nova consilia agitat. Atque haec una ratio est. Quae si tibi displiceat, ut nec mihi plane arridet, vide an praestet statuere, poetam revera domum rediisse a ianua Deliae ibique bibere coepisse, sed frustra tentata quiete statim reverti ad fores clausas. Alterutrum verum videtur. — novos dolores VOSSIUS interpretatur *inopinatos*, HEYNIUS *recentes*, HUSCHKIUS *insolitos*, WUNDERLICHIUS *quos antea non sensisset;* iam enim omnem spem Delia fruendi abiectam. Sed minime abiecit. Verius BROUCKHUSIUS ait novos esse super veteres. Diu caruit puellae usu, nunc cum tandem eius promissa tulisset, quo die primum adire limina mariti tentabat, praeter exspectationem exclusus novo dolore obruitur. — Occu-

pet victa, h. e. vincat et occupet, s. plane deprimat et consopiat. Ceterum bene confertur PROPERT. III, 15, 42: *Atque hoc sollicitum vince sopore caput.* SIL. ITAL. VII, 204: *Donec composuit luctantia lumina somnus.* Noli igitur *vino* supplere ad *victa*, ubi propior vox *sopor;* ac nihili est hoc: ut primum vinum vincat, deinde somnus occupet. — fessi. VOSSIUS ieiune: qui diu somno caruit (*der Verwachte*). Potius sensus: ut fessus in somnum incidam. Sic *vino* supplendum cum HEYNIO, non *doloribus* cum WUNDERLICHIO. Conspirant enim verba *occupet*, *fessi*, *victa* ad eandem sententiam. Ac consulto cumulatur oratio in hoc affectu. — V. 3 sq. multo perfusum tempora Baccho. Locutio metaphorica. Tempora gravata sentimus, ubi somnus venit. Nunc perfusus tempora vino est qui vi vini plane capta et obruta habet tempora, ut graviter dormiat. At infra I, 7, 15: *et multo tempora funde mero* est: incalesce vino et exhilara te festivius, ut HORAT. Od. I, 7, 22: *uda Lyaeo tempora* sunt calida, exhilarata vino. Nam et exhilarat vinum et paullo largius sumptum consopit. Ceterum notissimas quivis scit locutiones: *vino madere, tingui, irrigatum esse*, *proluere se*, *βρέχεσθαι*, *ὑποβεβρέχθαι*, *βεβαπτίσθαι οἴνῳ*, vide JOANN. LIVINEJI notas et HEYNII Observatt., porro HEMSTERHUS. ad Lucian. Dial. Deor. XXIII, Bipont. Tom. II, p. 324. et laudata ab HEINDORFIO ad Horat. Sat. II, 1, 9. p. 233. Adde specialiter de locutione *vino madere* WUNDERLICH. ad II, 1, 29, infr. Denique de magna ebrietate usum habent haec: *ictum caput*, *quassa tempora vino*, *διασείεσθαι τοὺς κροτάφους ὑπὸ τοῦ ἀκράτου*, *σεσεῖσθαι μέθῃ*, *συγκεραυνωθῆναι οἴνῳ φρένας*, *ἀμπελίνοις τόξοις δαμῆναι*, de quibus adi HEYN. in Observatt. et LIEBEL. ad Archiloch. p. 122. ed. sec. Adde nos ad PIND. Fragm. p. 671. Etiam hoc loco in quibusdam est *percussus*, sed incommoda est violentiae notio, aliis quoque notantibus; non postulat ut percutiatur, ut ictum sauciumve mero caput habeat, sed lenius verbum praeferre debuit idemque maxime accommodatum profundae quietis significationi, qua mersum cupit animum. — requiescit, CATULL. II, 8: *cum gravis acquiescit ardor*, comparante STATIO. De indicativo praesentis, qui recte in plerisque omnibus libris est pr. *requiescet*, vide HEINDORF. ad Horat. Sat. I, 5, 72. coll. annot. nostr. ad II, 3, 8. Ceterum conatur quidem poeta consopire affectum, sed fru-

stra. — V. 5 sq. Nam posita est. Nunc demum causam discimus tantorum dolorum, recte. Fac praemissam causam, deinde de consopiendo dolore inde orto dictum, fracta esset poetica vis loci, quae inversum ordinem in talibus postulat, cf. I, 6, 5. Ceterum vides quid res sit; cum fores non aperiantur, poeta concludit maritum Deliae custodes posuisse, quos fallere et transgredi (II, 1, 75) puella non ausa sit. Nec Deliae irascitur, sed fortunae crudeli. — firma, per prolepsin, ut firma sit. Alii *fulta*, munita, ut Virg. Aen. VIII, 227: *fultosque emuniit obiice postes*, et Ovid. Art. Am. II, 244: *atque erit apposita ianua fulta sera.* Vide Heyn. Observatt. — sera est pessulus ligneus aut ferreus, reserare autem aperire retracto pessulo. Nunc Vossius bene monet seram occultam in claustro cogitandam fere ut in nostris, quae retro trahebatur inserta clavi, aut ubi haec non adesset, *dente* (*Dietrich*) cf. v. 18., quam *clavim adulteram* dicit Ovid. Art. Am. III, 643. Vide de claustris veterum Vossium ad h. l. et Salmas. Exercitt. Plin. p. 654. edit. 1689. — V. 7 sq. Ianua. Apostrophe est figura et aptissima et usitatissima in elegiis. Ac ianuis quidem etiam religio veterum vim nescio quam maiorem tribuebat, in amoribus autem haud exiguae erant earum partes. Ibi amatores saepe multum noctis versantur, affigunt corollas, spargunt unguenta, osculantur postes aut limina, eadem floribus et sertis operiuntur, queruntur, orant, rixantur, maledicunt. Sic prosopopoeia et allocutione ianuarum nihil erat frequentius; erant quasi vivae amicae aut inimicae amatorum. Ceterum cf. Sagittar. de Ianuis Vet. c. 37. — difficilis cum *ianua* iunge; huic enim irascitur, non puellae. — verberet, Virg. Aen. IX, 669. Add. Brouckhus. et vide Weichertum in Epistola crit. de Valer. Flacc. p. 41. docte huius et aliorum verborum similium exempla congerentem. — Iovis imperio, non pr. iussu Iovis, nam ipse fulmina mittere debet deus, nec de mandato cogitandum aliis diis dando; potius cum Wunderlichio intellige *de coelo* missa fulmina. Cum enim imber a propioribus aëris regionibus veniat, Iovis imperium est aether, et postulat poeta nunc etiam ab ipso Iove deiecta fulmina. Amat Tibullus concinnas divisiones. — V. 9 sqq. Ianua, iam pateas uni mihi. Subita mutatio mentis, de qua figura Tibulliana vide quae data opera exposui in Dissert. de poesi Tibulli c. II. Porro vox iam

ostendit ante ianuam stare poetam. Alio in loco versans, v. c. in domo sua aut in convivio amicorum, alloqui quidem poterat ianuam et dicere: pateas mihi, ut saepissime absentia alloquuntur poetae et omnes commoti homines, sed non poterat: *iam pateas*, nisi prope aderat. Etiam pentameter manifesto melius convenit nunc ipsum introire cupienti quam absenti. Neque enim hae allocutiones sine lege sunt, etsi fictae, sed alia quidem absens pariter et praesens recte dicas, alia autem nonnisi praesens aut absens; ut cum hoc distichon nonnisi praesenti conveniat, antecedens etiam absenti conveniret, nihil illud continens, quod non etiam absens dicere potuit. Non attenderat ad haec discrimina Wunderlichius cum aliis. Igitur nunc ante ianuam poeta stat, ut probat etiam v. 82.; iam principium quoque elegiae huc revocandum vides, cum diversa loca admitti nequeant. Sic efficitur carmen παρακλαυσίθυρον esse, quale est etiam quintum. Alia exempla huius generis sunt Aristoph. Eccles. 1000. Invern., Theocrit. Id. XXIII, 19 sqq. Plaut. Curcul. I, 2, 60. Horat. Od. III, 10. Catull. LXVII. Propert. I, 16, 16 sqq. Ovid. Amorr. I, 6. Met. XIV, 717 sqq. Ceterum vide Sagittarium de Ianuis Veterum c. 37. Casaubon. ad Persium p. 454. Atque haec hactenus; ad reliqua pergimus. — victa, ut I, 5, 67. E Graecis conferam Pind. Nem. IX, 2: ξείνων νενίκανται θύραι, ab hospitibus victae patent. — dementia nostra pr. ego demens, est rarius apud Tibullum circumscriptionis genus, quem vide I, 3, 78. 4, 24. 8, 32. Add. III, 2, 13. 3, 8. Lygd.; frequentius apud alios ut Propertium, qui suavissime eo utitur. — capiti meo, ut solet in imprecationibus caput nominari, cf. Heins. ad Ovid. Heroid. XX, 127. laudante Heynio. Similiter Graeci εἰς κεφαλήν, cf. Schol. Aristoph. Pac. 1063, interprett. ad Plut. 526. Heindorf. ad Platon. Euthyd. p. 339. Stephan. Thesaur. Gr. Ling. s. v. Sic etiam qui aliis male essent precati, satisfaciendi causa in suum caput optabant ut ista reciderent, cf. Statium, Brouckhusium, Muretum h. l. et in Var. Lectt. XII, 4. — V. 13. quae plurima voce peregi supplice, h. e. precatus sum. *Peragere* est exponere, διέρχεσθαι, περαίνειν. Liv. I, 18: *tum peregit verbis auspicia quae mitti vellet.* II, 1: *liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas — peragam.* Propert. IV, 7, 95: *haec postquam que-*

rula mecum sub lite peregit. — Pergit: cum posti florida serta darem. Constat amatores comissabundos corollas capiti detractas suspendere solitos ante fores puellarum aut etiam in limine spargere. Cf. PROPERT. I, 16, 7. OVID. Amorr. I, 6, 67. Art. Am. III, 72. Remed. Am. 32. LUCRET. IV, 1170. Hinc *στέφανοι ἱκέται* Anthol. Gr. Tom. I. MELEAGR. 64. — florida si vera lectio, significabuntur florentia variis floribus. OVID. Met. II, 27: *cinctum florente corona.* Sed non scripsit ita Tibullus. Vulgo potius *florea* dicunt, h. e. floribus nexa, vid. BROUCKHUS. ad I, 1, 16. Ac nota est codicum discrepantia in his formis, etsi hoc loco libri omnes *florida* habent. — darem. Notus est usus, ubi coniunctivus de repetita actione usurpatur, quemadmodum Graece optativus. Hunc WUNDERLICHIUS hic adhibet, *darem* pr. *quoties darem* explicans sequente BACHIO, sed non assentior. Non temere adhibenda haec ratio est, ac suavior et aptior nunc unius certi temporis factique recordatio. Opponit ille de uno facto *dedi* dicendum fuisse, acute, sed non vere. De uno facto recte *cum dedi* et *cum darem* dicitur, hoc tamen discrimine, quod perfectum s. aoristus simpliciter narrat rem ut factam, simpliciter indicat gestam eam, imperfectum vero phantasiam simul excitat, postulans rem, cum fieret, ut cogitemus et ante oculos nobis ponamus. Atque ita convenit suaviter huic loco.

V. 15-42. Medium carmen. Prima pars. Docet Deliam, fortes amantes a Venere adiuvari et protegi, celante furta amoris.

V. 15 sqq. Tu quoque. Neminem ad fallendum hortatus erat, ait WUNDERLICHIUS; explica igitur: Te quoque obtestor. Aliud exemplum est II, 1, 11. Plura habet WUNDERLICHIUS. Ac vide quae in fine Dissertationis de Elocutione Tibulli de his rebus explicui. — ipsa Venus. SAPPHO ap. Dionys. d. Compos. Verb. p. 354: *σὺ δ᾽ αὐτὰ σύμμαχος ἔσσο.* — seu quis iuvenis. Quod ex aliis codicibus VOSSIUS invexit *iuvenum,* alienum est. Ceterum per se patet poetam, quod generatim dicit, nunc propter se ipsum dicere. — nova limina tentat, intrat nondum intrata ab ipso ante. Vides quid res sit. Tibullus, qui apud innuptam Deliam saepius fuisset, post nuptias novum puellae domicilium nondum erat ingressus, sed voluit primum hac nocte. Ad tentat cf

VALER. FLACC. I, 835: *portam tentare*, et CATULL. XI, 13. et VIRG. Aen. III, 363. quae WUNDERLICHIUS laudat. — reserat. Notabis de collocatione verborum, cum in hoc disticho pariter subiecta sibi opposita sint et verba, recte potuisse dici aut sic: seu quis *iuvenis* limina tentat, seu *puella* reserat fores; aut sic, ut poeta fecit: seu quis iuvenis *limina tentat* seu *reserat* puella *fores.* Atque haec collocatio pulcherrima est et saepe praelata alteri vulgari, ut statim v. 23: quos nec inertia *tardat* nec *vetat* surgere timor. — fixo dente, cf. ad v. 6. — V. 19 sq. molli, perpetuum lecti epitheton, sed ut etiam perpetua rerum epitheta nusquam otiosa sunt in his carminibus, sic hoc quoque non otiatur nunc, sed oppositionem suaviter adiuvat; vide modo: limina tentare, reserare fores, molle lectum relinquere. Oppositionibus autem fortioribus nervosior et alacrior fit oratio, de quo saepius moneo per hunc librum. — decedere lecto est relinquere lectum (furtim: *sich vom Bette schleichen*), nec opus videtur DOUSAE coniectura *descendere.* OVID. Amorr. III, 1, 51: *delabi toro* dixit. Ceterum non de sola puella haec verba accipias surgente ut conveniat amatorem; valent etiam de amatore, qui furtim discedit ante diem. Similiter pentameter et puellae et amatori convenit. Quemadmodum enim in antecedenti disticho de amatore et puella dicitur, sic in hoc et sequenti, postulante concinnitatis lege. — nullo pedem ponere sono, h. e. suspenso gradu ire. OVID. l. cit.: *atque impercussos nocte movere pedes.* Multis rem illustrat JANUS GEBHARDUS. — V. 21 sqq. viro coram. Est *gradatio* in toto loco et progreditur poeta a minus audacibus ad audaciora. — Ad docet iterum non *puellam* supple sed *amantes.* De mutuo enim colloquio dicit, ceterum Deliae animum addere cupiens his descriptionibus. — nutus conferre scil. inter se, ut sermones conferre, *συμβάλλεσθαι λόγους.* — compositis, de quibus ante conventum est. OVID. Amorr. III, 2, 25: *Verbaque compositis dissimulata notis.* Locum pluribus illustrat JANUS GEBHARDUS. — Ad v. abdere conferunt OVID. Art. Am. I, 489: *Neve aliquis verbis odiosas afferat auras, quam potes ambiguis callidus abde notis.* — Postremo, quas his distichis descripsit artes, eas uno verbo *Venerem furtivam* dicit infra I, 8, 57. ubi etiam alia indicat. — V. 23. Nec docet hoc omnes etc. Observabit lector poetam redire

ampliore sententia ad initium v. 16. Ibi dixit: fortes adiuvat Venus; nunc qui non inertes nec timidi sint, hos ait ab ea doceri furtivas artes. Atque ita viam sibi ad sequentia munit, ut etiam alias per repetitionem sententiae ad alia transit, cf. ad I, 6, 37. 10, 49. et quae in Dissertatione de Elocutione Tibulli dicta sunt. — V. 25. En ego. Eiici versus nullo modo potest, ut Scaliger olim fecit et suffragati sunt alii, cum initium contineat demonstrationis, quae sequitur. Sequitur enim iam *alia pars rerum*, confirmans vero eadem simul antecedentia. Ac nexus hic esse videtur: Nam talibus quidem, inquit, manifesto favet dea, ut meo exemplo patet; en non *pericula* me tangunt, non *frigoris et imbrium vis* mihi nocet, quia utrumque contemno et neque *timidus* sum neque *iners*. Quare cum tam aperte audaciam et strenuum animum amet dea, etiam artes furtivas talibus, credo, non aliis tradit amantibus. — anxius. Nulla hic repugnantia. Potest sine timore periculorum nocturnorum vagari, quem amoris curae sollicitum habent. — tenebris, sine praepositione, ut infra I, 6, 57. et II, 1, 76. ubi plures locos Wunderlichius notavit. Alios nonnullos praeterea hic Vossius affert. — Pentameter qui excidit hunc fere sensum habebat: Illa protegens pericula omnia procul arcet. Nam de periculis agitur viae nocturnae a v. 25-30., explicante poeta primum pentametrum distichi antecedentis. — V. 27 sq. Nec sinit occurrat quisquam, h. e. obviam fiat pugnandi causa. Wunderlichius laudat Ernest. ad Tacit. Hist. III, 16. Graeci dicunt ἄντεσθαι, συνάντεσθαι, ut Pind. Ol. II, 96., ἀντιάζειν et ἀντιᾶν ut Pyth. VIII, 10. Nem. I, 68. et Homer. saepe. — ferro vulneret. Qui vulneret, ait, aut deripiat, unde vides *ferro* ad oppositionis vim iuvandam additum esse, ut I, 4, 42: *arenti siti torrere* dictum cum opponatur imber, et I, 9, 49: *rapida flamma torreat* sequentibus verbis: *liquida deleat amnis aqua.* Sic Sophocl. Philoct. 593: ἢ λόγῳ πείσαντες ἄξειν ἢ πρὸς ἰσχύος κράτος. Similem causam habet locus Ai. 62: τοὺς ζῶντας αὖ δεσμοῖσι συνδήσας βοῶν. Adde dicta a nobis ad Pind. Ol. XI, 65. et Isthm. I, 24. Ceterum constat de nocturnis insidiis praedonum et pessimorum hominum in viis urbis, ut Horat. Sat. I, 2, 42. Pergamus. Iam enim vulnerationi opponit raptum. Est vero rapta praemia veste petat pr. lucrum petat raptu vestis, quam vendet.

Sic *praemia* hic pro pecunia dicta, ut recte Wunderlichius monet. Notante Nonio c. 2. nr. 629. praemiatores dicebantur praedones h. e. qui insidiis nocturnis lucrum quaerunt. Similiter Propert. III, 13, 46: *sive petas calamo praemia sive cane*, et Ovid. Remed. Amor. 208: *lenius est studium, studium tamen, alite capta aut lino aut calamis praemia parva sequi*, est venatione, aucupio, piscatione lucrum quaerere et mercedem. Potestque etiam ipsum animal, ipsa res rapta praemium dici, ut Horat. Epod. II, 36. Ovid. Met. VI, 518. Postremo ad totum distichon Heynius confert Albinovan. in Maecenat. obit. 29. 30: *Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem? Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?* — V. 29 sq. tutusque sacerque, h. e. cum sit tutus et sacer. Ceterum particulas *que* — *que*, *que* — *et* pluribus exemplis ostendit Wunderlichius, ut apud Graecos τε — καί, etiam similibus et parum diversis notionibus copulandis inservire, ut I, 9, 20. II, 3, 25. Addere debebat: fieri hoc in amplificatione; vide quae monui ad Pind. Ol. XIV, 5. p. 157. — non — decet, recte et nervose; cave cum Wunderlichio *nec* probes, quod languidum. Denique ad totum locum confer idem thema a Propertio tractatum, III, 16, 11 sqq. — V. 31 sq. Dixerat de insidiis et periculis; nunc pergit: *Etiam hiemis vis non nocet mihi, etiam hiemis vim facit Venus ut sine damno feram, quia non iners sum nec declino laborem et molestias.* Ne dubita enim nunc respici a poeta alteram partem distichi superioris v. 23: *quos nec inertia tardat.* — pigra, quibus rigent membra. Lucan. IV, 50. 652. — V. 33. labor hic, hae molestiae frigoris et imbrium. — laedit, noli *laedet* aut *laedat* commendare, quo frangeretur vis loci. Immo iam nunc experitur haec omnia, dum agitatus curis amoris per urbem errat, *nec nocent ei aut nocebunt* hae molestiae, si modo fores Deliae non semper clausae sint. Ceterum adde Wunderlichii Observatt. — V. 34. vocet ad sonitum, ut sequar sonitum digiti. — Atque haec quidem de his. Exsecutus est poeta sententiae disticho vv. 23. 24. propositae utramque partem. Transit nunc ad ultimum locum, quem hic tractabit. — V. 35 sqq. Sensus loci et nexus cum antecedentibus hic est, ut videtur: Quare etiam nomen meum ne quis prodat marito, qui in tam certa tutela sim Veneris. — Par-

cite luminibus, quare ne adspicite. Ad locutionem confer Ovid. Met. V, 248. Sic verbis, dextrae, ferro parcere dicitur pr. his non uti. — Porro seu fiat pr. *fias* recte videtur revocasse Lachmannus. Usus poeta est tertia persona in designatione subiecti, secunda in hortatione, quod quis iure reprehendat? Vel in certarum personarum allocutione hoc admisit laudatus ab Huschkio ad I, 6, 39. Homerus Il. XVII, 248: *ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, οἵτε παρ' Ἀτρείδῃς, Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ, δήμια πίνουσιν, καὶ σημαίνουσιν ἕκαστος λαοῖς.* Ubi autem incertae personae, minus etiam mira res, et satis nota, ut Hom. Il. XXIII, 285: *ἄλλοι δὲ στέλλεσθε κατὰ στρατόν, ὅστις Ἀχαιῶν ἵπποισίν τε πέποιθε καὶ ἅρμασι κολλητοῖσιν.* Et in lyrica oratione: Catull. III: *lugete, o Veneres cupidinesque et quantum est hominum venustiorum.* XXXI, 14: *ridete, quidquid est domi cachinnorum.* Ac ne has tantum formulas notas afferam, vide ipsum Tibullum I, 6, 39: *tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos.* — V. 37. Neu strepitu terrete pedum. Cum alii *ne* malint, defendit Huschkius *neu*. Nam non minus recte se excipiunt *neu* — *neu*, quam *ne* — *neu*, cf. Virg. Georg. II, 298. Aen. IX, 42. Sed non opus his nunc; Tibullus iunxit haud dubie: *Parcite* — *Neu terrete* etc. Nec turbate, ait, amantem, sed transite leni gressu, tacite, nec facem propius admoventes, ut conspectui hominum exponatur. — V. 39. occulat ille. Non sine vi est pronomen. Qui dicit: si quis adspexerit, occulat, de verbo propemodum solo cogitat; qui vero: si quis adspexerit, occulat ille, expressius huic ipsi personae, quaecunque est, imperat. Ceterum cf. I, 4, 68. — V. 41. sanguine natam. Constat Venerem abscissis Coeli genitalibus in mare proiectis natam, cf. Hesiod. Theog. 108 sqq. Sensus autem est: Sciat saevam Venerem. In quam rem conferunt Ovid. Met. I, 162: *scires e sanguine natos.* Mox vides substantivum Venerem ambobus membris commune suaviter in principio secundi positum, ut amat poesis. Sic infra I, 5, 36: *huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.* I, 6, 81: *hanc vident iuvenumque catervae commemorant.* I, 7, 49: *centum ludis Geniumque choreis concelebra.* Ceterum confer annotationem nostram ad I, 1, 51. — V. 42. e mari esse. Non necessarium est supplere *natam*, veluti dicitur recte: unde es?

Porro cave praepositionem cum Vossio deleas, qui iungit *mari natam*, ut *sanguine natam.* Sed prodiit Venus e mari, nata spuma genitalium Coeli, quod distinxit bene Tibullus. Quamquam igitur alias etiam *e sanguine* quis natus dicitur recte, hoc tamen loco non dixisset ita poeta, etiamsi per metrum licuisset, propter illud, quod indicavi, discrimen. — r a p i d o, recte. Lectio *rabido* nimiam ferociam infert. Neque vero otiosum est *rapido.* Est quidem solenne fluviorum et maris propter velocitatem undarum epitheton (*das reissende Meer*), ut infra IV, 1, 126. et saepe alias, sed in tali nexu, qualis hic, vides ipse rapacitatis, furoris, saevitiae notionem sponte accedere. Denique de tota sententia cf. ad III, 4, 85. Atque haec hactenus. — Perlegimus primam post introitum partem carminis, et postquam singula explicuimus, restat ut in fine *de toto* nonnulla addamus. Vidisti Tibullum cum audaciam Deliae addere velit, id agere per totum locum ut amantes in praesidio Veneris esse ostendat, quae artes furtivas doceat quibus fallere alios possint, quae pericula arceat nocturna et hiemis molestiae faciat ne noceant, quae denique proditores loquaces furtorum puniat. Hoc enim postremo dictum in iis inest quae inde a v. 35. legisti; etiam proditores Delia ne nimis timeat, qui marito nuntient poetae vias, ulciscitur Venus proditores. Sic igitur omnia bene eodem redeunt et subest una sententia universae parti, cuius tres loci nunc etiam observa quam suaviter nexi sint. Nam secundus locus (v. 25-32) primum adiuvat antecedentem, luculenta tutela Veneris, quam experitur non timidus neque iners poeta, probans et confirmans fortes adiuvari a Venere. Quemadmodum autem priori succurrit, ita ab altera parte hortationes pulchrae in tertio positae ex eo vim suam ducunt: quare in tali, inquit, deae tutela qui est, eum etiam proditorum caveat ne tangat loquacitas. Attendant ad talia, qui artem abesse a Tibullo opinantur.

V. 43-60. M e d i u m c a r m e n. A l t e r a p a r s r e r u m. U t m i n u s e t i a m p e r i c u l i s i t, p o e t a a s a g a d o c t a c a r m e n m a g i c u m s e d i c i t p o s t u l a s s e, q u o d t e r p r o n u n t i a t u m a D e l i a m e n t e m m a r i t i o b c a e c a t u r u m s i t, u t n o n c r e d a t h a e c f u r t a n e c v i d e a t.

De *magia* apud Graecos et Romanos vide Wachsmuthii dissertationem in Athenaeo ab ipso et Günthero edito. Vol. II.

fasc. II. p. 209 sqq. Ut in Graecia apud Thessalos sedes primaria magiae fuit, sic in Italia Marsi et Sabini dicuntur prae ceteris eam exercuisse, cf. Horat. Epod. V, 76. XVII, 28. Virgil. Aen. VII, 759. et saepe alias. cf. Heindorf. ad Horat. Satir. I, 9, p. 29; circa Augusti tamen tempora iam ex aliis etiam partibus imperii id genus hominum Romam confluebat. Quare domestica et peregrina in his rebus discerni non possunt et describunt Latini poetae has artes ut Graeci. Exstant vero, notante etiam Brouckhusio multi de iis loci, ut Virgil. Aen. IV, 487. Eclog. VIII, ibiq. Voss. Horat. Epod. V. et XVII. ibiq. interprett. Tibull. infra I, 8, 19. Propert. I, 1, 19. IV. 5, 9 sqq. Ovid. Met. VII, 179. XIV, 43 sqq. Heroid. VI, 83 sqq. Fast. V, 429. Idem Amorr. I, 8. et Fast. II, 571 sqq. sagam vetulam describit. Vide porro Martial. IX, 30. Lucan. VI, 431. Senec. Med. 675. Hercul. Oet. 454. Valer. Flacc. VI, 439. Sil. It. VIII, 496. Claudian. in Rufin. I, 146. Adi etiam Theocrit. carm. II. Sed ad Tibullum ut redeam, quod Vossius haec et alia simulata mente ab eo in Deliae gratiam scripta censet, in eo haud dubie fallitur; nam ut recte monet Wunderlichius, detraxeris sic temere veritatem sensuum et huic et aliis multis locis, ubi pium, superstitiosum, religiosum animum poeta prodit. Non negamus quidem placere sibi in his rebus tractandis poetas, cum etiam ornatum afferant carminibus et teneant animos miratione portentorum iniecta; sed inanis omnis ornatus, qui non veritate simul nititur sensuum, quo nomine Tibulli quidem poesis prae ceteris est conspicua. Veniamus ad singula. — V. 44. Verba: Pollicita est magico ministerio, Wunderlichius explicat pr. praedixit, spopondit, fatis magica arte exploratis, veluti ap. Tacit. Hist. I, 22. sit: *dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum affirmant.* Non probo. Ministerium magicum est opera magica, quam carmen faciens praestitit, ut v. 55. docet. Quare sensus: Ut saga promisit mihi carmine magico in usum meum composito, quo ea res efficiatur. Sed hic indefinitius primum loquitur, infra clarius, ut toties scriptores; sic enim exspectatio excitatur. — V. 45. ducentem sidera. Fuit in Graecia Thessalicarum maxime feminarum artificium sidera aut lunam de coelo ducendi. Horat. Epod. V, 45: *Quae sidera excantata voce Thessala lunamque coelo de-*

ripit. Imprimis saepe de luna dicitur, quod Graece κατάγειν, καθέλκειν, κατασπᾶν, καθαιρεῖν τὴν σελήνην est, Latine trahere, detrahere, devocare, deripere, deducere coelo aut e curru lunam, cf. LAMBIN. ad Horat. l. cit. ARISTOPH. Nub. 746. ibique interprett. SUID. s. v. ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθέλκεις. Add. Voss. ad Virg. Eclog. VIII, 69. vid. Tibull. I, 8, 21. PROPERT. I, 1, 21. HEINS. ad Ovid. Heroid. VI, 88. — ducentem scil. carmine, sed hoc melius in pentametrum reiecit, ut saepe moneo, ne decrescat vigor orationis, in secundis, tertiis membris addi quod novam vim afferat. Nunc cf. OVID. Amorr. I, 8, 18. — ducentem vidi. Quidni enim viderit caducas stellas, ἀστέρας, quas saga deducere se dicebat? Cetera vero, quae sequuntur, non vidit, sed credit narranti sagae. — V. 46. Fluminis vertit iter, h. e. facit ut versus caput revertatur flumen. Probamus enim lectionem *fluminis*, ut saepe flumina in hac re memorantur. OVID. Amorr. I, 8, 6: *Illa magas artes Aeaeaque carmina novit inque caput rapidas arte recurvat aquas.* Add. LUCAN. VI, 473. CLAUDIAN. in Rufin. I, 159. PETRON. Satir. c. 134. Ad orationem vero bene confertur OVID. Epp. ex Ponto IV, 6, 45: *Ister in caput Euxino de mare vertet iter.* Denique sidera et flumina etiam PROPERTIUS I, 1, 23. in eadem re coniungit: *tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes posse Cytaeaeis ducere carminibus.* Ibi *ducere* generaliter est dictum pr. ad arbitrium suum ducere quo quis velit, ac sidera de coelo deducuntur aut retro vertuntur (VIRG. Aen. IV, 489), flumina ad caput revocantur, ut vidimus. Quamquam quod obiter moneo, aliis locis etiam *sistuntur* magica arte, ut APOLL. RHOD. III, 552. de Medea: καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας, ἄστρα τε καὶ μήνης ἱεροὺς ἐπέδησε κελεύθους (ubi obiter etiam flumina et sidera coniuncta observa), et OVID. Met. VII, 154. et Heroid. VI, 87.: *illa refrenat aquas obliquaque flumina sistit*, ubi ne *fulmina* reponas ex aliquot libris, est in toto disticho nonnisi de terrestribus rebus sermo. Atque etiam hoc loco in uno est *sistit*, quod tamen frustra reponendum credas propter adiectivum rapidi. Convenit enim etiam verbum *vertit* rapido, rapide procurrenti fluvio, qui non videatur reduci et retrahi posse, ac dixit idem OVIDIUS Amorr. I, 8, 7. loco modo laudato. Nam illud quidem ne dubita, adiectivum vim habere in hac

sententia; otiosa epitheta absunt a Tibullo. Atque haec hactenus. Altera lectio *fulminis* probatur Brouckhusio, Vossio, Wunderlichio, qui etiam *sistit* receperunt, cum magica arte fulmina quoque, non verti quidem, at sisti dicantur, cf. Claudian. in Rufin. I, 159. Senec. Herc. Oet. 469. Possit aliquis imprimis ita defendere has lectiones, si in toto disticho de coelestibus rebus agi dicat ut in proximo de infernis, comparetque sequentia duo disticha, ubi eadem manifesto oppositio. Ac profecto non casu irrepsit pulchra haec concinnitas, nec potuit non legem in enumeratione sequi poeta, sed etiam ex altera ratione concinna est rerum compositio. Opponit, aio, ut peritiam sagae luculenter illustret, omnino supera et inferna loca; atque in priori pari distichorum sidera et flumina pro exemplis laudans opponit Orco, in altero coelum maxime, et vides sic explicata re iam nihil offensionis adesse. Postremo illud quoque sentis, etiam cum collocatione verborum bene convenire hanc quam defendimus lectionem. Accurate sibi opposita sunt haec: De coelo ducere sidera, humi vero flumina vertere. Atque haec quidem de his. Iam toti primo disticho opponitur sequens, ad quod nunc accedimus. — V. 47. 48. Cum non unum alterumve membrum, sed omnia coniunctim seu totum distichon opponere velit antecedenti disticho, pulchre mihi praemittere videtur cantu, quo artificio quae sequuntur (que — que — et) tanquam partes colliguntur in unam maiorem sententiam. — finditque solum manesque sepulcris elicit. Sic Ovid. Amorr. I, 8, 17: *Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris et solidam longo carmine findit humum.* Add. Virg. Eclog. VIII, 98. Lucian. Philopseud. c. 13: *νεκροὺς ἑώλους ἀνακαλῶν.* Res saepe memorata, quam *ψυχαγωγίαν* Graeci dicunt. — et tepido devocat ossa rogo. Ut animas e sepulcris excitat, sic alio tempore, ait, vix cremati corporis ossa e rogo descendere iubet vitae reddita. Legitimae sunt oppositiones rerum et verborum in his distichis et ubique notandae; atque etiam hoc loco sic conformata sententia est et oratio. Quare cum copulae que — que prioris essent partes sententiae, in altera diversa *et* dixit, non *que*. Sed ad rem confer Horat. Epod. XVII, 79: *possim crematos excitare mortuos*, et quem Heynius confert Stat. Theb. IV, 507: *Attollere bustis corpora* et *plenas antiquis ossibus urnas egerere*, ubi

eadem rerum compositio. Falluntur autem qui de collectis et dereptis rogo ossibus ad officinam magicam instruendam Tibullum intelligunt, quae res aliis locis lecta, ut ap. LUCAN. VI, 533., ab hoc loco aliena est, nec cum evocatione animarum componi recte potest et coniungi ad unam sententiam. — V. 49 sq. Sequitur alterum par distichorum, et nunc quidem inverso ordine usus primum infernas catervas, deinde tempestates coeli exhibet sagae obedientes. (Quasi Germanice dicas: *ihr gehorcht Ober- und Unterwelt, Unter- und Oberwelt.*) Quod autem duo paria distichorum posuit et bis depinxit sagae per supera et inferna loca potentiam, recte et ornate fecit, ne nimis nude diceret, si semel. Sic PINDARUS Pyth. I. oppositarum in Hierone virtutum coniunctionem bis declarat. — tenet infernas catervas, h. e. animas evocatas; neque enim licet cum H. VOSSIO repente deos infernos intelligere, Tisiphonen, Hecaten cum serpentibus canibusque, quas v. c. ap. HORAT. Sat. I, 8, 37 sqq. vides. De his a Tibullo mox dicetur, nunc infernae catervae necessario ex antecedenti disticho explicandae. Ac ne male te habeat quod bis de manibus dicit Tibullus, dicit bis alio modo, primum ut evocet eas saga, deinde ut pro arbitrio teneat aut remittat. Cum enim animae, invitae quae surrexerant, quam primum redire cuperent in quietas sedes, non possent vero quamdiu nollet saga, luculenter etiam sic laudatur vis huius feminae, ut monet etiam BROUCKHUSIUS. Divisit autem haec ita Tibullus, quia etiam de superis rebus bis dicere volebat et duo paria distichorum ponere sibi respondentia, quemadmodum supra monui. Unde qui locus continuat priorem de evocatione animarum, simul tamen distinguitur ab eo et opponitur sequenti. Ceterum ad tenet cf. PLIN. XXXVII, 73. laudatum a BROUCKHUSIO: *Synochitide* (dicunt) *umbras inferorum evocatas teneri.* — Porro magico stridore est murmure, ut SIL. ITAL. VIII, 502. Nam murmur notus in magicis, cf. v. c. OVID. Met. VII, 251. Alia vox magica est ululatus, quod obiter annoto, magis tributus, cf. OVID. Met. VII, 190. XIV, 405. HOR. Sat. I, 8, 25. Hoc loco tenet saga catervas colloquens et responsa quaerens, cf. HORAT. Sat. I, 8, 29. Ceterum ex verbis barbaris et peregrinis, dissonis, ineffabilibus constabant magica carmina, cf. LUCIAN. Dial. meretr. IV: *ἐπῳδήν τινα λέγουσα ἐπιτρόχῳ τῇ γλώσσῃ, βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα.*

Lucan. VI, 686: *confundit murmura primum dissona et humanae multum discordia linguae,* et Schol. Cruq. ad Horat. Epod. V, 76. Utebantur talibus etiam ad solvendas incantationes, cf. Plin. N. Hist. XXVIII, 2. Cato de Re Rust. c. 160. (daries, dardaries, astataries, ista, pista, sista). Quo pertinent etiam Ἐφέσια γράμματα Hesych. s. v. — aspersas lacte. Perexigua huius ritus memoria. Contulit Joann. Livinejus Stat. Theb. IV, 545: *Argolicas magis huc appelle precando Thebanasque animas; alias avertere gressus lacte quater sparsas, moestoque excedere luco, nata, iube.* Atque haec quidem de his. — V. 51. 52. Confer Ovid. Amorr. I, 8, 9: *cum voluit toto glomerantur nubila coelo, cum voluit puro fulget in orbe dies.* Add. Met. VII, 200. et Lucan. VI, 465 sqq. — orbe h. e. coelo, bene notante Wunderlichio, qui praeter Ovidii locum in Amorr. etiam Horat. III, 3, 7. laudat. Ceterum magnum prodigium erant nives aestate cadentes, cf. Pindar. Fragm. Hyporchem. IV, 8. et laudatus Wunderlichio Jacobs. Anthol. Gr. T. I. P. II. p. 168. Facit autem etiam hoc saga carmine suo, ut alii iactarunt praestigiatores, vid. Weichert. Epist. crit. de Valer. Flacci Argon. p. 19. Diodor. Sic. V, 55. laudante Wunderlichio et Huschkio. Iniuria igitur negat rem Vossius et lectionem mutat. — V. 53. 54. Praemonenda hic nonnulla sunt, ut compositionem rerum melius perspicias quam ab aliis factum est. Cum Tibullus a saga carmen accepisset, quod Deliae commendare vult, hoc egit in antecedentibus et agere debuit, ut quantam vim huius sagae *carmina* haberent ostenderet. Quamquam igitur etiam aliis rebus plurimis praeter cantum utebantur hae feminae, v. c. turbine, Tibullus tamen de cantu tantum dixit, quo supera et ima regeret saga, curavitque ut per totum locum de hoc dici ne obliviscaris, unde ista: *carmine, cantu, magico stridore, iubet, convocat.* Quod nunc vides quam prudenter factum sit. Sed cum tamen etiam alia multa esse constaret in officina sagarum, necessario in fine loci verbum de his addendum fuit, ut etiam cetero apparatu pateret hanc anum optime esse instructam et omnino ab omni parte in arte sua perfectam. Atque haec est ultimi distichi causa, ad quod accedimus. Quibus expositis in posterum nemo dubitabit optime totum locum compositum esse, et singula omnia scite ordinata, quod etiam propter Wunder-

Lichium moneo. -- Sola tenere Medeae herbas. De Medea *πολυφαρμάκῳ* aliisque in Graecia antiqua feminis similibus nuper optime disputavit Welckerus in Diario scholastico Darmstadiensi (*Allgemeine Schulzeitung*) ann. 1831. P. II. nr. 127. p. 1010 sqq. Ferebantur autem Pontus, Colchis, Iberia herbarum et venenorum feracissimae mirabilium, quae *φάρμακα* Graeci dicunt, cf. Horat. Epod. V, 21, 62. Virg. Eclog. VIII, 95. ibique Voss. Ovid. Remed. Amor. 261., et iactabant fere magi inde se habere officinam suam. Similiter haec saga genuina Medeae venena e Colchide possidebat. Nam *tenere* non est novisse, ut quibusdam visum, sed proprie necessario accipiendum. Ceterum aliena est, ut nunc vides, altera lectio *artes* pr. *herbas*. Nam artes Medeae nihil sunt nisi magicae omnino, quales iam vidimus multas; quare ex hac ratione statuendum esset poetam antecedentia cum vi repetere sic: Est, aio, peritissima horum omnium, est altera Medea. Sed primum vides superfluum tale epiphonema esse, deinde pentameter non convenit, qui non continet similem talem omnia complectentem sententiam. — Hecatae canes. Vocabant sagae etiam deos inferos ut responsa darent, imprimisque Hecaten, principem in magica re deam, quae comitantibus canibus infernis prodibat. Vid. Horat. Satir. I, 8, 38. ibiq. Lambin. et Heindorf. Adde Apollon. Rhod. III, 1217. ubi *χθόνιοι κύνες*, cf. Brunck. Atque harum canum rabiem placabant placentis mellitis, *μελιτούτταις*. Sic etiam teste Suida s. v.: *ἐδίδοτο μελιτοῦττα τοῖς νεκροῖς ὡς εἰς τὸν Κέρβερον*, similiterque ap. Virg. Aen. VI, 419. Cerberus domatur, *cui vates melle soporiferam et medicatis frugibus offam obiicit*, coll. Heyn. Etiam in Trophonii antrum qui descendebant, *μελιτούττας* secum ferebant ad serpentes obvios demulcendos, cf. Aristoph. Nub. 507. ibiq. interprett. Iam vides verum distichi sensum: praeter carmina etiam herbas, ait, femina habet et placentas magicas efficacissimas, haec pro exemplis laudans, unde de tota officina sagae iudicari possit. Atque ita patefactum est, non temere hic de canibus infernis dici, licet supra iam alio loco de animis infernis dixerit. Ceterum de latina terminatione *Hecatae* vid. Huschkium ad h. l. Est hoc genus frequentissimum atque etiam elegiae maxime conveniens. — V. 55 sqq. fallere saepe absolute poni notavit Wunderlichius pluribus allatis exemplis. sic infra I, 8, 56.

Adde Jacobum ad Lucilii Aetnam pag. 162. — ter cane, ter despue. Observa numerum ternarium in magia, ut omnino in sacris, religiosis rebus legitimum, cum impar numerus potentior esset et ternarius quidem maxime perfectus; Plin. XXVIII, 2. et Voss. ad Virg. Eclog. VIII, p. 426. Schmidt. ad Horat. Epist. I, 1, 37. Exempla alia vid. Virgil. Cir. 370 sqq. Ovid. Met. VII, 190. Petron. c. 131. Iisdem duobus ultimis locis habes etiam despuendi in sinum morem, add. infra v. 98. Faciebant ad mala averruncanda. Vide praeter Plin. XXVIII, 4. quae Wüstemannus ad Theocrit. VI, 39. laudat et Brouckhusius ad hunc Tibulli locum. Etiam ubi quid arrogantius dictum esset aut nimis magnifice praedicatum, Adrasteae iram sic avertere studebant, cf. Lucian. pr. Merced. Cond. c. 6. ibiq. Solan. et Navig. c. 15. Ad Tibullum ut redeam, hoc loco ea de causa praecipi rem vides, ne quid forte occurrens turbet incantationem et frangat. — V. 58. molli, etiam hic non otiosum. Licet, ait, eo in loco viderit, qui maxime invitat ad amplexum. Ceterum cf. Propert. IV, 5, 15. de lena: *possit et intentos astu caecare maritos.* — V. 60. sentiet ille nihil. Sic legendum pr. *ipse*, quod pravum. Observabis pronomen, in prosa oratione non necessarium, in poesi sic scite addi solitum, ut novus vigor secundo membro accedat, cf. I, 4, 52. 72. 5, 18. 8, 48. 10, 60. Vide praeterea ad 1, 37. supra.

V. 61-88. Medium carmen. Tertia pars rerum. Dicit enim nunc de amoris sui constantia et magnitudine.

V. 61. Quid credam? Egregio transitu utitur. Est formula nuntiantis mirabilem rem, de qua nescias quid statuas, fierine potuerit necne. Vulgare erat: *Quin etiam*, et *quid quod.* Exquisitiora et magis poetica haec: *Mira loquor*, *Vera loquor?*, *Fallor?* similia, suis quaeque locis eligenda. — nempe. Fallitur Heindorfius ad Horat. Sat. I, 10, 9. contendens ubique hanc particulam esse cum interrogatione quadam affirmantis, ut nostrum: *doch wohl!* ubi ipse creda set alterum quoque concessurum censeas. Sed hoc vides alienum esse a proposito loco. Immo res haec est: Refertur *nempe* ubique ad antecedens quid sive expressum sive cogitatione supplendum, ut cum ap. Persium Sat. III. et alias initio ponitur, et est fere explicantis, confirmantis aut concludentis,

affirmantis, sed habet simul ἦθος ubique, nec sine quodam animi sensu dici videtur unquam. Sic nunc in re mira ponitur, alias acerbitatem habet et ironiam aut hilaritatem, dolorem, excusationem, audaciam (Ovid. Met. VII, 53. 66.) et quae sunt alia. — cantibus, adhibito puta simul turbine magico, cf. Horat. Epod. XVII, 6. 7. — herbis, potione parata. His igitur rebus opem promiserat, et inceperat iam rem. — V. 63. solvere, proprium in hac re, cf. Brouckhus. ad h. l. et interprett. ad Propert. I, 4, 15. — et me lustravit taedis, atque etiam lustravit me. Aliter Wunderlichius: et vere lustravit, h. e. et vere aggressa est rem lustratione. Censet igitur carmina et herbas postea demum adhibendas fuisse, initium autem incantationis esse lustratione factum. Vix recte. Ceterum verba: *lustravit taedis* h. e. facibus ex taeda admixto sulphure et bitumine, explicat Claudianus Panegyr. Honor. v. 324: *lustralem sic rite facem, cui lumen odorum sulphure caeruleo nigroque bitumine fumat, circum membra rotat doctus purganda sacerdos.* Vide plura ap. Brouckh. ad h. l. et Scalig. ad Aetn. 350. Adhibuerat autem lustrationem saga, ut purgaret malum poetae animo inhaerens. — nocte serena, h. e. lucente luna. Lucian. Philopseud. c. 14: *αὐξομένην τηρήσας τὴν σελήνην, τότε γὰρ ὡς ἐπιτοπολὺ τὰ τοιαῦτα τελεσιουργεῖται.* Vide plura ap. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 8, 21. et Brouckhus. ad Propert. II, 1, 73. — hostia pulla, nigra ovis, Horat. Sat. I, 8, 27. Virg. Aen. V, 736. Senec. Oed. 556. Euseb. Praep. Evang. IV, 4. Quae laudant interpretes. — Concidit ad deos, ad aram deorum. Ovid. Heroid. I, 26: *ponitur ad patrios barbara praeda deos.* Add. ibid. XII, 128. — V. 66. magicos, inferos, quos in magicis rebus invocabant. Non parva copia, si fides Virgilio Aen. IV, 510. Magici dicuntur etiam Lucan. VI, 577. — Haec igitur omnia iam fecerat saga, et continuasset rem et repetiisset istos ritus et artes, nisi obstitisset Tibullus ne pergeret. — V. 65. 66. Sed recusabam solvi. Ad verba: carere posse velim cf. Ovid. Art. II, 454: *Quo sine non possit vivere, posse velit.* — Post haec vides quid dicat Tibullus: Cruciatus doloribus maximi amoris obtemperaverat paullisper sagae opem promittenti, sed relicta mox res est incepta, cum non sustineret solvi. Qua narratione quid aliud probare vult

quam constantiam amoris sui? Atque ita vulgo intellexerunt interpretes. Video tamen Vossium minas potius inferre, relicturum poetam Deliam nisi morem gerat; posse enim alio tempore perfici rem a saga tum inceptam. Sed nec cum reliqua ratione carminis bene conveniunt minae, in quo non accusatur perfidia Deliae, nec verba ut sunt hunc sensum habent; Tibullus clare dicit se nolle omnino carere posse Delia, quibus credere debemus. Ac manifesto errat Vossius explicans: nec velim te meo amore carere posse, quod plane non dicitur. Perspecta igitur vera mente poetae, nunc etiam illud praeterea senties, nullo modo hic finem esse carminis. Neque enim qui modo orsus est de amore dicere, statim desinere debet et tam breviter defungi gravissima re, ut vidit etiam Wunderlichius, nec qui ad exitus carminum attenderunt, distichon quod legimus ultimum pro legitimo poetico fine elegiae habebunt. Quae res tam aperta est, ut mirer unquam aliter visum. — V. 67. Ferreus ille fuit sqq. Constantiam, fidem, magnitudinem amoris sui poeta nunc uberius illustrat, amatori cuidam Deliae, qui eam nuper deseruerat in bellum profectus, sese opponens suosque sensus. Postquam igitur dixit ut vidimus: restiti exstinctioni amoris a saga promissae, nec velim te carere posse, commode pergit: „nam qui nuper te reliquit gloriae et praedae militaris causa, ferreus fuit nec tactus sensu vero amoris; ego autem tam firmo amore te amo, ut vel paupertatem laetus toleraturus sim, si modo tecum vivere liceat.“ Quare nullus hic hiatus deprehenditur. Nec ubi res tam bene cohaerent, particulas transitus arctius copulantes desiderabis, quibus fracta esset vis orationis. Desinamus igitur divellere quae unius carminis sunt; novum carmen quod fingitur nullum est, nec postulat talem sententiam vel principium, de quo disputavimus, vel cetera quae sequentur. Post haec ut ad singulorum interpretationem veniamus, primum de homine dicendum est qui hic significatur. Maximopere erravit Vossius Tibullum de se loqui putans, qui ferreum se dicat, quod reliquerit Deliam in bellum profectus; esse enim haec scripta cum debellatis Aquitanis in Orientem navigaret cum Messala. Quod reiecerunt iam Wunderlichius et Huschkius. Qui dicit: *ferreus ille fuit — ipse possim* etc., tam distincte loquitur, quam fieri omnino potest, nec tempora diversa unius personae, sed personas duas diversas sibi

opponit. Vossius non attendit ad pronomen *ipse* in principio secundi loci, ut circumscriptio eius ostendit. Sane recte aliquis de se loqui potest ita: Ferreus fuit hic, qui te deseruit. Utinam in posterum nunquam te caream. Confer modo infra II, 6, 7-9. Nunc autem oppositio pronominum *ille* — *ipse* habetur. Quare quod Vossius ad mulierum iudicium provocat, hermeneutices regulas ego viris doctis melius cognitas puto. Non magis vera alia opinio Heynio maxime probata, generaliter loqui poetam, ferreum esse qui Deliam deserere velit possitve, nec de certo homine quodam agi. Cum enim verba poetae sint: *ferreus ille fuit*, vides ipse de facta re loqui eum, ne moneam temere minui praeclaram vim loci, pro vera re substituta ficta. Igitur certus homo fuit. Hunc vero ego nuperum amatorem fuisse credo, neque equitem, sed ducem, de quo mox dicam. — V. 68. maluerit. Perperam Huschkius ex uno libro *maluerat* probat, quod postulari opinatur imperfecto *posset.* In quo fallitur. Tu illud potius notabis pro abstracto genere dicendi: ferreus fuit, qui cum potuerit, maluerit, pulchre *posset* praelatum, ut narrationis vigorem haberet oratio. Similis iunctura infra IV, 1, 50: *Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem Saecula fertilibus Titan decurreret horis*, ubi similiter *decurrerit* mavult Huschkius, praeeunte Wunderlichio, male. Paullo post ibidem v. 65. eadem constructio redit: *Quis nunquam candente dies apparuit ortu, seu supra terras Phoebus seu curreret infra.* — V. 69. agat ante, Virg. Georg. III, 552. cf. Santenium in Biblioth. crit. III, p. 68. De historica re ut dicam, cum hoc carmen ante reditum Messalae scriptum sit, qui cum apud Orientem versaretur, etiam in Cilicia bellum gessit, cf. I, 7, 16., ad hoc referendus videtur locus. Allatum est bellicosum maxime et domitu difficilem fuisse hunc populum, ut etiam sine respectu ad Messalae expeditionem pro exemplo commemorari potuerit. Mihi maxime displicet ea ratio, quae pro veris ficta ubique substituere tentat, quo nihil magis nativam vim huius poeseos dissolvit. De vero bello loqui poetam ne dubita; nam pro exemplo etiam melius alii bellicosi populi nominari poterant, ut Parthi, Cilices ut nominaret quo iure negabimus propter bellum factum esse, quod scimus istis temporibus cum iis gestum? Porro existimo de duce loqui poetam; quomodo enim haec verba: *agat ante cater-*

vas, ponat castra in capto solo, de alio milite accipi possint non intelligo. Gloriosi milites, quos Huschkius comparat, alieni sunt; alius vero miles si hostes victos ante se agere dici potest, at catervas vix aget, nisi Homericam aciem ponas et heroicam virtutem, atque ut etiam hoc largiar, certe castra ponere in capto solo vides ducis esse. Legatum quidem Messalae locus non postulat, sed tamen praefectum cohortis quid obstat quo minus intelligamus? — V. 71. totus et argento contextus, totus et auro. Heynius oneratum praeda, equo veste aurea ex praeda instrato, aureis insignibus, armis, ornamentis tectum equitem intelligit. Tibulli verba indutum veste ex auro et argento contexta cum significent, Vossius Attalicas vestes recordatur. Attalus aurum vestibus intexendi artem invenisse dicitur, Plin. VIII, 48. et memorantur imprimis aulaea Attalica, Propert. II, 23, 46. III, 16, 19. Sil. XIV, 659. Cum vero Attalicae vestes proprie haec aulaea sint, tu ita potius dices: intelligi nunc sagum viri auro argentoque plurimo intexto ornatum. Ceterum conferri potest Horat. IV, 9, 14: *aurum vestibus illitum,* et Eurip. Orest. 837: *χρυσεοπήνητα φάρεα.* Romani duces in Oriente etiam luxum orientalem imitabantur. Denique contextus est de homine pr. veste, ut solent praedicata vestium et armorum ad ipsam personam transferri Graece et Latine, quoniam adspectus ea a persona non disiungit. Sic *χάλκεος Ἄρης* toties. Sic *praetextus senatus* Propert. IV, 1, 11., *aureus* apud Ovid. Heroid. XII, 152. *Caelatus parmam* Sil. It. I, 407. Alia exempla vide ap. Huschkium. — insideat celeri conspiciendus equo. Haec plerique de triumpho intelligunt, ubi praedam ostentet iste homo, dissentiente tamen Heynio. Mihi nec adiectivum *celeri* bene triumpho convenire videtur, otiosum enim epitheton in his carminibus non admitto, nec quem virum antecedens distichon in Cilicia exhibuit bellantem, repente Romam transferam, poeta de mutatione loci tacente. Immo cum dicere vellet: ille licet gloriam militarem habeat maximam et opes, ita hoc expressit: Ille licet victor castra ponat in capto Cilicum solo et orientali luxu ibi degat, picto in sago (*in Gold- und Silberstoffen des Morgenlandes*) conspiciendus in equo apud copias suas. Atque haec quidem hactenus. Fuit autem hic homo fortasse nuperus amator dives elegiae quintae,

qui non diu ante ad illud bellum abiisse videtur. Verum dicas, quo iure Tibullus, qui ipse etiam arma secutus erat, nunc hunc accusat. Credo quod ipse abierat in tempus haud longum, cedens amicitiae Messalae, hic homo autem in perpetuum reliquerat Deliam cum in bellum iret. — V. 73. ipse boves possim iungere. Vides pulchre celeri equo opponi boves tardos. Mox lectio quidem *si* est, quam propterea restituit Lachmannus, sed sententia minime placet: Ille licet gloriam et divitias colligat, ipse si modo boves cum Delia iungere possim. Quasi tanquam summam felicitatem optet et cupiat boves cum puella iungere! Immo hoc ait: Ipse ita te amo, ut si necesse sit, boves iungere possim et pecus pascere, dummodo *sim* tecum. Quare nec Wunderlichii probo sententiam interpretantis: si tecum modo id faciam. Nam vide, boves iungere Deliam una secum et huius laboris partem ferre, hoc noluit unquam, et longe alia sunt ea negotia, quae in quinta elegia recensentur. Quare etiam *sit tecum* legi nequit. Dicas denique non bene collocatum esse *sim* ante *tecum*, ac Vossius mutavit adeo ordinem verborum, *tecum modo sim* scribens, sed profligari posse videtur haec obiectio. Nam cum iste amator reliquisset Deliam quam posset habere, ipse, ait, boves iungere possim, si modo habeam te et fruar usu, quo iam diu aegre careo (*wenn ich nur wirklich dich haben kann*). Sic recte habet collocatio. — in solo, h. e. solitario, Virg. Aen. XI, 571. Propert. II, 19, 7. cf. Brouckh. h. l. et Drakenb. et Rupert. ad Sil. It. III, 429. Est etiam in prosa oratione interdum, ut Corn. Nep. Eumen. VIII, 6. Degebant soli in montibus pastores cum grege suo, ut constat, separati alter ab altero. Lectio: *in solito* aliena est ab hoc loco; neque enim peregrino solo patrium opponit ut I, 1, 46. aut Virg. Aen. IX, 214, sed divitiis paupertatem, et luci, in qua amator iste, solitudinem pastoritiam. Quae per totum locum tenenda oppositio est. — et te. Nunc accentum rhetoricum in pronomine posuit suaviter, quia inculta humus opponitur. At secundum accentum necessario *liceat* habet, male ab aliis post *teneris* positum. — teneris, cf. ad I, 1, 46. Confertur ceterum Anacreon XXXIX, 18: ἀγκάλαις κούρην κατέχειν. — inculta, Propert. I, 18, 28: *et datur inculto tramite dura quies.* Wunderlichius confert ἄστρωτον πέδον Eurip. Herc. fur. 52. — Po-

stremo erraveris, si ex his distichis concludas, Deliam tum nondum nuptam fuisse, ut Vossius fecisse videtur cum aliis, haec ante reditum Tibulli e bello scripta censens. Qua mala coniectura non opus. Tantus est Tibulli amor, ut si vel nunc relinquere maritum et cum ipso vivere Delia velit, quidvis toleraturus sit pro hac felicitate. Quod ita dicit ad magnitudinem amoris declarandam, non quasi credat ita futurum. Sed laetabitur, si modo illud impetraverit his precibus, ut subinde fores aperiat Delia iterum et recipiat amantem. Est igitur verus sensus: utinam essem — possem. Quod vero nervosius directa significatione voti per praesentia tempora usus est, non hypothetica per imperfecta, de eo vide quae exposui in fine Dissertationis de Elocutione Tibulli. Adde Ovid. Met. XIV, 192 sqq.: *O si quis referat mihi — quam sit*, pr. si quis referret — quam esset. — V. 77 sqq. Quid divitiae prosunt sine amoris fructu? Suaviter vero Tyriam purpuram memorat, cum modo de orientalibus rebus sermo fuerit. — fletu, sine praepositione, ut Virg. Aen. III, 664: *dentibus infrendens gemitu* dixit, et Graeci *στοναχῇ*, *στοναχαῖς*, *οἰμωγῇ*, *μυγμῷ* dicunt, cf. nos ad Pind. Nem. X, 75. — venit significantius ponunt pr. *est*, ut de personis ita de rebus iucundis et iniucundis, bonis et malis, v. c. Propert. I, 18, 14: *non ita saeva tamen venerit ira mea.* Add. locos ap. Heins. ad Ovid. Fast. V, 648. Mitscherl. ad Horat. I, 19, fin. Conferas etiam Graecum *ἥκει φέρων*, Valcken. ad Phoeniss. 260. et Stallbaum. ad Plat. Sympos. p. 68. — stragula picta (*kostbare Decken mit Stickerei*). Cic. Tusc. V, 21: *Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo magnificis operibus picto.* Add. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 3, 118. — sonitus placidae aquae. Intelligit silanos, quos divites Romani in aedibus habebant. Laudant Celsum III, 18: *Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta cadens*, et Senec. Epist. 100. Quaest. N. III, 17. — ducere, h. e. adducere, Horat. Epod. XIV, 3. Ovid. Met. II, 735. et al. Omnino poetarum est simplicibus uti pro compositis ubi lingua fert, et eorum qui poeticam orationem imitantur ut Tacitus. Vide quae Frid. Günther collegit in Athenaeo ab ipso et Wachsmuthio edito, Vol. II. fasc. II. p. 266 sqq. Apud Tibullum sic est *mittere* pr. dimittere I, 3, 9., *solator* ibid. v. 15., *missus* pr. emis-

sus I, 4, 32., *fundere* pr. perfundere I, 7, 50., *pressas* II, 1, 45. pr. expressos, *misceat* II, 4, 60. pr. admisceat, *sedet* pr. assidet IV, 4, 20. Adde *presso* pr. impresso IV, 1, 161. — V. 81. Num Veneris magnae sqq. Dixerat in Deliae amore se, si necesse sit, vel paupertatem tolerare posse; nunc etiam expiatoriis ritibus durissimis omnibus subeundis se paratum dicit, si forte dii peccato aliquo irati adversentur sibi. Vides nexum certum et clarum et nullo modo lacunam statuendam, ut quibusdam visum; est hic gradatio pulcherrima, poeta, in quo est magno animi motu, nunc longius procedente atque etiam humillimas supplicationes deorum, si opus sit, offerente, ut iam nihil esse appareat, quod pro hoc amore ferre recuset. At transitum desideras. Particulas copulantes etiam v. 67. non vidisti, estque hic pulcherrimus huius elegiae affectus, ut talia contemnat poeta. Cogitationis autem cursus non obscurus. Post ea quae dixit ante, cum nihilominus clausae maneant fores, repente num iram, ait, deorum incurri, ut irritae voces meae sint? Atque ita viam sibi paravit etiam luculentiore modo amorem suum probandi. Nam hunc quidem ne dubita finem esse quo tendat, cum totus locus necessario cum universo consilio carminis conspirare eoque niti debeat. Quo non satis attendunt quidam. Non enim illud tantum in explicationibus huiusmodi quaerendum, quomodo scriptor cogitatione ab antecedentibus ad sequentia venire potuerit, quamquam plerumque interpretes hac quaestione acquiescere video, sed etiam quo interiore nexu locus quisque cum summa carminis cohaereat. Transitus per se tenue fulcrum est ad totum aliquem locum sustentandum; ille autem interior nexus ubi adest, etiam abruptior potest esse transitus, ut in affectu fit et sublimiore poesi Pindari. Sed haec hactenus. — verbo, quod imprudenti mihi exciderit. Recte monet Wunderlichius non intelligendas blasphemias h. l., quales infra III, 5, 13. 14. — poenas lingua luit, cum inutiles voces sint quas fundit, nec aperiantur fores Deliae; quod a deorum ira repetit. Iterum vides παρακλαυσίθυρον esse carmen. — num feror adiisse etc. Loquitur per totum locum de talibus delictis, quae imprudens aut inscius admiserit. Factum autem interdum videtur, ut iuvenes vino ebrii noctu templa deorum intrarent sertaque de aris raperent, quae sibi imponerent aut ad ianuas puellarum ferrent. Iam dicit:

Num fortasse etiam de me fama talis est? Ipse enim non memini. Quodsi vero est et vidit hoc aliquis, promptus sum ad supplicationem. — incestus h. e. improbus, scelestus, quod ad ipsum raptum sertorum pertineat, dicit WUNDERLICHIUS. Alius malit: non pure casteque, neglectis iis, quae observare debebant qui templa deorum adirent, cf. v. c. II, 1, 11 sqq. Sed hoc non sufficit; loquitur de uno peccato, ut ostendit copula *que*. Quare *incestus* est improba mente, meditans malam rem. Qui sanguine ac caede contaminatum hic interpretantur incestum, nec credibile in Tibullo delictum ponunt, nec reputant maius crimen non posse ante minus nominari, id quod nunc faceret poeta. — deripuisse, ut PLAUT. Rud. III, 5, 5: *de ara deripere*, laudante WUNDERLICHIO et HUSCHKIO, ubi plura vide. Dicitur verbum de eo, quod abstrahitur ab aliqua re, et construitur c. dativo aut c. praepos. *ab*, *ex*, *de*, conf. ZUMPT. ad Cicer. Verrin. p. 254. Et repetitae praepositionis exempla vide ap. interprett. ad PROPERT. I, 3, 36. ap. BROUCKHUS. infra ad I, 5, 40. et HUSCHKIUM ad II, 1, 24. — V. 85. si merui, in malam partem, ex usu. PROPERT. I, 18, 9. OVID. Met. II, 279. Fast. IV, 239. Heroid. VII, 71. quae HEYNIUS laudat infra ad II, 4, 5. — procumbere templis, h. e. ad templa. Comparat HEYNIUS SULPIC. Sat. v. 17: *purae rursus procumbere lymphae*. Sic PROPERT. III, 17, 1: *advolvimur aris*. Praeterea notum dicendi genus, *terrae sterni*, *prosterni*, *procumbere*, *deponere*, *iacere*, de quo vid. BURM. ad Ovid. Amorr. III, 2, 25. et WUNDERL. ad h. locum Tibulli. Adde *rivo fluenti iacere* VIRG. Eclog. VIII, 101. pr. in rivum. Ad sententiam denique cf. LUCRET. V, 1202: *nec procumbere humi prostratum et pandere palmae ante deum delubra*. — Porro notum dare oscula liminibus, cf. LIPS. Elector. II, 6. KEMPIUS de Osculis dissert. VII, 23. — tellurem perrepere, humum perreptare, ritus superstitiosus ad placandos deos. Contulit SCALIGER Iuven. Sat. VI, 528. et alia ex Dion. Cassio. Vide etiam SENEC. de Vit. beata c. 27. Videtur res ex peregrinis religionibus hausta, quemadmodum quae statim additur *percussio capitis*; at procumbere ante templa et osculari limina domestici moris fuit. — miserum caput, cruciatum amoris parum secundi doloribus, epitheto personae ad partem corporis relato, ut saepe, cf. ad I, 1, 46.

V. 89 - ad finem. Exitus. Patimur omnes vim amoris, me autem fidelem servum, o Venus, noli diutius inclementer tractare.

V. 89. at tu. Est admonentis, minantis, aut indignantis pro ratione locorum, cf. I, 5, 69. IV, 2, 3. et Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 555. Ceterum Vossius, cum ultimam partem carminis pro novo carmine, ut vidimus, habeat, Messalam intelligit, a quo poeta his minis veniam abeundi petat. Quod iam non opus est ut refutemus. Tu non cogitabis certum hominem, atque ita etiam vulgo locum acceperunt omnes; est enim haec res talis, quae non uni tantum tribuenda sit. Tenebis tamen simul, inde ductam hanc formam exitus, quod flentes ante ianuam puellae amatores a praetereuntibus irridebantur. Nec temere arripuit poeta aliquid, quo finem imponeret elegiae, sed quod *παρακλαυσιθύρῳ* carmini conveniret, posuit et ponere debuit. — laetus, utpote liber ab his doloribus. Nolim enim sic intelligere ut *animo gaudente* est I, 6, 81. aut *lacrimis laetabitur istis* Ovid. Met. IX, 144. cum odimus aliquem. — caveto mox tibi, ostendito mox tuam nobis constantiam; erit enim mox etiam tibi, a quo aegre caveas. Non est quod iure displiceat in hac locutione, quam reprehendit Huschkius. — non unus. Janus Gebhardus interpretatur: non similis, h. e. tu gravioribus malis urgeberis. Male. Potius non uni bene emendatum est, postulante sententia. Nec video cur Heynius dicat, sic *usque* minus accommodatum esse, quod significat: perpetuo. Confert Wunderlichius Soph. Electr. 916: *ἀγ᾽ ὦ φίλη, θάρσυνε· τοῖς αὐτοῖσί τοι οὐχ αὑτὸς ἀεὶ δαιμόνων παραστατεῖ.* Apud Tibullum Huschkius coniecit *non vacuus*, h. e. non vacans, non cessans, quo loquendi genere Propertium solum uti Lachmannus notat. Nec sententia placet: *mox tibi non cessans saeviet usque deus*, ita enim iungit Huschkius. Tibullus si *mox* cum *saeviet* iungere volebat, poterat recte dicere sic: At tu ridere noli, saeviet Amor mox etiam tibi. Minime vero exspectamus: saeviet Amor mox tibi perpetuo nec cessans. Idem dicendum de lectione ieiuna: *non vanus*. Ceterum *saevire* c. dat. ut Ovid. Heroid. IV, 148. — V. 91 sqq. miseros, usu crebro, cf. Lachmann. ad Prop. p. 66. — subdere colla. Locutio *dare* et *subdere collum* nunc a iugo, nunc a catenis petitur, diciturque de

victis et captivis. Et nunc quidem catenae sunt *vincla Veneris*, tanquam captivo iniectae a dea, ut a puella ap. PROPERT. III, 15, 10: *nec femina post te ulla dedit collo dulcia vincla meo.* Iugi comparationem subesse tamen statuit MITSCHERL. ad Horat. I, 33, 11. — sibi componere, praemeditantem secum sermones amatorios, ut VULPII verbis utar. — tremula voce, ut HORAT. IV, 13, 5: *cantu tremulo.* — fingere velle, h. e. conari fingere, quae bene fingi non possint. Sic est pr. tentare. OVID. Fast. II, 262. — ancillam detinuisse, detinere et orare ut puellae favorem sibi compararet. — circumterit, circumstans premit. STAT. Silv. I, 2, 237: *omnis plebeio teritur praetexta tumultu,* ubi vid. BARTHIUM. — despuit ad avertendum portentum et ut contagia regerat, quemadmodum PLINIUS XXVIII, 4. dicit. Sic est ap. THEOPHRAST. Charact. XVI.: *μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι.* Vide omnino supra ad v. 56. — molles sinus. Cum vulgo simpliciter dicerent: in sinum despuere, nunc posito plurali et adiecto epitheto magis poetica facta est oratio. — et, in principium secundae partis pentametri reiectum, ut I, 3, 82. IV, 4, 26. — At mihi parce, at me, qui non contemsi te, noli diutius inclementer tractare, sed adiuva vota ardentissima et patefac aditum ad Deliam. OVID. Heroid. IV, 148: *Qui mihi nunc saevit, sic tibi parcat Amor.* — servit praesens est, non perfectum servît. Ac multo fortius est praesens. — Quid messes uris tuas? Quid saevis in clientem tuum et tibi ipsi damnum affers? VIRG. Aen. V, 672: *vestras spes uritis,* notante HEYNIO. Simile est proverbium: *vineta sua caedere,* HORAT. Epist. II, 1, 220. —

ELEGIA III.

INTRODUCTIO.

Post pugnam Actiacam auctumno ann. 723. factam Messala ab Augusto adversus Aquitanos rebellantes pro consule missus erat eosque debellaverat, cf. Appian. de bell. civil. IV, 38. Tibull. eleg. VII. Interfuerat his rebus etiam Tibullus, qui ante Actiacam pugnam valedixerat militiae, cum civile illud bellum esset, in Aquitaniam vero sequi patronum recusare noluerat. Peracto hoc bello Messala ad Orientem componendum evocatus continuo e Gallia in Asiam proficiscitur nec Romam rediit nisi ann. 727., ubi triumphum egit. Tibullus autem comitabatur eum etiam in hoc itinere, terra marique, ut ait, v. 56., sequens patronum, sed mox morbo contracto cogitur remanere in Corcyra abeuntibus ceteris. Quod factum ann. 724. auctumno et post aestatem, ut bene colligit Vossius e vers. 85., ubi lucernae vespertinae mentio breviores dies indicat. Atque hoc tempore elegia proposita scripta, quae e praestantissimis Tibulli. Videamus compositionem. Summa haec est: Poeta mortem sibi instare credens in peregrina terra procul a consanguineis et a Delia carissima, luctu ingenti corripitur et lamentabiles querelas fundit, erigit tamen deinde animum et dum consolatur dolorem, postremo eum obliviscitur sic, ut exitus laetissimus sit. Enarrabo nunc singula. Atque e x o r d i u m quidem proficiscens, ut fieri solet, a praesentissimo sensu, ipsum statum deplorabilem poetae tristibus verbis exhibet. *Tum* succedit amplior rerum orbis, querela, ut fit, ad causas et fontes miseriae redeunte; in quo vivida cogitatio poetae omnia tangit, quae huius loci esse videbantur, pulchre progrediens a propioribus et specialibus ad remotiora et generaliora per gradationem. Primum enim *se* accusat, quod Deliae timori suaeque ipsius ante discessum praesensioni non obsecutus temere abierit invito Amore, cum vi describens puellae curam suasque cunctationes, cuius temeritatis nunc poenam se pati intelligit. Accusat deinde *Isidem* salutarem, quod

fefellerit spem iustam nec adsit in hoc periculo; eius enim auxilio potenti confisus incolumitatem speraverat in itinere aut curationem promptam si quid accideret, cum ea tantopere coleretur a Delia, atque etiam vota puella fecisset. Accusat denique omnino *aetatem sub Iove praesentem*, quae habendi cupiditati dedita caedibus ac bellis gaudeat semper, unde mille mortis viae; sic vero etiam poeta in hoc malum suum incidit. Atque ita Tibullus, ut vides, praeclaro affectu exhaurit omnia, se, Isidem, aetatem denique universam accusans infortunii, quo laborat. Sed cum querela mixta simul precatio est identidem repetita pro salute: orat Mortem ut abstineat manus, orat Isidem ut succurrat, orat denique Iovem ut parcat, si fieri possit. Ac quis non etiam in hoc agnoscit suavem elegiae indolem, quae non solum varietatem affectuum amat, sed etiam reditus ad eandem sententiam, easdem querelas, eadem vota. Vidimus *primam partem*, quae tota flebilis. Non poterat manere hic motus; quis enim in tali infortunio non solatia dolorum quaerat, non spem melioris fortunae arripiat? Ita vero affectus elegiae quietem iustam inveniet. Sic deducimur ad *secundae partis* argumentum. Transit enim nunc cogitatio ad inferna loca, quae res proxime coniuncta est antecedentibus. Si tamen moriendum, ait, fiat quod in fatis est; Venus ipsa in beatum Elysium me ducet, ubi Amor assidue proelia miscet, rivales autem, qui labefactare Deliae fidem studuerunt et maligna fascinatione lentas militias mihi pararunt, Tartarus excipito poenisque dignis cruciato. Sic consolatus animum spe felicitatis destinatae in Elysio et poenae rivalibus in Tartaro subeundae, et cum antea lamentatio continua esset, nunc hilarior cogitatio futuri successit. Accipe reliqua. In Tartaro, pergit in fine antecedentium, etiam mulieres puniuntur, quae Veneris numen laeserunt, at tu casta maneas, Delia, servesque fidem. Et nunc vide *exitum:* hoc enim modo reversa cogitatione ad superas regiones, iamiam praeclara phantasiae vi obliviscitur poeta mortem, resumit spem salutis et de reditu incolumi cogitat, cum vespere repente intrabit in Deliae domum et puella laete obviam curret reddito amanti. Quid praeclarius hoc fine? Habes compositionem pulchri carminis, suavissimo progressu a tristibus ad laetiora et laetissima pergentis.

EXPLICATIO.

V. 1-9. Introitus. Status deplorabilis poetae. Morbo in Corcyra remanere coactus, Messala in Orientem proficiscente, poeta tristi animo mortem timet et deprecatur in peregrina terra.

V. 1. Ibitis, Messala, ut saepe in allocutionibus unum appellant inter ceteros. Matth. Gr. Gr. p. 615. Nitzsch. ad Hom. Odyss. III, 43. Bach. et Huschk. ad h. l. Loquitur autem haec, dum in eo sunt ut abeant. — o utinam memores scil. eatis. Cicer. Epist. ad Famil. XII, 25, 10: *quam quidem* (navem) *nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu.* Vide plura notata a Wunderlichio. Sententiae autem vim ut penitus sentias, ab eo haec dici memineris, qui mortem sibi propinquam putat. — Ipse cohorsque. Pronominis usum illustravit post Janum Gebhardum bene Wunderlichius. Et *cohors* est comitatus ducis; ut constat, cf. Ernest. Excurs. XV. ad Sueton. Tib. c. 46. — V. 3. me tenet. Observa quid valeat oppositio. Demto, quod legimus, disticho nullam fere hic locus vim haberet, qui nunc graviter nos movet. — ignotis, peregrinis. *Nosse* dicimur loca, quae inhabitamus, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII, 22. Burmann. ad Propert. I, 6, 1. — Abstineas etc. Sine ornatu dicendum erat: Ac sum in mortis periculo. Nunc praeclaro cum affectu apostrophe infertur. Porro de *manibus* Mortis Statius confert Ovid. Amorr. III, 9, 19: *Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat, omnibus obscuras iniicit illa manus.* Quemadmodum idem de senectute dicit Trist. III, 7, 35: *Iniicietque manum formae damnosa Senectus, quae strepitum passu non faciente venit.* Addit Huschkius Callim. Epigr. II, 3: *αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.* Heynius Parcas comparat Virg. Aen. X, 419. Denique *avidus* legitimum epitheton mortis, quemadmodum Plutonis, cf. Ruhnken. Dictata ad Albinov. eleg. v. 440. — V. 5. Repetit poeta eandem sententiam per epanalepsin. Primus hac figura usus Homerus est Il. XX, 272. hoc modo: *καὶ εἰ πυρὶ χεῖ-*

ρας ἔοικεν, εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ, et XXIII, 640: *ὁ μὲν ἔμπεδον ἡνιόχευεν, ἔμπεδον ἡνιόχευ', ὁ δ' ἄρα μάστιγι κέλευεν.* Apud Tibullum alia exempla sunt I, 4, 55. et 5, 17. Neque opus ut omnia verba repetantur, sed satis saepe est, si potiora redeant. Habet autem figura nunc affectum gravem, nunc lusum iucundum. Praeterea hoc loco simul transitus ad sequentia per eam paratur ut v. c. etiam I, 5, 17. II, 4, 20. — Pergit: n o n h i c m i h i m a t e r , n o n s o r o r. Erant enim haec officia proximorum et carissimorum, ut constat. Tibullo vero alio tempore revera contigit quod optat, ut Romae in amplexibus matris et sororis decederet, cf. Ovid. Amorr. III, 9, 49. Quam sit triste in peregrina terra mori et sepeliri, multi loci docent veterum, ut Ovid. Trist. I, 2, 53. III, 3, 29. Virgil. Aen. IX, 485. Sophocl. Electr. 1126. Ac notant interpretes. — i n m o e s t o s s i n u s, lugubrem vestem dicit, quae atra. Cf. infra III, 2, 17. Res nota. Ceterum ad rem conf. Propert. I, 17, 12: *An poteris siccis mea fata reponere ocellis, ossaque nulla tuo nostra tenere sinu.* Loquitur autem Tibullus, ut par est, summatim. Auctor libri tertii eleg. II. l. cit. pluribus nos docet cineres sinu susceptos primum vino et lacte conspersos, tum velis siccatos, denique in urna repositos. Pro quibus rebus Tibullus satis habet ossilegium commemorare. — V. 7. A s s y r i o s c i n e r i q u a e d e d a t o d o r e s. Dixerunt Assyriam pro Syria Latini passim ut Horat. IV, 6, 32. E Syriae autem portubus advehebantur, ut constat, merces, odores et unguenta Orientis, Indica, Arabica, Syria, cf. Brouckhus. ad h. l. et Mitscherl. ad Horat. II, 7, 8. Sic merx Syra est Horat. I, 31, 12. malobathrum Syrium II, 7, 8. nardus Assyria II, 11, 12. Adi imprimis Heinsium ad Ovid. Heroid. XV, 76. et vide infra Lygd. III, 2, 23 sqq. — d e d a t. Significat reduplicata forma, ut constat, dare quod accipienti proprium semper sit et suum; aptum opinor verbum in ritu religioso qualis hic, ubi datur quod non repetitur; in leviore munere minus probarem significantiorem formam. Cum enim simplex *dare* vulgare sit, intentior vis notionis nonnisi certis locis convenit. Ceterum Vulpius in urnam unguenta recondita statuit, antequam ea in sepulcro collocaretur, quod firmari potest Ovidii loco Trist. III, 3, 65: *Ossa tamen facito parva referantur in urna, — atque ea cum foliis et amomi*

pulvere misce. Sed non uno modo adhibebantur odores in mortuorum honorem, atque hoc loco mox videbis aliam rationem praeferendam esse. — sepulcra. Credat aliquis rogum intelligendum, ac confert Heynius Terent. Andr. I, 1, 101: *ad sepulcrum venimus, in ignem imposita est, fletur.* Ad quem locum vide interpretes, etiam Dictata Ruhnkenii in Terent. ed. Schopen p. 21. De eadem significatione Ernestius dixit ad Tacit. Annal. III, 73. quem Wunderlichius laudat. Ac de fletu ante rogum Heynius comparat infra II, 4, 45: *ardentem flebitur ante rogum.* III, 2, 12: *et fleat ante meum moesta Neaera rogum.* Add. Catull. 39, 4. Sed tamen recte observatum censeo ab Huschkio et Wunderlichio proprie hoc loco vocem accipiendam; neque enim additum est quidquam, unde non esse proprie eam accipiendam discas, quod fieri a poeta debebat. Ubi vero bona est propria significatio, non debet de alia cogitari, quod est certissimum hermeneutices praeceptum, quamquam saepe a viris doctis neglectum. Igitur sepulcro adspergenda unguenta intelliges, ut constat cippis et sepulcris cum conderentur urnae, cf. infra III, 2, 23., et parentalium diebus adspersos odores, vid. Propert. III, 16, 23., ubi cf. Kuinoel. Adde Kirchmann. de Funerib. Rom. IV, 2. et Huschk. ad h. l., qui tamen male Aeschyl. Agamem. 1323. *Σύριον ἀγλάϊσμα* laudat, ubi de hoc ritu nihil. Vides nunc Tibullum paucis verbis potiora officia lugentium complecti, cum dicat non matrem adesse, quae ossa legat et in urna reponat, non sororem, quae in sepulcrum odores spargat et lacrimas reddat defuncto. Atque haec hactenus. — V. 9. non usquam, crescente affectu, cum ante simpliciter *non hic* dixisset. — Sequitur *medium carmen.*

V. 9-52. Prima pars, composita tribus locis per gradationem. Atque a v. 9-22. primum accusat se, quod invito Amore discesserit. Noli vero credere Tibullum inter recordationem Deliae quasi per digressionem ad sequentia delapsum, sed consulto potius et cogitate per Deliae commemorationem transitum sibi parat ad hunc locum, quo carere carmen non potuit.

V. 9. Mitteret. Confert Wunderlichius Catull. 66, 29: *sed tum moesta virum mittens quae verba locuta es.* Est igitur simplex pro composito *dimittere,* cf. dicta ad I, 2, 80. — omnes

consuluisse deos. Muliebre ἦθος loci illustrat Ianus Gebhardus, laudans imprimis Scholia ad Apollon. Rhod. I, 247. Videtur autem de haruspicum opera hic cogitandum, qui iam tum in privatis rebus a multis consulebantur, vid. Müllerum in Libro de Etruscis T. II. p. 14. Credam igitur haruspicibus missas a Delia hostias aliquot minores, aliam alii deo sacrificandam, ab iisque ex harum extis fausta responsa data. Sunt hae consultatoriae hostiae, de quibus Müllerus dixit ibid. p. 179 sqq. Atque haec simplicissima est explicatio loci; oracula extra urbem adiisse Deliam, ut Heynius suspicatur, vix probabile est, nec quod addit fortasse Isidis, Serapidis, Fortunae privata oracula Romae fuisse, historicis documentis probavit. — V. 11. sacras pueri sortes. Frequentes erant sortilegi pueri virique in Circo Maximo potissimum et Foro, qui praetereuntes invitarent ut sortibus uterentur, vid. Horat. Sat. I, 6, 112. ibiq. Heindorf. — sustulit, proprium de sortibus ex arca aut sitella sublatis, cf. Cic. de Divin. II, 41. Plaut. Casin. II, 5, 33. Ac de trina sortitione laudant Spanhem. ad Callim. Apoll. v. 45. Tertia demum repetitio confirmat rem. Ceterum hoc genus divinationis apud nobiliores tum iam contemtum erat, cf. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 9, 30. — illi rettulit e triviis. Recte monet Wunderlichius iteratione pronominis *illa* — *illi* diversas vias futura explicandi significari. Est igitur hoc genus aliud et diversum ab antecedente, ut etiam Vulpius vidit. Missus erat puer in trivia ad omina capienda, isque retulerat certa. Sunt aliena cetera omnia, quae a viris doctis ad hunc locum allata sunt. — V. 13. Cuncta dabant reditus. Noli *cuncta* ad proximum tantum distichon referre, sed etiam priorum recordare verborum: *dicitur omnes consuluisse deos.* Porro *dabant reditus* est: spondebant. Pluralis *reditus* saepe usurpatus a poetis notante etiam Brouckhusio, ac nunc quidem, toties nuntiato reditu ab omni parte, ob hoc ipsum placuit Tibullo. — deterrita. Non semper inesse in hoc verbo significationem terroris et minarum, sed poni id etiam pr. dehortari, dissuadere, rationibus adducere ut hoc illud ne facias, saepe est monitum; cf. Brouckhus. ad h. l. et Huschkium ac Wunderlichium. Adde Ruhnk. ad Terent. Heaut. I, 1, 27. in Dictatis a Schopen. editis. Est tamen paullo gravius verbum, quemadmodum hic ad multitu-

dinem faustorum responsorum et ominum respicitur, quibus nihilominus non plane confidebat. Ac pertinaciae optime etiam *nunquam* convenit. — respiceret, cum iam ingressus esset iter Tibullus. — V. 15. Ipse ego solator, atque ipse etiam qui consolabar puellam, non eram sine sollicitudine quadam et praesensione futuri. Etenim duabus partibus constat locus in quo versamur. Primum Deliae anxietatem descripsit, nunc suam describit. Atque gradatio est in hoc ordine. Ceterum de v. *solator* cf. ad I, 2, 78. — mandata dedissem. Usurpatur formula de abeuntibus aut morientibus, cum dicunt quid post discessum aut mortem fieri velint; etiam de remanentibus, cum discedentibus quid fieri velint, praecipiunt. Vide WUNDERLICHIUM ad h. l. — V. 17. causatus, ut PROPERT. IV, 4, 23: *Saepe illa immeritae causata est omina Lunae.* Adde OVID. Amorr. I, 9, 13. Porro, quamquam per linguam etiam ad aves et omina dira verbum tenuisse trahi possit, veluti LIV. XXXVI, 43. dicit: *Livium Deli per aliquot dies adversi venti tenuerunt*, tamen melius WUNDERLICHIUS variatam hic constructionem et primum accusativum nudum, deinde accusativum cum infinitivo iunctum verbo *causari* statuit. Continuatio longior eiusdem constructionis displicet poetis, et diutius pendens imperfecta sententia; suavissimum vero et maxime poeticum secundo versui additum novum verbum, ut vigor novus accedat orationi. De qua re saepe monemus. Ad propositum locum bene conferas quae WUNDERLICHIUS laudat HORAT. II, 9, 19. VIRG. Aen. IV, 469. Adde Tibull. II, 3, 46. et PROPERT. III, 4, 15: *Inque sinu nixus spectare puellae incipiam — tela fugacis equi et braccati militis arma, et subter captos arma sedere duces,* et II, 1, 22. et III, 3, 12. BACHIUS confert NICARCH. Epigr. IX. Anthol. Graec. Lips. Tom. III. p. 61. Jacobs.: *Αἰτέομαι δ' αὐτοὺς καλὰ πώεα καὶ καλὸν οἶνον, Καὶ καλὸν ἀμῆσαι καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων.* — Saturni aut sacram diem. De particula *aut* postposita conf. WUNDERLICHIUM. Fuit autem Saturni die sabbatum Iudaicum, cf. TACIT. Hist. V, 4. atque erant etiam inter Romanos, qui peregrina religione tacti hoc die nihil agerent, cf. HORAT. Satir. I, 9, 69. IUVEN. XIV, 105., etsi a ceteris ritibus alieni. Adde OVID. Art. Am. I, 4, 15: *Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis culta Palaestino septima sacra Syro,*

et Remed. Am. 219. quae interpretes laudant. Inde igitur Tibullus nunc dicit praetextum se sumpsisse morae, quasi observaret hunc diem et ipse, non autem revera se significat huic religioni addictum. — V. 19. ingressus iter. Neque solum, ait, antequam ingrederer iter, moras quaerebam, sed etiam ingressus iam. — offensum pedem, absolute, non adiecta re, in quam quis offendit, notante WUNDERLICHIO, qui laudat OVID. Met. X, 452: *Ter pedis offensi signo est revocata.* Ceterum de re dixit LIVINEIUS ad h. l. et BROUCKHUSIUS. Atque in porta locum significat, ubi id factum, non rem, in quam offenderit. — V. 21. 22. Claudit totum locum antecedentem generali sententia, quae summam eius continet. Non obtemperans anxietati Deliae suaeque ipsius neglexit signa et monita Amoris, eoque invito profectus est. Hinc poenam patitur. Ceterum notabis etiam sequentes duos locos aptis distichis claudi, v. 34. et 51. 52. — sciat, h. e. damno suo discat. Sic *sentiet* supra I, 2, 58. Res nota. γνώσεσθε MELEAGR. 93, 8. Non est autem pr. futuro coniunctivus, ut WUNDERLICHIUS censet, quod si voluisset poeta, in huius quidem loci gravitate *sciet* dicendum erat non *sciat,* sed est pr. *scito.* Magna cum vi pronuntiat quod ipse suo exemplo didicit. Ceterum confer, si haec comparare licet, apud inferos admonentem Phlegyam: *Discite iustitiam moniti et non temnere divos,* VIRG. Aen. VI, 620., et Ixionem PIND. Pyth. II, 24: τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.

V. 23-34. Incusat Isidem salutarem, quod pro pietate gratiam Deliae non retulerit morbo ab amatore defenso, oratque ut nunc saltem succurrat. Novus hic locus est ut vides. Transitum facit per nunc, quod generatim complectitur antecedentia et significat: in hac miseria mea; sic qui universi prioris loci fons est dolor, ex eodem recta via etiam hic fluxit novus.

De *Isidis* cultu apud Romanos vide BOETTIGERI Dissertationem Germanicam: *Die Isis-Vesper nach einem Herculanischen Gemählde,* in: *Minerva, Taschenbuch f. d. Jahr* 1809. *Leipz.* 1808. p. 95-136., quae latine reddita est in Actis Seminarii Regii et Societatis philologicae Lipsiensis Vol. I. p. 265 sqq. Adde quae idem BOETTIGER pluribus locis in *Sabina* a se scripta exposuit.

Praeterea interpretes ad Tibullum consulendi. — V. 24. aera, h. e. sistra. Egerunt de sistro Bacchier et Tollius in Graev. Thesaur. Antiquitt. Rom. Vol. VII. et Bossius in Sallengr. Thesaur. T. II. — repulsa, h. e. concussa; quati enim solebant, non percuti. Praepositio *re* iteratas et crebras iactationes sistri indicat. Similiter infra I, 8, 22. — V. 25. 26. Celebris in Isiacis sacris *lavatio* et *secubitus* feminarum erat, quae pure lotae per certum tempus sine viro dormire debebant, idque in casto esse dicebatur. Erant autem partim certi sacri et observandi dies ubi id fiebat, cf. Iuven. VI, 536., partim alii, si voverat femina castum aliqua privata de causa. Prius genus apud Propertium etiam significari videtur II, 33: *Tristia iam redeunt iterum solemnia nobis, Cynthia iam noctes est operata decem*, ubi vides secubitum cum lavatione praecessisse ipsa maiora solemnia deae. Secubabant autem domi, cf. Iuven. l. cit., aut in templo excubias reddebant deae, uti Cynthia morbo liberata Propert. II, 28, 15. Quae tamen excubiae libidinum potius tempora erant, adiuvantibus sacerdotibus lenis, cf. Ovid. Art. Am. I, 77. omninoque Boettig. Sabin. Tom. I. p. 233. Ab hoc loco turpia ista templorum aliena; poeta de domestico castu Deliae loquitur, quem sacris Isiacis diebus apud se observabat pie haec sacra colens superstitiosa puella, ac quamquam vulgo mulieres etiam has domesticas noctes saepe voluptatibus Veneris dedisse constat, hic nulla huius rei suspicio proditur, nec convenit huiusmodi quid huic loco. — pure lavari. Liv. V, 22: *pure lautis corporibus*. Idem XXXIX, 11: *pure lautum*. Festus libr. XIV. s. v. explicat *pura lotum aqua*. Vide Brisson. de Form. I, p. 5. — puro toro, h. e. vacuo, ut ait Ovid. Amorr. III, 9, 34. 10, 2. — memini, probe enim recordor tristium solemnium, cum amplexu tuo abstinere cogerer. Similiter *memini* positum Ovid. Trist. I, 5, 3. Pertinet vero vox nunc ad utrumque membrum, ut bene Wunderlichius monet, cum castus hic duabus rebus coniunctis contineatur, uti etiam particulae que — et indicant. Dicas nihilominus aptius futurum fuisse, si secundo membro potius parenthesis interposita esset. Sed ne hoc quidem concedo. Lavatio, si rem ipsam spectas, principalis ritus erat, secubitus autem nonnisi conservatio diuturnior paratae lavatione puritatis; consentaneum igitur statim lavationis nomini subiici

tristem parenthesin, quae ubi facta esset, adducebat secubitum. Postremo nihil usitatius et suavius hoc collocationis genere, ubi inter duo substantiva, adiectiva, adverbia, verba, membra orationis ponitur id quod ambobus commune est. Veluti: *εὔνους ὢν ὑμῖν καὶ φίλος.* — *ὡς οὐ δικαίως ταῦτα ἔπραξα καὶ ἐπιμελῶς.* — Ducarque capillis *immerito*, pronas proripiarque vias. — Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem, *credite posteri*, Nymphasque discentes et aures Capripedum Satyrorum acutas. Ut hic subiicitur, sic alias interdum inseritur primo membro verbum commune, veluti Tibull. I, 8, 69: Oderunt, *Pholoe, moneo,* fastidia divi, nec prodest sanctis tura dedisse focis. Atque haec hactenus. Redeamus ad nexum orationis. Cum Isis in morbis curandis potens esset, poeta qui Deliam religiosissime Isidis sacra colere videret, speraverat in itinere affuturam deam morbosque propulsuram, praesertim cum vota fecisset Delia. Qua spe frustratus iure nunc sibi queri videtur. — V. 27. posse mederi scil. te, quod multis exemplis illustrat Huschkius. Millies veteres me, te, se, nos, vos in tali constructione omiserunt. Vide quos laudant Ruhnkenius et Frotscher ad Rutil. Lup. pag. 112. Ne plura afferamus. — multa tabella. Singularis pr. plurali; comparat Wunderlichius *multa via* 3, 50 infr., *multus lapis* II, 5, 72. Adde *multo iugere* II, 3, 42. et *innumeram ovem* ibid. Praeterea vide ad I, 9, 68. — picta. Iuven. XII, 28. Suspensae igitur erant in Iseis tabulae plurimae ab hominibus, qui e morbo reconvaluerant aliquo, reddentes imaginem hominis aut partis corporis sanatae, vel etiam deae salutaris effigiem cum inscriptione. Vide Brouckhusium et Heynium. Idem fiebat ab iis, qui e mari servati erant aliove periculo, cf. Tibull. I, 9, fin. Cicer. de Nat. Deor. III, 37. Horat. I, 5, fin. ibiq. interprett. et Satir. II, 1, 33. c. annot. Heindorf. — votivas voces. Vulgo *votivum* appellatur quod ex voto diis debemus, quemadmodum etiam Wunderlichius ostendit. Sed si in hunc modum laudes ex voto debitas intelligis, haec exsistet mira sententia: Ut Delia laudes persolvens promissas ante fores sedeat, bisque die laudes tibi dicere debeat. Quod sentiens Heynius simpliciter *vota* explicabat, nec non Oudendorp. ad Appulei. Met. XI, p. 768. qui ait: „voces votivae vota sunt, ut voces precantes apud poetas sunt preces.“ Velut

Ovid. Met. VII, 590. Ac recordabatur Heynius locutionem *verba votiva*, h. e. quibus utimur in votis, quibus vovemus. Vide vero totum locum Tibulli. Qui vota facit, vel legitima sacra vovet studiose se observaturum, vel peculiaria quaedam promittit. Delia utrumque fecerat. Sedere volebat ante templum per certum tempus et praeterea etiam legitimos hymnos deae bis canere cum cetera turba horis consuetis; nam etiam hoc se vovisse probat verbum debeat. Ad totum hoc pertinent *voces votivae.* Sic non reperias sensum ab omni parte aptiorem loci, quamquam concedimus in lingua esse quod offendat. Statuendum est enim *persolvere voces votivas* dictum esse pr. persolvere quod votum vocibus votivis. Sic vero Graeci εὐχὰς ἀποδοῦναι dicunt, ut constat. Nunc addamus reliqua. — Ante fores sedeat. Sedebant humi pro foribus templi aut ante aram et statuam mulierculae supplicantes, peccata sua fatentes, vota solventes. Ovid. Epist. ex Ponto I, 1, 51: *Vidi ego linigerae numen violasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos.* Amorr. II, 13, 17: *Saepe tibi sedit certis operata diebus.* Ubi plura de more sedendi etiam aliorum in deorum templis vide ap. Heinsium. Et nunc quidem Delia, si salvus rediisset Tibullus, sedere volebat ante templum lino tecta, cuius usus erat in Isidis sacris; linigera dea erat, linigeri sacerdotes et omnes his religionibus addicti, cf. Brouckhusium ad h. l. et Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 77. Ac cum sedentes caput velatum haberent, ut est ap. Propert. II, 28, 45: *ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit*, etiam Delia ita factura erat, quod consulto addo propter sequentia verba: *resoluta comas.* — V. 31. 32. Bisque die sqq. Haec diversa sunt, ut iam significavi, et alium honorem indicant, et falluntur qui non distinguunt. Canebantur enim omnino bis die hymni in Isidem, mane prima hora cum sacerdotes templum aperuissent, et vespere hora octava cum clauderent. Ex adyto summus sacerdos cum ministris prodibat, in altari suffitus fiebat ture, praecinebatur tibia, coetus adorantium interea duobus ordinibus in atrio usque ad gradus templi consistebat. Sacerdos ad sacra vocat, recitantur preces, tum ad certos modos sistra omnia, quae adorantes manibus tenent, quassantur. Idem ritus mane et vespere videtur fuisse, nisi quod hymni diversi erant. Vide praeter interpretes, nominatim Scaligerum et Heynium,

imprimis Boettigerum in Commentatione de Sacris vespertinis Isidis supra laudata. — resoluta comas, ex more, quemadmodum etiam in tabula Heracleensi, illustrata a Boettigero l. l. conspicitur inter ceteros femina egregie comata solutis crinibus, notante etiam Heynio. Observabis autem simul discrimen rerum; nunc stat resoluta comas hymnos cum turba cetera canens, ante sedebat adoperta caput. Nam verba: *resoluta comas* sic opposita sunt rei in antecedentibus latenti, ut infra I, 10, 23. verba: *voti compos*. Stetisse autem hymnos canentes et res ipsa docet et tabula Heracleensis. — Insignis, pulchritudine eminens inter ceteros, cf. Horat. III, 20, 6. laudante Wunderlichio. — turba Pharia est Isiaca, cultorum Isidis, epitheton usitatissimum de Iside et Isiacis rebus, ut omnino pr. Aegyptius dicitur apud poetas. Res nota. Ceterum observa haec verba: *insignis turba in Pharia*, secundae sententiae addita, per se non necessaria, quantum conferant ad vigorem orationis alendum et denuo suscitandum. Cf. I, 6, 58. — debeat, ex voto. Credibile est puellam vulgo non ivisse bis ad templum. — V. 33. 34. At mihi contingat redire domum. Sed cum ante de cultu Isidis dictum sit, concinnitatis causa suaviter ita conformat sententiam, ut de cultu Penatium et Larium dicat. In quam rem confer II, 3, 33. 47. et alia ad Pindar. Nem. XI, 15. a nobis monita. Volebat autem rus redire ad sedes avitas. — celebrare, colere, Ovid. Fast. II, 639: *Nox ubi transierit, solito celebretur honore Separat indicio qui deus arva suo.* Observatum est reduces ex itinere primum penates salutatum ivisse, ut Terent. Phorm. II, 1, 81; tamen Tibullus generatim de cultu religioso loquitur, quem domi degens ex more penatibus reddet. Ceterum dicti penates omnino dii in penu culti, unde domus fortuna et prosperitas pendebat, vid. Müller. in Libro de Etruscis Tom. II. p. 87., qui ibid. p. 90. etiam de Laribus bene dixit, cf. supra ad I, 1, 20. — menstrua tura, more religiosorum hominum, qui mensis cuiusque Calendis sacrificabant, vid. Horat. III, 23, init. ibiq. interprett. et Voss. ad Virgil. Eclog. I, p. 30. — reddere, ut ἀποδοῦναι, de debito honore satis notum. Ceterum clauditur locus antecedens hoc disticho. —

V. 35-52. Incusat aetatem praesentem orbis ab

aureae simplicitate deflexam et habendi cupiditati ac bellis deditam, unde mille mortis viae ortae. Sic etiam poeta in haec pericula vitae incidit, e quibus nunc Iovem orat ut servetur, uti antea Isidem. Habet igitur hic locus eundem fontem quem antecedentes, doiorem dico ob periculum vitae grave, in quo poeta versatur.

V. 35. Saturno rege. Descriptiones aureae aetatis plurimas poetarum indicavit Brouckhusius cognoscere cupienti, quarum ut alia alii loco convenit, ita haec ex propositae elegiae ratione pendet. Neque enim sine ratione varias istius aetatis laudes congessit poeta, sed ea posuit quae finis huius loci requireret, orsus ab eo, quo sponte ferebat cogitatio remotum a patria. — in longas vias. Primum generatim loquitur, ut par est; quare haec verba ad terrestres et maritimas peregrinationes pariter pertinere puta, estque tellus omnino orbis. Propert. II, 27, 5: *Seu pedibus Parthos sequimur seu classe Britannos et maris et terrae caeca pericla viae.* Ac vidimus iam ad I, 1, 26. *vias* omnino de itineribus dici. Cum vero Tibullus nunc in maritimo itinere morbum, quo laborat, contraxerit, in sequentibus hoc genere specialiter occupatur, alterum vero mittit; contrarium faceret si in antecedente Aquitanico bello haec scripsisset, veluti Ovid. Amorr. II, 16, 15. apud Pelignos Italiae versans: *Solliciti iaceant terraque premantur iniqua in longas orbem qui secuere vias.* — Porro est patefacta, ut etiam *aperire* ponunt, cf. Huschkium. Contrario modo *clausae* dicuntur regiones, ad quas aditus non est. — V. 37. contemserat. Usurpant verbum de eo, qui non timet. Iuven. X, 123: *Antoni gladios potuit contemnere, si sic omnia dixisset.* Adde Horat. Epod. IV, 16. Virg. Georg. II, 360. Heynio verbum nimis magnificum pro simplicitate Tibulli videbatur, quod crederem si nihil nisi simplex navigandi notio exprimenda fuisset. Nunc autem hoc dicit, nondum tantum audaciae habuisse homines, ut pericula maris parvi penderent prae lucro. — caeruleas. Otiosum tibi videbitur hoc epicum epitheton, sed non assentior, qui otiosa epitheta ab his elegiis aliena esse videam. Tibullus dixerat, ut monui, primum generatim de viis longinquis, nunc de mari specialiter loqui vult. Hinc iam paullo magis amplificare et extollere debet notionem maris. — Effusum sinum

scil. velorum. Necdum, ait, ausi erant vela expensa ventis dare inflanda et ventorum arbitrio se permittere. Ostendi modo maris notionem amplificatam; vides nunc similiter totam sententiam hexametri amplificatam et exornatam aliis verbis, quoniam haec itinera sunt quae deplorat. Idem denique amplificationis studium in causa, quod non uno sed duobus distichis de maritimis rebus dixit. — V. 39. 40. navita, mercator ut saepe, v. c. HORAT. I, 1, 14. — vagus, ob itinera et errores. Sic *mercator vagus* HORAT. Art. poet. 117., *navita vagus* MANIL. I, 87. Vide plura apud BROUCKHUSIUM. — compendia, lucra. Illustrant IANUS GEBHARDUS et VULPIUS. — repetens terris, ut alias verba motus e praepositione *re* composita crebro cum ablativo iunguntur, bene notante WUNDERLICHIO apud Heynium, quem vide. — presserat, oneraverat. Confert HEYNIUS Virgil. Georg. I, 303. — Post haec sententiam Tibulli vides: Habendi cupiditas hominem docuit maritima itinera. — V. 41 sqq. Postquam *peregrinationum* studium ab aurea aetate alienum ostendit, necessario ad *domesticum*, qualis tum fuerit, rerum statum declarandum pergere debet oratio. Idque fit. *Erat enim omnino tum*, ait, *pulcherrima simplicitas vitae.* Quae res ut similiter aliquot exponeretur distichis, concinnitas descriptionis postulabat; dixit vero non plus quam quod satis. Ac primum quidem dicit: *Nondum domita erant animalia* in usum et voluptatem hominum; in qua re poetice instar omnium taurum et equum commemorat, veluti fit OVID. Fast. II, 295 sqq. Confer etiam SOPHOCL. Antig. 350 sqq. — Pergit: *Nec fuit dominium privatum*, sed communia omnia; neque enim agri erant divisi nec domus ulla clausa, sed intrare poterat quicunque et auferre quod vellet. Sic TROGUS apud Iustin. 43, 1. dicit sub Saturno omnia communia et indivisa fuisse, veluti unum omnibus patrimonium esset. Aliique similiter. Ceterum regeret est: definiret, dirigeret, CIC. pr. Muren. c. 9. Topic. c. 10. Laudantque titulum Digestor. *de finibus regundis.* Ad rem cf. VIRG. Georg. I, 126. OVID. Met. I, 133. — Pergit v. 45 sqq.: *Sed alimenta ultro obtingebant largiter omnibus*, ut patrimoniis privatis et domatione animalium opus non esset, neque exsistere posset habendi cupiditas. — ipsae quercus dabant, h. e. ultro, veluti VIRG. Eclog. IV, 21. Sequor autem VOSSIUM, qui de melle

aetherio e foliis et rimis quercus manante hunc locum accipit et VIRGIL. Eclog. IV, 30. Georg. I, 131. Add. OVID. Met. I, 112. HEYNIUS de apibus cogitat in truncis arborum mel facientibus sine hominum cura. Quod alienum videtur. Tibulli mens est, sine opera apum hominumque mel perfectissimum a natura oblatum. — ubera lactis, lacte plena, cf. si tanti est, HORAT. II, 19, 20. OVID. Met. I, 111. Denique securis est: non timentibus inopiam victus. — V. 47. 48. Exitus. Nam sequitur tota descriptio aureae aetatis hanc legem: Post introitum vv. 35. 36. primum de itineribus maritimis dicitur nondum usurpatis duobus distichis, deinde aliis duobus de statu domestico nondum ut hodie constituto, tum his coniunctis opponitur uno disticho positiva sententia de alimentis ultro obtingentibus. Iam ut dixi sequitur exitus in hunc sensum: *Atque ita factum ut pax esset aeterna, cum litium et belli causae, habendi cupiditate ortae, non adessent.* Sed hunc locum magna cum vi extollit, quoniam ipse per bellum in malum praesens incidit. Est autem cumulatio similium verborum, et ut mihi quidem videtur, bina coniungi debent. Non acies, non ira fuit, ait, non bella nec ensis, bis repetens idem mutatis verbis; nam ut ira aciem instruit et concitat, ita bellum utitur ense. Quae cum satis concinna videantur, nulla hic est poetae negligentia, quemadmodum etiam alias, ubi perversum rerum ordinem queruntur, accuratiore interpretatione bonam deprehendas compositionis legem. Atque hoc loco qui dixerit ex ira exsistere bellum, bello educi aciem, aciem uti ensibus, atque ita ordinanda fuisse verba, non consideraverit poetam noluisse docere et explicare quis sit naturalis a causa belli usque ad pugnam ipsam progressus rerum, qui potius illud unum agit, ut nondum fuisse tum terribilem artem bellandi dicat quam gravissime. Atque huic consilio compositio, quae habetur, plane convenit. Ceterum *ira* est furor bellicus ut constat, et duxerat est: procuderat, ut Graecum ἐλαύνειν, tundere malleo, cf. VIRGIL. Aen. VII, 634. et *aes ductile* PLIN. XXXIV, 8. Graecum ἐλαύνειν vide HOM. Il. XII, 296. XX, 270. — Postremo observa etiam adiectivorum hic similium cumulationem: immitis, saevus; maxime enim detestatur bellum. — V. 49. 50. Dictis quae dici debebant de aurea aetate, redit ad praesens tempus, ut claudat totum. — Nunc Iove sub domi-

no, postquam evanuit iste felix mundi status, postquam igitur mella decussa foliis terraque cessavit omnia sponte ferre, cf. VIRG. Georg. I, 129 sqq., et divisio rerum exstitit et habendi cupiditas. — Nunc mare. LACHMANNUS noster olim ad Propertium p. 95. coniiciebat: *apertum nunc mare;* hodie credo retinere malit v. semper, quo aegre hic careamus. Ex altera parte lectionem: *leti multa reperta via* LACHMANNUS et alii monuerunt a correctoribus Italis esse excogitatam. Non quaerunt homines mortem et parare sibi student, ut nunc reperire viam mortis dici possint, notante WUNDERLICHIO. Quae cum ita sint, nihil restat quam ut verba: *nunc mare* praegnanti sensu dicta accipiamus pr. nunc maris et navigationis pericula sunt, ut HEYNIUS explicat aliique. — Locutionem leti viae exemplis illustrat LACHMANNUS ad Propert. p. 95. Conf. etiam BURMANN. ad Valer. Flacc. I, 502. Sic ACHILL. TAT. IV. p. 160: *τοσαῦται τῶν θανάτων εἰσὶν ὁδοί*, laudante MITSCHERLICHIO ad Horat. I, 3, 17. — repente (*mit einem Male*), non adiectum quia Tibullus repente in morbum incidit, ut WUNDERLICHIUS censet, sed ipsius sententiae terrorem per se eximie id auget. Nec HUSCHKIUM refuto, qui *repente* pr. repentinae accipit et cum nihili sint viae repentinae, morbos repentinos substituit, ut scilicet postremo haec exsistat ieiuna sententia: Nunc multi repentini morbi. Satis de his. — V. 51. 52. Postremo subiicit preces: Parce, pater, serva me, Iuppiter. Hunc enim intelligi res ipsa docet; proxime praecessit hoc nomen, non Plutonis, qui alienus est. — periuria, grave crimen; unde Graecis *εὐορκία* omnino pr. pietate et probitate dicitur. Apud Romanos autem censores de nulla re diligentius quam de iureiurando iudicabant, cf. CIC. de Off. III, 31. GELL. Noct. Att. VII, 18. LIV. XXII, 61. XXIV, 18. CIC. pr. Cluent. 48. Ceterum conf. MITSCHERL. ad Horat. II, 8, 1. — impia verba, blasphemiae, ut infra II, 6, 18. III, 5, 13. Confert WUNDERLICHIUS Soph. Ai. 128. — timidum non est religiosum ut OVID. Met. V, 100. quo sensu genitivus *deorum* abesse nequit; neque est per prolepsin dictum pr. ut timeam, quod hic ieiunum esset, sed hoc vult, bene monente WUNDERLICHIO: Serva me, Iuppiter, non mihi criminis sum conscius; cum saluti meae timeo, non est periuriorum conscientia et metus poenarum futurarum huius timoris causa. Affe-

runt interpretes morbos graves et mortes praematuras pro poenis scelerum habitos (vide etiam Barth. Advers. XLIV, 26); nam dignum se haberet morte Tibullus, si quid commisisset gravius. Nunc nihil huiusmodi fecit, nec cadit in eum res; potest tamen fato constitutus esse finis vitae. Atque ita sibi transitum parat ad sequentem partem carminis. Mortem timeo, ait, remotus a patria cum sim et procul a meis in peregrina terra, et hinc preces facio, non timore poenarum imminentium, qui in futura vita gaudia potius exspecto. Quodsi tamen iam nunc explevi fatales annos, mortis tristis rationem lapis indicet viventibus, ipse vero a Venere ductus in Elysium ibo. Ita enim haec nexa sunt.

V. 53-82. Pars altera carminis. Mythici loci de Elysio et Tartaro. Poeta, si moriendum sit, consolatur animum infernarum rerum cogitatione.

V. 53-56. Prima duo disticha in transitu sunt ad locum ipsum. — Fac stet. Mandat haec ut vides Iovi, cum alium, cui mandaret, non haberet in peregrina terra. Comparat Wunderlichius Soph. Ai. 823-831., ubi Aiax vim sibi illaturus a Iove precibus expetit, ut Teucrum de morte sua certiorem faciat. — lapis, marmor hoc titulo inscriptum. Si praefers emendationem *scriptus*, erit *scriptus notis* pr. inscriptus, cf. Ovid. Heroid. XIV, 128., aliaque allata a Wunderlichio, qui etiam Graecum *γράφειν* Eurip. Phoeniss. 583. comparat. Notabis praeterea *scribere* de sculptura dictum, vid. Drakenb. ad Liv. IV, 20. et interpretes ad Ovid. Heroid. l. cit. Ad rem conf. Horat. III, 11, fin. Stat. Silv. I, 3, 9. — stet super ossa. Aut de sarcophago cogitandum esse monet Heynius aut de columbario vel cinerario, quo reponenda urna, apposito titulo in marmore. — V. 55. immiti, utpote immatura. Dicitur eadem vulgo acerba, *θάνατος ἄωρος*, cf. Ian. Gebhardum. — dum sequitur, h. e. fidus comes Messalae patroni occubuit laudabili in officio. Ceterum de collocatione verbi cf. ad I, 1, 51. — V. 57 sqq. Nunc accedimus ad mythicum locum ipsum. — facilis, obsequiosus. tenero vero non ad puerile corpus Amoris refer, quod otiosum hic esset epitheton, sed ad animi sensus, cf. ad I, 1, 46. — Ipsa Venus. Vulgo Mercurius ducebat defunctos, tamen etiam alii dii amatos ducunt, ut hic Venus, cf. Comment. nostr. ad Pind. Ol. II. p. 38.

Adde ANTHOL. LATIN. T. II. libr. IV. ep. 13. v. 27. laudante HEYNIO. Pulchre finxerunt blandos tales ad tollendum mortis metum idoneos ψυχοπομπούς. — Elysii vero campi nunc in Orco sunt, qui apud posteriores ex Elysio et Tartaro constat, vid. Voss. ad Virgil. Georg. I, p. 61. — V. 59 sqq. Sequitur iam descriptio horum locorum accommodata huius elegiae rationi, quemadmodum idem in aureae aetatis descriptione vidimus factum. Atque ut primum de Elysio moneam, talis hic depingitur beatitas, qualis *amanti* iuveni convenit, qui ereptus praemature amoribus, iucundiores alios huiusmodi post mortem sperat in amoenissimis locis lusus. De Tartaro infra videbimus. — Hic choreae cantusque vigent. VALER. FLACC. I, 844: *Ubi sol totumque per annum durat aprica dies thiasique chorique virorum carminaque.* Add. VIRG. Aen. VI, 644. PROPERT. IV, 7, 61 sqq. Ad *vigent* WUNDERLICHIUS confert Eurip. Herc. fur. 759: χόροι, χόροι καὶ θαλίαι μέλουσιν Θήβας ἱερὸν κατ' ἄστυ. — tenui nunc additum ad suavitatem sonorum significandam. Ceterum vulgo perpetuum quod dicitur epitheton, cf. OVID. Amorr. I, 13, 8. al. Sed primo adspectu fortasse varietatem maiorem rerum hic requiras, et vituperes poetam quod post Manium choreas cantusque etiam avium ubique vagantium carmina laudaverit. At enim consulto cumulat molles has voluptates loci amoenissimi, de quo mox iterum dicam. — V. 61 sqq. Fert casiam non culta seges. Translata vox *seges*, quae proprie frugibus accipiendis destinatam et aptam vel consitam terram significat, cf. ad IV, 1, 172., ad tales agros, in quibus frutices casiae sponte nascuntur, quemadmodum de ipsis casiae fruticibus usurpatur a CLAUD. de Nupt. Hon. et Mar. 94: *Hic casiae matura seges, Panchaia turgent cinnama.* Add. Tib. IV, 2, 18. Quae WUNDERLICHIUS contulit. — *casia* est arabica, virgultum cortice bene olente insigne, Laurus Cassia ut videtur (*der wilde oder Mutterzimmet*). Vide HEYNIUM. Apud PIND. Fragm. Thren. I. λίβανον in Elysio habes. — Porro terra benigna, fertilis, ut notum. Cf. III, 3, 6. OVID. Amorr. I, 10, 56. Plura dat VULPIUS. Denique rosas in Elysio idem PINDARUS l. cit. laudat et PROPERT. IV, 7, 60. Admoneam vero simul Veneri in deliciis rosas fuisse, Ἀφροδίσιον ἄθυρμα dicit ANACR. 53., adde nos ad PINDAR. Pyth. V. p. 258., quemadmodum contra Pindarus in Threno illud

spectasse videtur, quod mortuis etiam sacer flos erat. Nam in his fictionibus alias aliud sequuntur poetae, minimeque etiam si similia afferunt, est causa ubique eadem. Apud Tibullum vero vide quam pulchre ad id conspirent omnia, ut locus ad amores factus depingatur. Nam hi odores, cantus avium, defunctorum choreae et carmina, nonne eiusmodi sunt omnia, quibus molliores affectus excitentur et alantur mirifice? Mirumne quod in tali loco Amor proelia miscet? Quae cum ita sint, apparet duo quae legimus disticha propter tertium posita esse, ad quod nunc accedimus. — V. 63. 64. At iuvenum series — ludit. De saltatione cogitari non debet, quia de choreis in Elysio modo dictum est. Describit nunc proelia iucunda amoris, qualia iste locus habet. Ita etiam Mitscherlichius intellexit ad Horat. I, 6, 17. Cogita igitur iuvenum seriem et puellarum variis lusibus amatoriis se delectantes, illos impetum facientes in has, penetrantes, oscula rapientes, iocantes alium cum alia. Huic sensui oratio ab omni parte apta. Coniecturas *innexa* et *implexa* refutarunt Santenius in Bibliotheca crit. p. 71., Huschkius et Wunderlichius, quos vide. Denique optime a Lachmanno *at* restitutum pr. *hic;* opponitur enim hoc distichon commode antecedentibus, quia pergit ad id, cuius causa antecedentia posita. — miscet. Propert. II, 27, 8: *Cum Mavors dubias miscet utrimque manus.* Ceterum constat etiam de certantibus ipsis locutionem usurpari, ut Virg. Georg. II, 282. III, 220. — V. 65. 66. Absoluta Elysii descriptione ipsa, restat ut *praesens Tibulli casus* eo revocetur, propter quem dicta sunt priora omnia. Idque fit. Bene nunc positum illic. Porro myrtea serta suaviter additum; quis nescit myrtum Veneri sacram fuisse? Et insigni est ornata his ipsis sertis. — Atque haec hactenus. Alias descriptiones nunc non comparo, quodsi tamen Virgil. Aen. VI, 637 sqq. inspexeris, observa quid inter epicam et lyricam fabularum tractationem discriminis intersit, de qua re ego ad Pindarum disputavi Tom. I. p. LIV. — V. 67 sqq. Sequitur *Tartari* descriptio. Credat aliquis nonnisi per associationem idearum quam dicunt poetam huc delapsum, atque ut etiam de opposito dicatur, cum de Elysio dictum sit, nec dubito multis ita visum. Tu caveas ab errore tali, qui digressionem inanem inferat in pulcherrimum carmen. Verum consilium poetae apertum. Nam ut

gaudia sua futura in Elysio depinxit, sic nunc rivalibus, qui maligna fascinatione nocuerunt, poenas Tartari imprecatur, ipsamque Deliam admonet leniter ne fidem laedat. Quod vides quam apte positum sit. Facilius enim feret mortem et tranquilliore animo ad umbras descendet, si etiam rivales istos pessimos credere licet punitum iri; sin redibit domum incolumis, quam rem in ultima parte carminis tractat, quid magis in votis habere debet, quam ut fidam et castam reperiat Deliam? Diximus de nexu loci cum reliquo carmine; tractationem explicatio sequens illustrabit. — V. 67. s c e l e r a t a s e d e s, ut Ovid. Met. IV, 455. Adde cum Livineio et Vossio *sceleratum limen* Virg. Aen. VI, 563. — i a c e t a b d i t a pr. est abdita, nisi quod *iacet* profunditatis significationem adiuvat. Ovid. Met. II, 179. — i n n o c t e p r o f u n d a, cum Elysium contra solem habeat, quo collustretur. — q u a m c i r c u m f l u m i n a n i g r a s o n a n t. Apud Virgilium Phlegethon Tartarum ambit, Aen. VI, 550. Habet enim Tartarus propria munimenta, et diversae sunt undae, quae totum Orcum includunt et ab omnibus umbris traiiciuntur. — V. 69. T i s i p h o n e q u e s a e v i t. Intus, ait, Tisiphone, carnificis munus habens, flagello exagitat sontes, cf. Virg. Aen. VI, 570., et taedis ardentibus, ut additum in Culic. 217. aliasque, cf. Brouckhus. — i m p e x a p r o c r i n i b u s a n g u e s, habens in capite pro crinibus angues horridos et impexos. Colubrino capillitio terribiles furias fecerunt omnes poetae. Ceterum constructio est ut *incomta capillos* III, 2, 11. et *implexae angues Eumenides* Virg. Georg. IV, 482., similia. — e t h u c i l l u c t u r b a f u g i t. Non dixit: et huc illuc turbam fugat, quia non pellere vult Tisiphone sontes, sed ipsi fugiunt. — V. 71. 72. Qui obiter talia inspiciunt, querantur iterum negligentiam poetae et perversum rerum ordinem; sic enim dicendum fuisse ut post flumina Cerberum ante fores memoraret, postremo Tisiphonen intus. Ac dixisset certe ita geographus bonus. Aliter vero poeta nunc iudicavit, qui situ loci et fluviis ambientibus memoratis statim in interiora nos ducit, ut Tisiphonen videamus saevientem et fugientem huc illuc turbam, tum demum in porta etiam Cerberum monstrat. Qua de causa? Nimirum sic gradatio eximia descriptionis exsistit, efficiturque ut post cognitam furiae persequentis saevitiam novus terror tibi oriatur eo, quod effugere non possunt

damnati, excubante ante fores Cerbero. Quae enim ante cognitam poenae rationem nos commovet, nunc post cognitam eam maxime terribilis videtur inclusio. Quare plane lyrica est haec adornatio rerum. Novavit vero hoc Tibullus, etiam Heynio notante, quod ante ipsum Tartarum Cerberum collocavit, qui vulgo sub Orci ingressum habitat. Videamus nunc orationem in singulis, nulla reprehensione dignam, sed ab omni parte consilio poetae accommodatam. — V. 71. Tunc. Wunderlichius confert Virg. Aen. IV, 250. Usurpant in descriptionibus ad vigorem orationis, quod etiam hic apprime aptum. — niger, veluti Stat. Theb. II, 28. Similiter *atrum* dixit Senec. Herc. Oet. 23. et *atras aures* eius Horat. II, 13, 34. — serpentum ore stridet. Bene orationem illustrat Wunderlichius. Centum in iubis colli villisque capitis gestabat angues saevus canis, cf. locos ap. Brouckhusium et Voss. ad Virgil. Georg. IV, p. 894; horum sibilum regens arbitrio suo *stridet serpentibus*, ut Virg. Aen. VII, 447: *Erinnys sibilat hydris*, et Propert. III, 5, 14: *Tisiphones — furit angue caput.* Proprium vero stridere et sibilare est serpentium, unde ap. Sil. It. VI, 177: *stridor Cerbereus.* Hesiod. Theog. ῥοιζεῖν dicit notante Huschkio. Porro *ore* dictum pr. oribus. Confert Wunderlichius Virg. Georg. III, 273. IV, 200., ubi tamen distributive poeta loquitur, ut saepe faciunt. Melius comparaveris Horat. II, 19, 31. *ore trilingui* de Cerbero, et infra IV, 1, 71. *saevo ore* de Scylla sex ora habente. Est vis quaedam in hoc collectivo nomine. Alias saepe latratus Cerberi memoratur; Tibullum vides sibili anguinei horrorem praetulisse. — in porta. Necessaria haec verba fuerunt propter oppositionem antecedentium. Certissimum enim Tartari portam intelligendam, non antri Cerberei, cuius nulla in antecedentibus fuit mentio; quare errat Huschkius sine dubio, qui quod Sophocl. Oed. Col. 1568-73. comparat; de eo, mihi crede, non cogitavit Tibullus. At enim, ais, sequitur hic ante fores. Miror maximopere eam repugnantiam visam viris doctis. Est *porta* introitus s. spatium totum inter muros s. postes, per quod intratur; doceri igitur cupiam cur non in hoc introitu iacere potuerit Cerberus ante fores s. valvas. Tamen, pergis, cur omnino pentametrum addidit, cum sufficeret hexametri sententia? Amplificationis causa, aio, addidit, propter quam nunc cumulate

loquitur. Licebat Tibullo brevius loqui sic: Tunc niger in porta Cerberus serpentibus stridens excubat; sed noluit; divisit totum consulto et duo verba finita posuit, ut amplificaretur descriptio custodiae saevae inclusionisque. Audio, ais; at non satis nervosus est pentameter, probarem omnia, si modo adverbium, veluti *acriter*, additum esset verbo excubat. Sed vide quam bene alio modo praestiterit etiam hoc Tibullus, qui adiectivum aeratas addiderit, atque ita revera nova vi sententiam auxerit, ne moneam te etiam verba sensu differre. Nam ut *stridet in porta* hoc significat: terret in porta stridens, sic verbum *excubat* exhibet die noctuque custodiae intentum. Quae cum ita sint, recte omnia dicta vides nec quidquam reprehensione hic dignum. Conferes simul quae in Dissertatione de Elocutione Tibulli de hoc aliisque locis notavi. — V. 73 sqq. Post generalia pergit ad peculiares quasdam celeberrimorum damnatorum poenas indicandas. De Ixione vid. PIND. Pyth. II, 33 sqq. — noxia membra, praedicato personae ad corpus translato, cf. I, 2, 73. — celeri rota, *ἐν πτερόεντι τροχῷ*, ait PIND. Pyth. II, 22. ubi plura vide a me laudata. Adde EURIP. apud Plutarch. de Aud. Poet. p. 17, E. p. 73. Wyttenb., et Voss. ad Virg. Georg. IV. p. 895 sqq. — V. 75 sq. De Tityo, qui porrectus novem per iugera, HOMERUS: *ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.* terrae addit Tibullus oppositionis causa; nam Tantalus est circumdatus stagno. — aves, vultures duos, secundum HOMERUM, VIRGILIUS autem Aen. VI, 597. unum dicit. Uterque sectatores suos habuit, cf. BROUCKHUSIUM. — assiduas, proprie accipe. — atro viscere, *σπλάγχνοις*, iecore, quod *μέλαν ἧπαρ*, nigricans, dicit MARCELLUS SIDETES in Fragmento de Piscibus v. 94. notante VULPIO, qui etiam MACROB. Somn. Scip. I, 6. laudat. Sed longe praestat cum VOSSIO de tabo atro adesi iecoris cogitare, ut ap. AESCHYL. Prometh. 1025. in simili re est: *κελαινόβρωτον δ' ἧπαρ ἐκθοινήσεται* (aquila). Sic lyricum habemus epitheton, poenae graviter depingendae aptum; altera ratio epicae orationi magis conveniret quam huic elegiacae. — V. 77 sq. Tantalum ferebant Pelopem filium diis comedendum apposuisse, ut constat, de qua re PINDARUS dixit Ol. I. — circum stagna sc. sunt. HOMER. Odyss. XI, 583. *ἑσταότ' ἐν λίμνῃ* dicit. Est igitur *circum* pr. circum eum. Ac vel ante accusativum adverbialiter talia

poni ostendit WUNDERLICHIUS e SUETON. Aug. 42. TACIT. Ann. I, 10. quod tamen Tibullus non fecit. — deserit sitim ornate pr. deserit sitientem cf. ad I, 2, 11. PROPERT. III, 5, 4: *nec bibit e gemma divite nostra sitis.* — V. 79 sq. Danai proles, Danaides non omnes, sed eae quae maritos suos interfecerunt. Ceterum res nota, cf. APOLLOD. II, 1. et interprett. ad HYGIN. 168. — Veneris numina laesit, ut laeduntur dii legitimo usu dicendi ab amantibus, coniugibus, qui fidem datam fallunt, cf. I, 9, 6. OVID. Heroid. II, 43. Ceterum Venerem constat etiam coniugiis praefuisse, cf. BROUCKHUS. — in cava dolia, *πίθον τετρημένον* dicunt Graeci, cf. PLAT. Gorg. p. 493. B. HEMSTERHUS. ad Lucian. Dial. Marin. VI. Bipont. T. II. p. 367. HORAT. III, 11, 26. Vide praeterea de hac fabula BOETTIGERUM in Archaeolog. Pictur. p. 362 sqq. — V. 81 sq. quicunque meos violavit amores, h. e. fidem amatae labefactare tentavit, ut recte explicat WUNDERLICHIUS; sequuntur enim mox verba: *at tu casta maneas.* Est vero *laedere, violare amores* aut amantium, qui fidem non servant, ut I, 9, 1. 19., aut eorum, qui amicas corrumpunt aut corrumpere tentant, vel alio modo violant, ut OVID. Met. IV, 191. Vid. HEYNII Observatt. ad I, 2, 91. — optavit lentas mihi militias. Optime monet HEYNIUS de votis malignis et fascinatione rivalium cogitandum esse, Tibullo pro superstitione istius temporis morbum suum rivalium quorundam malignitati tribuente, qui hoc expetierint a diis precibus aut carminibus magicis, ut tempus haberent ad corrumpendam Deliam. Ceterum *militias* dicit, non *militiam,* varias terras et regiones respiciens, ubi militandum esset cum Messala. — Haec hactenus. Iam enim singulis enarratis de universa sententia distichorum proxime antecedentium restat ut moneamus. Cur igitur de poenis hisce et damnatis dixit? Legisti modo verba in rivales dicta, ac non iam dubitabis huc pertinere omnia. Nam Ixionem quidem manifesto propter rivales commemoravit; ut hic Iunonem tentare ausus est, sic isti Deliam, poetae foedere amoris iunctam. Denuntiat igitur hoc exemplo rivalibus similia molientibus poenam futuram. Sed cur Tityum et Tantalum addit? Ita censeo: Si haec nomina plane aliena essent a praesenti re, non bona foret collocatio rerum; erat enim ex hac ratione initium ab his potius nominibus faciendum, tertio vero loco Ixion memorandus,

ut non a propiori ad remotiora, sed a remotioribus ad propius pergeret oratio, atque ita commode succederet epiphonema: Illic sit quicunque meos violavit amores! Nunc autem alius ordo nominum habetur, et poeta cum Ixionem in principio posuerit, hoc modo simul sequentium rerum sensum et rationem indicare censendus est, quae iam ad idem consilium revocandae sunt. At enim, obiicies, non conveniunt omnia, atque ut Tityi culpa similis sit, Tantalus certe in alio genere peccavit. Recte; quare ego eos non propter crimina quae tacet poeta et non curat, sed propter poenas additos censeo, quas patiuntur. Nempe hoc est quod dicit: *Imprecor rivalibus Ixionis corruptoris poenam, aut Tityi Tantalive cruciatus, qui non minus iis convenirent.* Quod ne inane tibi videatur verbum, considera mecum has poenas. Ixion rotae illigatus versatur perpetuo, ut quem amoris curae assidue versant, quod est στρέφεσθαι, δονεῖσθαι Graece, cf. ad I, 5, 3. Sic PLAUTUS Cistell. II, 1, 4. dicit: *iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser.* Porro sedem affectuum et cupiditatum iecur (LAMBIN. ad Horat. I, 13, 4. IV, 1, 12. MITSCHERL. ad III, 4, 77. VALCK. ad Eurip. Hippol. 1070.) Tityus, quoties ei succrevit, toties absumptum habet, et siti inexplebili laborat Tantalus. De quibus rebus pulchre dixit WELCKERUS meus in libro de Trilog. Aeschyl. p. 551. Sunt igitur aptissimae hae poenae omnes corruptoribus Deliae libidinosis, quos par est agitari et cruciari siti, desideriis, cupiditatibus, libidinibus nunquam cessantibus et quibus nullo tempore satisfiat, ut puniantur quemadmodum peccarunt. Ac docebo similiter plus semel in sequentibus, poenarum minas criminum rationi accommodari ingeniose. Quare optime hic omnia a Tibullo posita sunt. Restat denique ut de Danaidibus verbum addam, quas feminas non esse propter rivales istos commemoratas per se patet. Sed ut HORATIUS Od. III, 11. in Lydes admonitione amatae hoc exemplo utitur, sic nunc a Tibullo Deliam puta tecte leniterque moneri, quae fata maneant culpas puellarum etiam sub Orco. Accommodata enim visa est haec poena puellae infidae, quae postremo servilia munera molestissima subire debet, ut alias paupertatem in senectute et lanae opificium ad vitam tolerandam talibus puellis praedicit, cf. I, 6, fin. De Danaidibus cf. OVID. in Ibid. 355: *Quaeque parare suis letum patruelibus ausae Belides*

assidua colla premuntur aqua. Add. Propert. II, 1, 67: *Dolia virgineis idem ille repleverit urnis, ne tenera assidua colla graventur aqua.* Qui loci satis probant recte nos explicare Tibullum. Agit vero hic nunc, ut dixi, leniter. Nam aperte quidem non eloquitur quid his velit, ut in miti cohortatione, dixit tamen quantum ad intelligendum satis. Vide enim nunc sequentia verba: **At tu casta, precor, maneas,** quae huc pertinent manifesto, licet eadem simul ad ultimam partem carminis transitum praebeant, quae sola iam restat enarranda.

V. 83-ad finem. **Exitus. Oblitus periculum mortis, reditus spem concipit, illumque diem animo proponit, ubi primum intrans Deliae domum, obviam eam currentem habiturus sit.** —

V. 83 sqq. Observabis sic veniri ab antecedente loco ad hunc, ut vix animadvertatur transitus. Quod hic quidem consulto factum optime, ubi missis infernis rebus cogitatio poetae quasi ipsa nesciens ad vitae spem redit. — **casta,** quasi in coniugio, uno me viro contenta. Est enim castitas libertinarum, quae uni amatori fidelis, velut I, 6, 67. — **sancti,** non profanandi. — **anus,** mater Deliae, cf. I, 6, 57. — **Haec tibi fabellas referat,** ut fit inter mulieres, cf. Ovid. Met. IV, 40. Virgil. Georg. IV, 345. — **posita lucerna,** h. e. apposita. Confert Vulpius Ovid. Heroid. XIX, 151: *sternuit et lumen; posito nam scribimus illo.* Adde Propert. II, 15, 3. Ceterum apparet ex his verbis extrema aestate et sub auctumni initium carmen scriptum esse, optime notante Vossio, qui annotationem suam ad Virgil. Georg. I, 291 sqq. laudat. Coeptos ad lumina labores post Volcanalia d. XXIII. Aug. acta; quodsi Maio mense post ortum Pleiadum in Asiam profectus esset Messala, non potuisse ad lucernam sedentem Deliam a Tibullo reverso deprehendi. — **longa,** ut fit sedulo in opere. Describit enim qualem statum rerum deprehendere cupiat. Ne extra domum sit Delia, ait, sed domestico in opere et sermone sedeatis ad lucernam, uti placet in mulieribus. Compara suavem locum ap. Terent. Heautontim. II, 3, 39 sqq. quamquam non credo cum Huschkio ex illa Menandri descriptione Tibullum sua hausisse. — V. 87 sqq. **circa** de sedente una nec eunte ancilla dictum esse, non debebat in mentem venire cuiquam. Recte monet Wunderlichius

Deliae fortunam nos ignorare. Igitur puella pr. plurali est ut *puer* et *iuvenis* I, 2, 95. *virgo* Sil. Ital. II, 84. *λεύκασπις φώς* Soph. Ant. 106. aliaque multa talia poetis familiaria. Adde Lachmann. ad Propert. pag. 237. — gravibus pensis, propter pondus, cf. Propert. IV, 7, 41. Ovid. Heroid. X, 90. Non tamen poenae causa. — affixa, intenta nec interrumpens laborem. Ovid. Met. IV, 35. *haerent telae.* Ianus Gebhardus confert Quintil. Declamat. VI.: *Alioqui semper estis intra domum, uno plurimum in loco, levibus officiis affixae.* — paulatim remittat opus, ut sera iam nocte; fingit suaviter tale tempus, ubi inopinatus adventus. Ceterum *remittit*, cui lassae sponte excidit paulatim opus. Ovid. Fast. II, 755. Met. IV, 239. Heroid. XIX, 197. — caelo missus est qui subito adest, insperatum gaudium aut auxilium affert, cf. Vulpium, interprett. ad Iuven. II, 40. Dorvill. ad Charit. p. 133. Wunderlichium, qui etiam Forcellin. s. v. *caelum* laudat. Aliud est *e caelo mitti*, veluti infra IV, 13, 13. — V. 91 sq. qualis eris. Comparat Wunderlichius Ovid. Met. IV, 473: *Tisiphone canos ut erat turbata capillos,* et Claud. Epith. Pall. et Celer. 28. de Venere somno excita: *utque erat indigesta comas, turbata capillos.* Add. Ovid. Fast. I, 424. Met. VI, 124. 657. — nudato pede, soleis prae festinatione relictis. Vid. Blomfield. ad Aesch. Prometh. 138. et confer nos ad Pind. Nem. I. p. 366. — V. 93 sq. hunc illum; notat *hic* diem paullo ante descriptum, *ille* vero praestantiam eius. Confert Wunderlichius Virg. Aen. VII, 255. et 272: *Hunc illum* (Aeneam) *poscere fata reor.* — Luciferum h. e. diem. — candida, fausto lumine splendens. E Graecis notum *λευκὸν φάος*, *λευκὸν ἦμαρ*, ut Soph. Ai. 699. Aesch. Pers. 299. Sed *niveam lucem* vulgo non dicunt Latini, ut Lygdamus fecit infra III, 3, 25. — roseis equis, veluti Virg. Aen. VII, 26: *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.* Memineris tamen hic simul laetum diem roseo colore significari. Observabis enim egregie cumulata similia verba, *nitentem, candida, roseis*, ut in re laetissima, felicissima decet affectum. Ceterum confertur Ovid. Amorr. II, 11, fin. Epist. ex Ponto I, 4, extr. —

ELEGIA IV.

INTRODUCTIO.

Tibullum, quo tempore Deliam amabat, aliis vacasse amoribus minime probabile est; tam ardentem ille et constantem puellae suae prodit amorem ut iniuriam ei facias, si hoc tempore alium huiusmodi lusum ab eo foveri et cani potuisse credas, qui etiam in discidio non potuerit dimittere puellae cogitationem (I, 5). At postquam cessaverat Deliae amor, vacuus melioribus sensibus ad frivolas res delapsus est, et ut infra v. 74. Titium fingit, cum in puellae amorem inciderit, a puerorum consuetudine avocatum, ipse cum puellam non haberet, in pueri amores incidit, ex quo genere tria carmina adsunt eleganti dictione conspicua. Nam plane fictos esse hos amores minime credibile in tali poeta, qui nihil, opinor, fictum de se cecinit, sed fuit tempus vitae, quod argumenta praeberet his elegiis. Sic in proposito carmine cum Marathi profiteatur amorem, fuit ei haud dubie tum amor pueri cuiusdam difficilis, quo occupatus hanc artem amandi scripsit, nec aliter se res habet in ceteris. Sed nomina non curamus, rem spectamus unice. Quod igitur Marathum, qui Eleg. IX, 69. Pholoen quandam amat, Cyrum nonnulli censuerunt Horatianum esse (Horat. I, 33), fidem denegarunt huic coniecturae iam alii; sunt haec poetica nomina, ut Delia, Nemesis, Cynthia, tot alia. Post haec propius ad argumentum elegiae sequentis accedimus. Introitus ad Priapum est, qui de amoribus puerorum consulitur, qua ratione capiendi sint. Sequitur deinde dei oratio. Ac primum hic generale praeceptum dat ut perseverantia adsit; posse etsi primo neget, diuturniore studio vinci puerum, si non tardus sis nec omittas quidquam quod opportunum. Deinde ad specialia progressus duas maxime res commendat et persequitur, obsequium et blanditias carminum, damnat vero munera, cum nihil turpius sit avaritia puerorum. Fi-

nita hac oratione in exitu carminis narrat poeta pro Titio se consuluisse deum, quem tamen nunc coniux a talium rerum cogitatione avocet. Quare iam aliorum usibus divina haec praecepta offert, magistrum se profitetur artis amandi, et de gloria magisterii futuri magnifice loquitur. Sed ecce subito amoris recordatur, quo ipsum Marathus iam diu torqueat, et qui aliis modo opem promittebat iactabundus, eum iam sibi ipsi patet opem ferre non posse; irritas sentiens omnes artes dolosque precibus adit puerum, ut sponte parcat et mitis fiat, nolitque risui publico exponere poetam cum praeceptis suis. — Videamus nunc quae sit poetica harum rerum ratio. Etenim si non adesset hic exitus, nonnisi didacticum haberemus carmen; tale vero Tibullus scribere non potuit; licet praecepta amoris dentur, debuit nihilominus elegia fingi et elegiacae poeseos observari ratio. Quod quomodo factum sit, iam propius considerare iuvat. Primum igitur specialis fingitur causa rei; cum enim quae proprie didactica sunt carmina, omnibus scribantur neque aliam causam habeant quam ut quicunque legere velit doceatur, hic contra Titius quidam esse dicitur, qui sibi expetierit ista praecepta in suum usum, et cum hic uti iis non possit, ita demum aliis offeruntur. Quaeras vel sic cur Titio opus fuerit in hac re, cur non de sua potius causa poeta consuluerit deum, cum ipse etiam amore tali laboret. Respondeo etiam alia commoda habere alteram fictionem, ex qua suum amorem nonnisi in fine recordatur aliisque magister esse vult, donec repente in eodem laqueo meminerit se ipsum haerere. Vides enim hoc modo suavissimam oppositionem rerum exsistere, cum iactantiam magistri mox angustiae sequantur gravissimae. Hae autem magistri gloriabundi angustiae etiam porro observa quam vim in universa ratione carminis habeant, cum nunc ad irritum cadere videatur tota theoria antecedens. Nimirum manet praeceptis aptissimis honos quem merentur, sed tollitur suaviter principatus theoriae, tollitur gravitas didactici carminis, fitque elegia, quae aliter nulla erat. Nam cum in didactica poesi theoria summum sit, elegiae argumentum sunt ipsae praesentes voluntates, sensus, gaudia, dolores, certamina amantium et in his declarandis propria vis eius inest. Debuit igitur etiam propositi carminis ratio huc revocari, idque iucundissime factum. Cum enim poeta, qui modo magistrum

se amoris professus est gloriabundus, repente cum gravi dolore theoriam ne sibi ipsi quidem prodesse sentiat, summam carminis ad *querelam* elegiacam redire vides, fastidio Marathi omnes artes eludente. Quod denique in fine preces subiiciuntur, agnosces etiam in hoc legitimum exitum elegiae, siquidem etiam alias spes melioris fortunae claudere haec carmina solet.

EXPLICATIO.

V. 1-8. Introitus. Poeta Priapum consulit, quibus artibus puerorum animus ad obsequium pellici possit.

V. 1 sq. Priape. *Παιδεραστήν* eum exhibet Lucian. Dial. Deor. XXIII. Vide etiam in Antholog. Lat. T. II. inter Priap. epigr. V. et LXXXIII. — Sic. Nota vox in precibus et obtestationibus, ubi alteri quo lubentius praestet id, quod petimus, quae ipsi grata et accepta sunt, vicissim exoptamus, cf. infra II, 5, 121. 6, 30. Vide Lambin. ad Horat. I, 3, init. Heindorf. ad Sat. II, 3, p. 331. Sensus formulae ubique hic est: Sic, hac conditione opto tibi hoc illudve, ut dicas, facias; constructione vero omittitur particula *ut* et subiicitur quod expetitur, absolute et sine ea hoc modo: Sic opto tibi illud: dic, fac. Ad quam normam omnes loci explicandi. — umbrosa tecta. Stabat Priapi signum aut sub dio expositum iniuriae aëris, cf. Priap. epigr. 64. Anthol. Lat. T. II., aut sub arborum coma ramisque patulis, vid. ibid. epigr. 83. Atque talia umbracula arborum nunc optat deo. — capiti, tibi. Partium corporis omnium maximam caput dignitatem habet. — noceantque, de collocatione verbi cf. ad I, 1, 51. — V. 3 sq. formosos, Graece *τοὺς καλούς*. Hos igitur qua arte capis, cum cultu corporis placere non possis? — coma est. Cum praecesserit barba, copula post *coma* ad vim oppositionis adiuvandam adiecta est, nec abesse debet. Vide ad I, 1, 34. — V. 5 sq. producis, ut Propert. I, 3, 39: *O utinam tales producas improbe noctes.* Dicitur, ut constat, verbum de iniucundo tempore, quod

longum videtur, ut hic, et de iucundo, quod cupimus esse longum, genio indulgentes, ut TERENT. Adelph. IV, 2, 52. MARTIAL. II, 89. Cf. RUHNK. ad Rut. Lup. II, p. 100. Nota praeterea sunt: *ducere, trahere, extrahere, extendere, tendere, educere,* vid. BURMANN. ad Valer. Fl. Argon. I, 251. et ad Ovid. Met. I, 683. notante etiam HEYNIO. — tempora sicca. Confert WUNDERLICHIUS Horat. III, 29, 20. *siccos dies,* ubi vid. MITSCHERL. Sic *Σείριος ἀζαλέος* HESIOD. Scut. 153. et *siccus canis* PROPERT. II, 28, 4. — V. 7 sq. Bacchi proles, et Veneris, ut plerique tradunt. — Addit deinde poeta ad pentametri ornatum aliam novam designationem Priapi, cui quod inserta sunt verba: sic mihi, offendere non debebat, cum per totum locum quasi una sit non interrupta orationis perpetuitas. — curva. Designatur deus ex habitu solemni, quare etiam epitheton falcis hic quidem ex eorum genere esse debuit, quae perpetua dicunt. *Minante*, quod VOSSIUS audacter intulit pr. *sic mihi* scribens *falce minante*, hoc igitur uti aptum foret supra I, 1, 18. ita alienum dico ab hoc loco, ubi nonnisi maxime generalia requiruntur; at quod furibus avibusque perniciem minatur falx, haec specialis res est, cuius cognitio nunc inutilis. — respondit. Saepe loquentem inducunt Priapum veteres; cuius rei quaenam causa? Credo quod ignobilior deus, qui ubique in hortis staret, familiaritatem quandam maiorem cum hominibus contraxerat; quare ut hi saepius eum alloquebantur, ita ipse etiam amabat loqui cum iis. Et nunc quidem consulitur a Tibullo; neque tamen ideo fatidicis diis accenseri debet qui oracula non habebat. —

Praecepta Priapi.

Si statim se redderent pueri omnes formosi, praeceptis et arte magna opus non esset; nunc autem saepe difficiles sunt nec sine opera vincuntur. Quare opus praeceptis. Docetur igitur quomodo vel reluctans puer tandem sub iugum redigi possit.

V. 9-38. Praeceptum generale.. Melius sit omnino non incidere in amorem puerorum, dicit Priapus, si tamen incideris, ante omnia constantia tibi et pertinacia opus, qua etiam durissima postremo superantur. Non igitur absistes molestiae taedio, sed

persequeris propositum intentissime, nihil omnino ac ne iusiurandum quidem fugiens, ubi utile videbitur. Quodsi tardus eris nec quovis tempore, quavis occasione opportuna uteris, non capies pueros, et transibit cito aetas sine fructu amoris.

V. 9-14. Mirum sit si carmen, ubi de capiendis pueris agitur, suavitatem puerorum ipsam laudare negligat, propter quam amantur. Immo ab hac laude initium faciendum fuit. Quod nunc Priapus bene sic facit, ut omnino cavere iubeat ab eorum adspectu, si fieri possit; nimis enim lubricum esse eos adspicere. — credere te, h. e. adire securum turbam tibi periculosam, quasi tutus sis ubi omnia plena periculorum. Ubinam vero videbit coetus tales puerorum? In campo Martio, puta, ubi gymnasticae exercitationes puerorum habebantur, quales hoc loco memorat Tibullus: equitatio, natatio in Tiberi, vid. Horat. III, 7, 25 sqq. Add. I, 8, 3 sqq. III, 12, 6. 24, 54. IV, 1, fin. et Veget. de Re Milit. I, 10. Haec igitur campestria studia nunc respicit. Sic in Graecia in gymnasia et palaestras ibant, qui pueros formosos videre cupiebant. — causam habent, h. e. causa iis inest. Comparat Wunderlichius Soph. Electr. 466: *τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον ἐρίζειν*, iustam non habet causam disceptandi, et ibid. 351. — V. 11 sqq. angustis, h. e. adductis. — placidam. Fallitur Huschkius transpositionem: *niveo placidam* commendans. Manifestum est enim totum locum in oppositione diversarum rerum versari, ut toties fit in elegia. Atque hic quidem equo rapido, habenis compescendo, opponitur placida aqua. Quare necessario hoc adiectivum in initio pentametri esse debet. Oppositionem etiam Vossius non perspexerat, qui *facilem* pr. *placidam* emendavit. — Hic pellit pr. quia pellit, dum pellit. Ceterum cf. III, 5, 30. — fortis audacia, consulto addito epitheto ad augendam vim oppositionis, cum sequatur: Virgineus pudor, cf. ad I, 1, 62. — stat ante genas, h. e. conspicuus est, eminet in genis, atque ita advertit oculos. Plurimo enim et largissimo rubore verecundus pudor obtegit genas iuveniles, ac talis plenus et largus rubor est, qui nunc *stare* dicitur ante genas. Alienus vero Sophoclis in Antigona locus: *Ἔρως, ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις*, de Amore noctem in genis puellarum transigente easque

pulchriores, venustiores reddente; exquisitum dictum, cum nihil suavius sit puellae dormientis facie et quod magis ad amores invitet, sed a Tibulli verbis diversum. Alienus etiam HORATII locus IV, 13, 7. de Cupidine: *ille virentis Chiae pulchris excubat in genis*, h. e. nunquam dormit, semper in iis viget. — V. 15 sqq. Post haec iam ad ipsa, quae postulata erant, praecepta tradenda accedit. — V. 15. Sed ne te capiant. Notanda transitus ratio est. Intellige sic. Dixerat: fuge; nam facile capiunt. Pergit: Sed sis modo constans, ubi forte captus fueris, et bene erit etiam ita res; vinces enim vel reluctantem postremo. Deteriorum librorum lectio: *Sed te ne capiant* ex emendatione orta videtur ab iis, qui hunc credebant esse debere transitum: Tales sunt pueri; tibi vero agendum est ut nunc dicam. Opponitur igitur ex hac ratione persona personis. Sed vide quae de hoc loco aliisque similibus disertius explicui in fine Dissertationis de Elocutione Tibulli. — si forte negabit. Recte. Futurum exactum: *negarit* in transitoria re bonum esset, hic enim eius usus est, vid. MATTHIAE de usu fut. exacti Latinorum in Seebodii Horreo philologico (*Archiv für Philologie*) II, 1, p. 20 sqq. Nunc autem de diuturniore reluctatione agitur, cui unice simplex futurum convenit. Ceterum *negare* est: difficilem esse precibus amantis, ut II, 6, 27. Similiter *nolle* Catull. VIII, 9. quod WUNDERLICHIUS notat, et *ἀναίνεσθαι* Graece, oppositum v. *χαρίζεσθαι*, cf. RUHNKEN. ad Tim. lex. p. 275. — V. 17 sqq. Sequuntur exempla ad probandum praeceptum modo lectum, de quorum ratione operae pretium est paucis videre, quamquam vulgo in talibus nullas credunt esse leges, sed licere poetis fundere quidquid velint. Est vero illa certa in his rebus artis poeticae lex, ut ne temere congerantur exempla neu quid iniucundius differat a proposita re, sed similitudinem omnia suavem offerant reddantque apte eandem ideam; deinde ut si graviora aut certiora sint alia aliis, a minori ad maius progrediatur oratio nec perverso ordine res collocentur. Iam considerabimus Tibullum. Ac primum quidem leones domitos et mansuefactos comparans, significat manifesto etiam puerum asperum mansuefieri posse arte. Ad verba: Longa dies VULPIUS laudat IUVEN. Sat. X, 265. PLAUT. Epid. IV, 1, 17. Add. OVID. Met. I, 346. ne plura afferam in locutione saepe obvia. Sed poeta quod de-

inde addit saxa molliri paulatim aqua, similiter in amore, ut vides, vincuntur molli pectora dura prece, III, 4, 76. De v. peredit cf. LUCRET. I, 327. Ad sententiam vide MURETUM; BROUCKHUSIUS comparat OVID. Art. Am. I, 476: *Quid magis est saxo durum, quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua.* Praeterea e Graecis notum est *τέγγειν*, aqua mollire et macerare, VALCKEN. ad Eur. Hippol. v. 303. RUHNK. ad Tim. Lex. p. 248. Unde *ἄτεγκτος* pr. *σκληρός*, *ἀμείλικτος* dici constat, v. c. SOPH. Oed. R. 336. Hae igitur similitudines apertae sunt. Sed minus apertae primo adspectu sequentes. At enim uvas maturatas poeta laudat opinor, cum etiam amoris fructum dulcem tempus maturare debeat, antequam decerpi possit, et quemadmodum annus in caelo agit s. adducit lucida sidera certa vice, sic etiam amoris verti possunt tempora. Observa porro concinnitatem compositionis. Nam ut in primo disticho feros leones et ex inanimatis quod durissimum, saxa composuit, sic de altero recordaberis, legitime apud veteres frugum incrementa ac maturitatem et siderum ortus coniungi. Quodsi denique etiam ordinem rerum attendimus, recte poeta secundo loco posuit ea, quorum maxima vis ad faciendam fidem, cum caeli certa vice regantur. Nam longa dies indefinitius et maius tempus indicat, annus definitum et brevius, et cum priora eventus incerti temporis habeant, ultimo in disticho ea posuit, quorum certissimus est intra certum tempus eventus. — V. 21 sqq. Nec iurare time. Vidimus constantiam commendari amatori in persequendo consilio, necdum discedit, opinor, ab hoc themate Priapus, sed cum tenax propositi vir nihil fugere debeat quod prodesse possit, deus nunc instar omnium iusiurandum nominat, tanquam maximum in talibus. Est igitur nexus: Nec iurare time, sed pertinax semper in incepto vel periurio utere, ubi commodum. — venti irrita ferunt. Usitatissima locutio, ut constat, de iis, quae ad irritum cadunt. Cf. GEBHARDUM ad h. loc. IACOBS. ad Antholog. T. III. P. I. p. 237. MITSCHERL. ad Horat. I, 26, 2. Nos ad PIND. Pyth. VI. p. 273. Quod additum hic per terras et freta, auget vim locutionis et significat: longe auferunt, cf. I, 5, 35. At per freta summa est: per superficiem maris, s. *super aequora*, ut ait LUCRET. V, 1226. laudatus a VULPIO. Quod non est ridiculum aut otiosum

epitheton, ut Brouckhusio, Vossio, aliis visum, sed si rem ob oculos tibi posueris, levissimi, rapidissimi cursus imaginem graphice exprimi senties (*über Land und Meeresrücken hinweg*). Male vero Huschkius p. *extrema, remotissima* interpretatur. Male etiam Vulpius, cui assentitur Golberyus, levitatem periurii exprimi putat in superficie lati. Nec librorum quorundam lectionem *longa* a Brouckhusio defensam, dubitandum coniecturam esse supervacaneam. Denique ad sententiam quod attinet de periuriis amantium puniri a diis non solitis, multi sunt noti de ea re loci. Cf. Plat. Phileb. p. 65, C. ibique Stallbaum. Sympos. p. 183, B. Callim. Ep. 26. Add. Gebhard. ad hunc Tibulli loc. Iacobs. ad Anthol. T. I, p. 261. et Mitscherl. ad Horat. II, 8, 13. — V. 23 sq. vetuit pater ipse valere sqq. Primus enim omnium ipse peieravit apud Hesiodum in Aegimio, rem nullam se habuisse cum Ione, ut refert Apollodorus Biblioth. II, 1, 3. ubi cf. Heyn. Spectavit autem Apollodorus locum, quem Scholiastes ad Platonis Symposium p. 183. affert: *ἐκ τοῦδ' ὅρκον ἔθηκεν ἀμείνονα ἀνθρώποισιν νοσφιδίων ἔργων περὶ Κύπριδος.* — ineptus amor, amens, qui stulte iurat quae facere postmodo nec possit nec velit, ut ait Heynius. Tribuuntur igitur amori quae amanti conveniunt, cf. ad I, 2, 11. Ceterum vid. de inepto amore etiam Mitscherl. ad Horat. II, 8, 13. et Nagel. in Act. Societ. Traiect. T. IV, p. 256. laudante Wunderlichio et Huschkio. — V. 25. Dictynna. Nec irascitur Diana, sed permittit, si per sagittas ipsi caras peieras. Iurabant enim etiam per arma deorum, ut ostendit Iuven. Sat. XIII, 78 sqq. laudatus a Statio et Vulpio. Ceterum Dictynna proprie Cretensibus dicta, cf. Mülleri Aeginet. p. 164. et Hoeckii Creta T. I, p. 24. T. II, p. 158. — crines perque Minerva suos. Flava dea fuit, cf. Heyn. ad h. l. et Pindar. Fragm. Hymn. 5. Vulpius et Wunderlichius pulchritudinem comarum e Callimacho probant Lav. Pallad. 31. Eandem defendit Heinrichius ad Scutum Herculis p. 170. Ac carissimos deam habuisse crines suos ex fabula Medusae ostendit Brouckhusius, quae illos prae suis contempserat, cf. Serv. ad Virg. Aen. VI, 289. Hinc iuratum est per eos. Denique quod has nunc potissimum deas duas nominat Tibullus, Vossius et Wunderlichius probabiliter a castitate virginali earum repetunt; cum enim imprimis

ἁγναί viderentur, factum videtur ut ab amantibus iurantibus citarentur prae aliis. Sic omnia hic satis expedita. Quod enim post sagittas Dianae laudatas aliud simile e Minervae armis postulatum est, ea opinio rationem non habet idoneam. Iuratur per id quod utrique deae carissimum, quo contemto maxime irascitur quaeque; sitne ea corporis pars an telum, quid refert? Poena ut eo ipso sumatur, per quod peieratum, non opus est. — V. 27 sqq. De fuga aetatis floridae. — V. 27 sq. A t s i t a r d u s e r i s, at si ignavus eris nec quavis occasione opportuna utaris et quodvis suscipias ad capiendum puerum, ex quo genere iusiurandum vidimus, e r r a b i s. — t r a n s i i t a e t a s q u a m c i t o. Sunt qui *transiet* defendant, ut Horatii codices Od. IV, 4, 65. *exiet* offerunt. Vulgo tamen rectius *transiit* probatur. Neque tamen pro aoristo id habeas, veluti Horatius dicit Od. III, 2, 29 sqq.: *Saepe Diespiter neglectus incesto addidit integrum, Raro antecedentem scelestum deseruit pede Poena claudo.* Nam hoc magnificentius dicam quam pro simplicitate orationis Tibullianae. Immo perfectum celeritatis significationem habet, ut infra II, 4, 33: *Sed pretium si grande feras, custodia victa est.* Ac vide *verterat* positum I, 5, 38. Monet vero Priapus celeriter transire aetatem non amatoris tantummodo, sed etiam pueri, *καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ* cf. Theocrit. XXIII, 32. Quare si tardus eris, ait, non tu solum desines aptus esse amoribus, sed pueri quoque amati marcescet pulchritudo, nec manebit quo frui cupias. Hunc enim esse sensum sequentis loci, mihi non dubium, qui quae de formae et pulchritudinis interitu dicentur, puero potius quam amatori convenire video. Ceterum *aetatem* de florida et vegeta aetate dici constat. De sententia Mitscherlichius ad Horat. II, 5, 13. comparat Theognid. 963. *αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη.* Add. Theocrit. XXVII, 8. — n o n s e g n i s s t a t r e m e a t q u e d i e s, celeriter itque reditque dies, celeriter fugiunt dies noctesque. Patet vero non posse iungi: *Quam cito non segnis stat* etc.; etsi haec antiqua interpunctio sit, quae nescio quomodo arrisit nuper Golberyo. — Ad v. 29. Theocriti suavem locum conferunt XXIII, 28 sqq. Vide etiam Virgil. Eclog. II, 17. Plin. Hist. N. XXI, 1: *natura flores odoresque in diem gignit, magna, ut palam est, admonitione hominum, quae spectatissime floreant,*

citissime marcescere. Et Iacobs. ad Anthol. Gr. T. II. P. III. p. 114. quae Wüstemannus laudat ad Theocritum. Ceterum usum v. deperdit Huschkius illustrat. — Quam cito populus alba comas, φυλλοβολοῦσα dicta Aristoph. Nub. 1001. — Postremo sensum totius distichi (29. 30) hunc esse vides: *Quam cito pulchritudo perit.* Sequentes autem vv. 31. 32. hanc continent sententiam: *Quam cito vis et robur corporis perit.* Atque in hanc rem equi utitur exemplo Olympici, de quo iam Ennius dixerat, ut est ap. Cic. de Senect. c. 5: *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.* Qui locus ab Huschkio cum Ibyci Fragmento confertur in Scholiis ad Platon. Parmenid. p. 137, A. (ap. Bekk. Comment. Crit. T. II. p. 329), de victore equo, et cum Homerico versu Il. XXII, 22., unde hoc saltem discas comparationem equi victoris admodum placuisse veteribus. — Quam iacet, languet et sine viribus est. — fata senectae, bene et significanter, ut saepe. — prior. Haec est lectio librorum. Brouckhusius *prius* emendat, Huschkius *prior* pr. *prius* accipi posse contendit, afferens Ovid. Art. Am. II, 218: *Ille fatigatae perimendo monstra novercae qui meruit coelum, quod prior ipse tulit.* Sic sententia quidem Tibulli per se bona erit: Qui antea certavit in Olympia, ubi non possunt certare deteriores; quamquam de victoria equi nunc nihil inest. Sed Huschkius non videtur intellexisse Ovidium, qui dicit Herculem quod meruerit caelum monstrorum caede, tulisse priorem his ipsis monstris, quorum quaedam postea inter signa caelestia relata sunt; ut draco, hydra, leo. Quare hic locus non probat quod Huschkius vult, ac certum est *prior* non potuisse dici pr. *prius*, ut sensit etiam Wunderlichius cum Heynio. Quod adiectiva passim pro adverbiis ponuntur, cave ad quaevis adiectiva transferas. Haec igitur explicatio nulla. Ac non dubium est, de victore equo loqui poetam. Credat igitur fortasse aliquis Vulpium et Vossium et Golberyum sequendos, qui *prior* omnino pr. melior, praestantior accipiunt, ut Vossius Horat. Art. P. 85. *certamine primus* et Carm. Saec. 51. *bellante prior* comparat. Sed ne hoc quidem opus; tene specialem significationem, quam tota phrasis offert: de cursu agitur et *prior* est: primo loco currens. Ergo sensus: qui ut prodiit e carceribus, ante ceteros prodiit currens,

victor prodiit. Emendatio *prius* necessaria plane non videtur. Atque haec hactenus. Ceterum recte habere est post Eleo, nec abesse debere, ut Heynius, Vossius, Wunderlichius volunt, docui ad I, 1, 34. — V. 33 sq. iuvenem h. l. intelliges in fine iuventutis constitutum, ut docent adiecta verba: premeret cum serior aetas, h. e. instaret. Pertinet autem ex usu Romano, ut constat, iuniorum aetas usque ad sexagesimum sextum annum, inde serior aetas sequitur s. ut vulgo dicitur, seniorum. — stultos praeteriisse, h. e. stulto modo, sine Venere. Comparat Vulpius Pers. Sat. I, 60: *tunc crassos transisse dies lucemque palustrem et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.* Add. Ovid. Heroid. I, 8: *nec quererer tardos ire relicta dies.* Postremo mens Priapi clara: Etiam tu, ait, nisi strenue studueris capere puerum tuum, postea moerebis vitam sine voluptate elapsam, ubi anni amoribus apti tibi effluxerint atque etiam pueri tui formositas perierit. — V. 35. serpens novus h. e. renovatus. Comparant Virgil. Georg. III, 437: *Cum positis novus exuviis nitidusque iuventa*, et Ovid. Met. IX, 266: *utque novus serpens posita cum pelle senecta.* Annotatum est ab interpretibus ex Aristotele, vere et auctumno hoc fieri, Hist. An. VIII, 17. — exuit annos, ut videbatur. Veterum locos complures attulit Ianus Gebhardus. Revera tamen, ait Heynius, non magis ad iuventutem redit serpens quam avis pennis mutatis. — V. 37 sq. Phoebo Bacchoque, ut notum ex fabulis et signis veterum. Locos multos Brouckhusius congessit, prae ceteris Heynius Ovid. Met. III, 421. inspici iubet cum annotatione interpretum. Ut porro etiam de ordine nominum dicamus, in aliis libris est: *Baccho Phoeboque,* quemadmodum apud Ovidium l. cit. legitur: *et dignos Baccho, dignos et Apolline crines.* Sed ibi recte habet patheticus a minori ad maius progressus, hoc loco nulla talis vis orationis. Tenendum igitur nunc simplex est collocationis genus, quale in omni simplici enarratione habetur, ex quo primum nominatur potior persona, potior res. Quod autem Vossius censet Priapo primum patris carius nomen debuisse in mentem venire ideoque id praeponendum, alienum est a veterum scriptorum simplicitate tale artificium, ubi non necessarium; spectatur autem nunc sola res et cognationis ratio est inutilis. — intonsus crinis. Alebat iu-

ventus Graeca intonsum crinem usque ad virilem aetatem, tum consecrabat Apollini κουροτρόφῳ et fluviis, cf. Blomfield. ad Aesch. Choeph. v. 6. Similiter Romani iuvenes primam comam detonsam consecrabant diis. Intonsus vero Bacchus habebatur propter aeternam iuventutem et Apollo, qui inde ἀκερσεκόμης dicitur. Vide etiam Apollon. Rhod. II, 708. — decet, h. e. suaviter convenit eorum naturae et indoli (*es kleidet ihr Wesen*). Unde habent prae aliis. Apollonius ait: τὼς γὰρ θέμις. — Postremo in fine de universo loco verbum addo. Utere, ait, aetate dum licet. Ac primum exemplis ex rerum natura et animalium genere ostenditur fuga aetatis. Tum ad ipsum moerorem eorum provocatur, quos sero poenituit temporis inutiliter elapsi, atque hic locus in epiphonema exit, solis diis duobus formae moram datam. Est quidem omnino proprium elegiae diutius immorari in una sententia, observabis tamen simul quam bene etiam cum reliqua ratione carminis hae de fuga iuventutis conveniant querelae. Currit aetas; hinc subeunda omnia, quae amor imponit amatori, ne sine fructu amoris elabatur tempus. Atque ita accedimus ad sequentia.

V. 39-72. Praecepta peculiaria. Docetur nunc quibus artibus potissimum capiendus sit puer. Utere obsequio, ait, et blanditiis; absit vero pecunia.

V. 39-56. De obsequio. Est obsequium, ut poeta ipse explicat, cedere puero et morigerari in omnibus, quae ei tentare libebit. Eundem locum Ovidius tractat in Art. Am. II, 179 sqq. — Tu. Transitus hic est: tu vero ne sinas stultos praeterire dies, sed operam da ut capias puerum. Substituit vero statim generali sensentiae peculiare obsequii praeceptum. Vide quae dixi de hoc usu in fine Dissertationis de Elocutione Tibulli. — V. 41 sq. Neu. Cum praecesserit: cedas, vides quid res sit. Propositum dictum per partes explicaturus, statim primum praeceptum per copulam annectit. Quod monuit etiam Wunderlichius. Confer copulam *que* infra I, 5, 11. et *nec* I, 8, 27. Porro quod inter verba: tu cedas — neu comes ire neges, interposita sunt haec: obsequio plurima vincit amor, compara, si tanti est, cum Wunderlichio infra I, 8, 47-49. et 10, 15-17. Neque enim hoc genus interpositionis et interruptionis mirum; magis memorabilia, qualia Lachmannus affert ad Propert. III, 4, p. 242. et Lobeckius

ad Soph. Ai. p. 294. — arenti siti, cf. Virg. Georg. II, 353. et Ovid. Heroid. IV, 144. — V. 43 sq. picea ferrugo sunt nubes atrae, quibus caelum praetexitur, cingitur. De *ferrugine*, quod nigrorem significat, bene disputasse Vossium ad Virgil. Georg. I, p. 189. monet Wunderlichius. — admittat non est: adducat, adigat, qua ratione eximie langueret venturam, sed est: concitet, acceleret. Nam *concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.* cf. Ovid. Met. I, 271. Conf. Voss. ad Virg. Georg. I, 380. Sic accelerat venturas pluvias. Verbum Guellius in Paralipom. ad Virgil. p. 575. explicavit, Santenio notante, post eum Scaliger, Heynius, Huschkius, ut postulat usus. Sic Ovid. Amm. I, 8, 50: *ut celer admissis labitur amnis aquis* et Met. I, 532: *admisso sequitur vestigia gressu*, et qui notissimus usus, Propert. III, 11, 64: *admisso Decius proelia rupit equo.* Errant Muretus, Turnebus Advers. 29, 31., Vulpius, qui *portendat*, *praenuntiet* interpretantur, monente etiam Heynio. — imbrifer. Sic libri, ut Stat. Theb. IX, 405. Emendatum est ab Heinsio *nimbifer.* Nam laborat metrum. Schneiderus in Gr. Lat. T. II. p. 749. ut certa exempla productionis affert Ovid. ex Pont. I, 3, 74: *Thessalicamque adiit hospes Achillis humum* et ibid. I, 4, 46: *illo quod subiit Aesone natus opus;* notans tamen talia etiam in hexametris saepius producta legi, denique Auson. Epigr. 73, 4: *falsum convincit illico haruspicium*, quod simile nostro, sed serioris aetatis. Tamen apud Tibullum non verisimilis talis licentia, etsi alius huiusmodi versus exstat infra II, 4, 38. — V. 45. Vel si caeruleas. Non otiosum est hoc ornans epitheton, sed simul propter oppositionem additum. Cum enim ante de *terrestri itinere* dixerit, nunc de *maritimo* dicere vult. — puppi. Intelliges voluptatis causa susceptam navigationem in levi rate, ubi littus legitur. — V. 47 sqq. Succedit aliud par rerum, *opus rusticum* et *venatio.* — Restituit Lachmannus codicum lectionem opera, comparans Virg. Georg. I, 277. II, 472. Recte, ut videtur. Est nunc *opera* subiectum, et variavit Tibullus poetice constructionem. — insuetas, absolute, ut passim fit. Similiter *nescius*, *rudis*, *inscius*, *ignarus*, cf. Wunderlichium hic et ad I, 7, 38. et Cort. ad Sallust. Catil. 51, 27. — atteruisse manus, conferunt v. c. Valer. Max. IV, 5: *illae rustico opere attritae*

manus. — Denique cum una sit totius distichi sententia, coniicias *atque* pr. *aut*, ut LUCRETIUS V, 1357. dicit: *ut muliebribus id manibus concedere vellent, atque ipsi potius durum subferre laborem, atque opere in duro durarent membra manusque.* Sed nihil mutandum; vide ad I, 9, 64. — V. 49. insidiis, indagine, plagis. — claudere, ut infra IV, 3, 7: *densos indagine colles claudentem*, et saepe alias. Sunt autem valles altae hic montium cavae convalles, cf. VIRG. Georg. II, 186. (*Bergschluchten*), ut bene observat HUSCHKIUS, laudans etiam OVID. Amorr. I, 14, 11. Conferantur etiam *altae Idae valles*, OVID. Epist. XVII, 115. XVI, 58. Add. LUCAN. VI, 293. Sic Graece πτυχαί, κόλποι, μύχοι, βῆσσαι montium dicuntur. Ac viderat iam HEYNIUS fere in saltibus et montibus retia tendi. — retia ferre. Servile officium. Quod obsequii exemplum saepius OVIDIUS laudat, ut monitum est ab HEYNIO, v. c. Art. Am. II, 189. Met. X, 171. Idem vide infra IV, 3, 12. — V. 51. 52. Pacis artibus, venationi et rustico labori, opponit denique *militare* armorum exercitium, estque *nunc iterum unum distichon duobus antecedentibus coniunctis oppositum.* Nam etiam haec tota enumeratio est bene divisa suavi partitione et oppositione rerum. — Si volet arma. Intelligit rudem gladiatorium s. ligneum gladium, quo utebantur tirones cum exercerentur in armis. Erant hi lusus inter exercitia et oblectamenta iuvenum Romanorum, ut constat, inde a bello Cimbrico, cf. VALER. MAX. II, 3, 2. Vide plura apud VULPIUM ad h. l. — ludere, proprium in hoc exercitio verbum; laudant OVID. Trist. IV, 1, 72: *Aspera militiae iuvenis certamina fugi, nec nisi lusura movimus arma manu.* MANIL. Astronom. IV, 227: *Sunt quibus et simulacra placent et ludus in armis, tantus amor pugnae est discuntque per otia bellum.* Haec et alia plura afferunt interpretes, maxime BROUCKHUSIUS et VULPIUS. — levi dextra, quae non gravi ictu feriat adversarium tenerum. — latus dare, *latus* nudum, *apertum dare, obdere, praebere,* contra *tegere* sunt locutiones propriae ludorum disciplinae et omnino singulari armorum certamini, translatae deinde etiam ad eos, qui verborum reprehensionibus ansam praebent. Vide BROUCKHUSIUM et VULPIUM ad h. l. et LIPS. Saturn. Serm. II, 20. extr. E Graeca lingua conferas quod a lucta petitum est λαβὴν παραδοῦναι ARISTOPH.

Nub. 551. δοῦναι Equitt. 851. ἐνδοῦναι ibid. 857. παρέχειν λαβήν Plat. de rep. VIII. p. 544, B. Add. Ast. ad Phaedr. p. 251. — V. 53 sq. Tunc. Post talia obsequia. — rapias oscula. Etiam Graeci dicunt ἁρπάζειν φιλήματα, ut quem Huschkius laudat, Meleager ep. XIV, 8. — apta dabit, quae ore non nimium detrectante dantur, ut Heynius ait. Confert Ovid. Heroid. XV, 131. 132. — V. 55. Rapta dabit. Locutio eadem Ovid. Her. XV, 44. Amorr. II, 4, 26. sensu vero diverso. Illic enim *rapta dare* est pr. rapere dictum, hic pr. reluctantem dare. Nec mirum hoc; necessario aliud significat phrasis de amatore, aliud de amato aut amata dicta. Ceterum non solis respondent haec verba proxime antecedentibus: *apta dabit*, ut Lachmanno meo visum, qui *apta dabit* etiam hic commendat et emendatum velit, ne sit imperfecta repetitio, sed potius tota pentametri sententia: *pugnabit, sed tamen dabit* hoc modo repetitur. Atque ita par est, cum sequatur mox offeret, quae cum opposita sint verbis: *rapta dabit,* non essent opposita his: *apta dabit.* Postremo vide de repetitionibus sententiarum ad I, 3, 5. Atque haec hactenus.

V. 57-72. Dixit de obsequio; dicet nunc de blanditiis, h. e. de carminibus blandis, quibus aurem praebere pueros velit. In transitu proximum locum posuit, qui avaritiam puerorum hodiernam exagitat. Ac nexus rerum hic est: Haec quidem, ait, proba et iusta in his est ratio, ut obsequio puer vincatur et honestis artibus cedat. Sed nunc pravo more saeculi avaritia dominatur; vult munera puer et amator largitionem tractat. Adi rursus finem Dissertationis de Elocutione Tibulli.

V. 57. miseras artes, h. e. malas, ut largitio, avaritia. Confert Wunderlichius *carmen miserum* Virgil. Eclog. III, 37. et constat *miser* in convicio pr. perdito, scelesto dici, ut Terent. Eunuch. III, 1, 28. V, 3, 11. Hic tamen fortasse minus aptus convicii sermo. Quare ego reddam potius: deplorabiles. Maior sic dignitas orationis. *Malas* artes dicit Sallustius Catil. III, 3. aliique. — tractant, exercent. — male, prave. Cumulate additum, licet *miseras* adsit. Tum verba: nunc — haec saecula ita intellige: cum antea meliora essent haec saecula, recentiori tempore prava facta sunt. — V. 59 sq. At tibi. Usurpant *at* in

exsecratione, ut infra I, 9, 53. II, 4, 39. Horat. Sat. I, 8, 37. ibiq. Heind. Nec minus ubi bona imprecantur, ut infra I, 8, 55. Res nota. — Venerem vendere. Eundem locum de amore venali Ovidius tractat Amorr. I, 10. aliique. — infelix lapis. Apta hic formula exsecrationis, cum iste homo dudum mortuus sit. Conferenda autem opposita formula usitatissima, quam acclamabant in funeribus et ad tumulos atque etiam lapidibus sepulcralibus inscribebant: *sit tibi terra levis*, de qua vide Brisson. de Formul. I, 147. et quae alia Passovius laudat ad Pers. Sat. I, p. 272. Notum etiam Graecum votum: *κούφα σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι*, Eurip. Alcest. 462. Adscribam porro Eurip. Helen. v. 860 sqq.: *εἰ γάρ εἰσιν οἱ θεοὶ σοφοί, εὔψυχον ἄνδρα πολεμίων θανόνθ᾽ ὕπο κούφῃ καταμπίσχουσιν ἐν τύμβῳ χθονί, κακοὺς δ᾽ ἐφ᾽ ἕρμα στερεὸν ἐκβάλλουσι γῆς.* Propert. IV, 5, fin.: *Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo: urgeat hunc supra vis, caprifice, tua. Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis, mixtaque cum saxis adiice verba mala.* — V. 61 sqq. Nunc ad *carminum laudem* accedit. — Pieridas h. e. Pieridas potius amate. — doctos, *σοφούς*. Doctus enim Latine dicitur omnino suae quisque artis peritus, ut Ovid. Met. III, 168. Horat. I, 29, 9. Cf. Burm. ad Phaedr. IV, 16, 8. Plane ut Graece *σοφός*. Persaepe vero ita dicitur is, qui poeseos et musices est peritus, monente etiam Wunderlichio ad III, 6, 41. Accedere debet cognitio variarum rerum, ut res ipsa docet, sed errare videntur qui ubique ad Graecarum litterarum peritiam referunt vocem, monstrante vel hoc ipso loco Tibulli, ubi non de doctrina agitur, sed de arte poetarum in componendis laudibus. — V. 63 sq. Nisi coma. Notissimus hic Megarensium rex, qui in capillamento cano unum purpureum crinem habebat, unde pendebat regni fatum. Ovid. Met. VIII, 80 sqq. Add. Brouckhus. — Carmine purpurea est, h. e. non fuit revera talis ei crinis, sed fictus est a poetis. — Mox de Pelopis humero eburneo nota omnia. — ni sint, non nituisset. Neque is, ait, habuit talem humerum. Constructionem temporum quod attinet, vulgaris ratio haec fuisset: *carmina ni essent, non nituisset ebur.* Poterat vero etiam sic dicere: carmina ni sint, non nituerit ebur, h. e. si ponas non esse carmina, sequetur non nituisse ebur. Nunc poeta tertiam constructio-

nem admisit ex utroque genere mixtam: si ponas carmina non esse, non nituisset ebur. Vide plura de his constructionibus exposita in fine Dissertationis de Elocutione Tibulli. — Postremo haec corporis partium fabulosarum allata exempla apparet quam bene huic loco conveniant, ubi pueris ostenditur, si poeta formam et pulchritudinem amati celebraverit, etiam mirabiles laudes creditum iri ab hominibus. Locus similis Ovid. Art. Am. III, 535: *Nos facimus placitae late praeconia formae* etc. — V. 65 sq. referent, dicent, memorabunt. Mox ad elegantem collocationem verborum attende. Post verba: robora tellus, non dixit: *dum stellas caelum*, sed dum caelum stellas, ut *tellus* et *caelum* sibi opponerentur maxime. Tum in tertio membro vehet, quod etiam ceteris iunctum est per zeugma, primo loco posuit, de quo monitum ad I, 1, 51. Sententia denique tota de immortalitate carminibus debita notissima est e plurimis poetis. — V. 67. 68. non audit, spernit amatorios versus et aurum praefert. — Idaeae Opis, Cybeles, magnae Matris deum. Proprie quidem alia fuit Italica dea Ops, alia Phrygia Cybele, sed cum indole similes essent, postea confusae sunt, vid. Creuzeri Symb. II, p. 58. Signum Cybeles in curru vehebant per urbes sacerdotes Galli et stipem colligebant, vile genus hominum et fanaticum, quos constat in sacris deae insano furore virilia sibi abscidisse ad Phrygios modos. Conferas etiam de his Creuzeri Symbol. T. II. p. 40 sqq. In verbis Tibulli primum attende ad vim pronominis ille. Ut hic: qui vendit — ille sequatur, similiter Graeci *ὁ δέ*, *is vero* cum vi ponunt in secundo membro, de quo genere primus disputavit Buttmannus ad Sophoclis Philoctetam v. 86. 87., post Buttmannum Hermannus ibidem. Apud Tibullum confer I, 2, 39. et vide porro de vi pronominis ad II, 3, 26. — V. 69 sq. erroribus expleat, percurrat. Wunderlichius et Huschkius conferunt Virgil. Aen. XII, 763: *Quinque orbes explent cursu.* Porsonus Tibullum laudat ad Eur. Orest. 54. ubi explicat verba: *λιμένα δὲ Ναυπλίειον ἐκπληρῶν πλάτῃ.* — ad Phrygios modos, ad Phrygiae harmoniae modos, qua utebantur in Cybeles sacris. — secet. Proprium verbum de ista amputatione virilium. Ovid. Fast. IV, 221: *Unde venit, dixi, sua membra secandi impetus?* Et in Ibid. 455: *Attonitusque seces, ut quos*

Cybeleia mater incitat ad Phrygios vilia membra modos, deque viro fias nec femina nec vir, ut Attis. Quae laudant interpretes. Porro vilia, contemta a se et nihili habita. Confertur Ovid. Fast. IV, 243: *molles ministri — caedunt iactatis vilia membra modis.* Alienum vero est hic quod etiam verbere, flagellis secare pr. caedere dicitur Latine; nam nec additum est nunc *verberibus*, nec satis gravis omnino sententia foret. Nam ut toties alias apud veteres et ipsum Tibullum, sic etiam hic poena bene accommodatur crimini. Debet mendicare per urbes, qui aurum pro Venere sumpsit, debet eviratus in posterum vivere nec vir nec femina, quì vilem habuit formam suam et pretio vendidit usum pulchritudinis. — V. 71. Venus ipsa, ipsa quoque Venus vult, ut blandis carminibus sibi concilient pueros amatores. — Blanditiis, amatoriis carminibus. Ovid. Amorr. II, 1, 21: *blanditias elegosque leves, mea tela, resumpsi; mollierunt duras lenia verba fores.* — Mox asyndeton: *querelis supplicibus, miseris fletibus* magnam vim habet; graviter finit orationem deus. Ceterum favet querelis, fletibus est: querentibus, flentibus favet, eosque adiuvat ut audiantur. Denique de usu pronominis illa cf. ad I, 2, 58. Finita sunt praecepta Priapi.

V. 73-ad finem. Exitus carminis. Poeta laetus praeceptis a Priapo traditis dum magistrum celebrem se iactat futurum amoris, mox ridicule sentit sibi ipsi se opem ferre non posse, Marathi quem torqueat lentus amor.

V. 73 sq. Titio. Brouckhusius, Vulpius, Vossius Titium Septimium intelligunt, nobilem ista aetate poetam lyricum et tragicum, de quo Horatius videndus Epist. I, 3, 9. Tu mecum non dubitabis fictum hic esse nomen, quemadmodum tota consultatio Priapi ficta est. Fuit nomen etiam postea inter ea, quorum usus in ficta re; nam apud iureconsultos eorum erat, quorum caussam agi fingebant, observante Brouckhusio; apud Iuvenalem IV, 13. Wunderlichio notante integritatis fama insignem hominem significat. — coniunx. Incidit igitur interea in puellae amorem, unde puerorum amori non amplius locus. — V. 75 sq. celebrate, probate, colite, laudate magistrum, ait Wunderlichius, h. e. praeceptis meis utimini eaque optima habete; nam *celebrare hominem*

per se non esse: adire eum. Ego tamen dictum credo pr. adite me, domum meam frequentate, cf. ad I, 6, 17. et aegre concedam celebrare magistrum esse: probare et eligere magistrum nisi pr. adire dicatur. Talis vero sensus hic requiritur. — male habet, vexat repugnantia. — V. 77 sqq. Ducta oratio a similitudine eorum, qui de iure respondebant. Ceterum sperni proprium de amantibus, qui fastidiuntur, cf. Ovid. Amm. III, 6, 65. Heroid. IV, 168. Brouckhus. hoc loco. — ferentem, non est *afferentem* aliis, nam hi poetam adeunt, non poeta adit eos, sed *ferentem mecum*, ut thesaurum, *habentem.* Apud Pindar. Nem. III, 30. habes: *ἔρωτας φέρειν*, et Isthm. I, 40: *νόῳ προμάθειαν φέρειν*, secum ferre et habere, quemadmodum Isthm. VI, 22: *ἄγειν ἀρετάν*, ubi vide annotationem nostram. — sedula turba, officiosa. Vide, quem laudant, Gronovium in Observatt. I, 23. — Deducat, ut eum qui de iure respondet clientes aliique iuvenes nobiles deducunt in forum et e foro domum. Omnino constat locum habere verbum, ubi amici aut populus officii causa comitantur virum aliquem insignem. Cum Tibullo conferunt Callim. Fragment. p. 420. Bentl. *Γηράσκει δ᾽ ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον, κοῦροι τὸν φιλέουσιν, ἐὸν δέ μιν οἷα τοκῆα χειρὸς ἐπ᾽ οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην*, unde tamen Romanus poeta sua non hausit. Tibullus Romanorum publicos mores ante oculos habet, et cum vulgo a senibus non soleat peti ars amandi, sese sperat famam in dies crescentem habiturum; Callimachus omnino de probo et venerabili sene loquitur, quem iuventus ut parentem amans manu domum ducit ubi in via videat, ne pedem offendat aut viribus destituatur. Denique ut de constructione grammatica dicamus, est lectio certa *deducat.* Contendit Huschkius Latine dici aut: tempus erit, quo me deducat vel deducet, aut: cum me deducet, censetque etiam hic futurum reponendum. Frustra. Wunderlichius laudat Virgil. Eclog. VIII, 7: *en erit unquam ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta!* Et conferri etiam potest e Graecis Homericus versus: *ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ᾽ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ, καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.* — V. 81 sqq. Recordatur nunc repente vulneris gravissimi, quo iam diu laborat. Conversionem suavissimam illustrant simili transitione apud Horat. IV, 1, 33 sqq. — Marathus. Ductum nomen statuunt a Phoenicum urbe Maratho, cum

ex quo luxus Asiatici corruptela in Italiam transiisset, etiam pueri ex Asia adducerentur in urbem. Tibullus in poesi ficto hoc nomine appellat puerum, quem amabat. Ceterum Huschkius vulgatum ordinem: *lento Marathus* praeferens non recordatus est leges collocationis verborum, et nullius pretii sunt quae disputat, licet placuerint Golberyo. Si Marathi nomen iam antea memoratum esset, dicendum erat: heu quam lento amore Marathus me urit; nunc necessario contraria collocatio requiritur. Nec debebat Huschkius Virgil. Eclog. III, 100. afferre, ubi iterum non perspexit causam collocationis. Ceterum lento est longo, qui lente absumit, et quo iam diu maceror frustra. Vid. Mitscherl. ad Horat. I, 13, 8. — torquet, cf. Ovid. Art. Am. II, 124. Propert. III, 6, 39. Horat. Epist. I, 2, 37. ducta, ut observat Vossius, comparatione a servi cruciatu, qui igne torquetur, II, 4, 5. 6. — Parce, desine ita me torquere et fias mitis. — turpis fabula, velut Ovid. Art. Am. II, 630. Horat. Ep. XI, 8. Tibull. infra II, 3, 31. Res nota. — magisteria, praecepta.

ELEGIA V.

INTRODUCTIO.

Ut ante omnia de tempore elegiae probabili dicam, etiam hic a Vossio et Passovio plane dissentio. Hi enim ultimam censent esse hanc elegiam omnium, quas Deliae cecinit Tibullus, et post sextam scriptam, quod ego non concedam. Sexta ostendit Deliam nuptam viro ut secunda, haec vero plane non convenit coniugii tempori, sed praecedit. Pulcherrima descriptione narrat Tibullus, ut servaverit cura sua aegrotantem Deliam finxeritque sibi vitam in

posterum felicissimam, si restituta valetudine rure secum vivat et tamquam domina et materfamilias omnia regat et curet, omnibus praesit, ipse vero nihil sit in tota domo. Quae qui legit, quomodo credere potest alii viro nuptam puellam? Ac Spohnius quidem eo adeo progressus est, ut poetam in matrimonium ducere voluisse Deliam ex hoc loco concluderet, in quo tamen fallitur; huius enim rei nullum exstat in toto carmine vestigium certum, sed Tibullus illud tantum significat, instar uxoris se habere ibi voluisse longe carissimam puellam. Hoc autem perspicue significat. Nihil igitur efficias dicens, pace coniugis Deliam rus ire interdum potuisse ad Tibullum, quem vir iste noverit; nam nullo modo potuit nupta id quod Tibullus in animo habet, qui non menses paucos, sed totam vitam sperabat cum amica hoc modo se transacturum. Ergo virum nunc Delia non habet, et nullum est talis coniugii in toto carmine vestigium, sed omnia repugnant. At fortasse mortuus est quem habuit, ut nihilominus post sextam scripta esse haec quinta potuerit. Minime potuit. Qui attente primam, secundam, tertiam, quintam elegiam legerit et comparaverit cum sexta, facile intelliget longe molliorem, pulchriorem affectum in illis regnare quam in sexta, quae dura verba habet et extremos conatus ad fidem revocandi puellam, ut illam necessario, non aliam, ultimam dicere debeamus omnium, quae Deliae scriptae. At enim valedicit Deliae in fine quintae. Audio, et nisi fallor, haec vera causa est, quare Vossius et Passovius post sextam eam voluerunt scriptam. Sed decepti sunt manifesto. Cum alia omnia postulent, ut ante sextam eam ponamus, exitus melius explicandus est, idque faciemus paullo post in fine huius introductionis. Quae cum ita sint, relicta Vossii et Passovii sententia ponamus alium omnino rerum ordinem. Ita vero dico: Redux Tibullus e Corcyra auctumno ann. 724. graviter aegrotantem invenit Deliam, aut ea paullo post incidit in morbum, praestititque Tibullus tum ea, quae in hoc carmine laudat, auxilia. Volebat autem nunc redire ad rusticam vitam, etiam gratiorem factam post belli molestias, sperabatque, si reconvaluisset puella, fore ut ea tandem secum ibi in posterum degeret instar uxoris. Haec tamen iam inter absentiam Tibulli, ut videtur, aliorum promissis aurem praebere coeperat. Receperat quidem poetam post reditum ut ante, resurgente priore

amore, et usa erat curis eius in morbo, sed post morbum, qua erat levitate animi, nihilominus relabitur ad genus vitae absente Tibullo coeptum. Venit lena et ostendit novum quendam divitem amatorem, quem capta muneribus Delia admisit. Haec omnia non diu ante hoc carmen facta clare significare mihi videtur poeta: *Ille ego cum tristi morbo defessa iaceres, te dicor votis eripuisse meis* etc. — *At mihi felicem vitam, si salva fuisses, fingebam* — *quae nunc Eurusque Notusque iactat odoratos vota per Armenios.* Ergo non ante discessum in bellum Aquitanicum ann. 723. fuit hic morbus, haec cura ad lectum aegrotae, post reditum autem perfidia cognita, ut divisum fuerit totum interiecta absentia Tibulli, sed qui nulla alia opinione occupatus legit verba poetae, sentiet continuam esse seriem rerum, de qua loquitur. Pergamus. Quantopere commotus sit Albius perfidia puellae, cum nunc primum pulcherrimam spem vitae eversam videret, et meretricem factam, quam sibi soli deditam crediderat hucusque, ostendit dira exsecratio lenae, quam hic legimus. Atque ortum tum discidium est. Sed ardentior erat amor Tibulli, quam ut oblivisci Deliam posset, quemadmodum tentaverat; cum multas viles adiisset desperatione animi, vidit postremo se ferre diutius hoc discidium non posse. Sic orta haec elegia est, quae sub aestatem anni 725. scribi potuit. Quae postea evenerunt, vide narrata in Introductione ad elegiam secundam. Atque haec quidem de temporibus. Videamus nunc carmen ipsum. Discidium ortum, quod diximus, cum tolerare diutius non posset poeta, in gratiam redire cupit cum Delia, pertinetque summa carminis eo, ut misso rivali renovetur usus prior et ianua clausa denuo sibi pateat. Hoc desiderium est principalis affectus carminis. Ac primam *exordium* significationem huius desiderii habet, ut statim in principio prodire solet quod commovet intus animum. Tum disertior fit persuasio, ac *duae* distingui debent in medio carmine *partes rerum. Primum* enim amorem suum depingit maximum mutuo Deliae favore dignissimum, quae res tribus locis absolvitur. *Orditur* ab expositione officiorum nuper praestitorum, cum aegrotaret Delia et ipsius lustrationibus votisque eriperetur morti, exponit *deinde* qualem felicitatem imaginatus sit, si restituta valetudine rure secum puella degat omnibusque ibi rebus praesit, quae vota mox ad irritum cecide-

rint omnia alio amatore admisso, *denique* dolorum frustra tentata remedia narrans et dissolutam vitam, cui se dederit aliquamdiu sine successu, etiam nunc oblivisci se non posse puellam ostendit, et nulla vi delebilem esse admirationem eius pulchritudinis. In quo apto ordine rerum primum quidem temporis rationem habet ut vides, exponens quid fecerit, quid inde speraverit, quid nunc patiatur; sed simul vim elegicam descriptionum observabis crescentem sic gradatim cum progressu carminis. Nam post commemorata antecedentia officia quid gravius est descriptione frustra speratae felicis vitae summo iure meritae, et post cognitam huius felicitatis pulchram imaginem vide quantam vim habeat tertii loci oppositio de doloribus poetae hinc secutis, de desperatione dissolutae vitae, utque ne ita quidem deleri potuerit amor puellae tantorum malorum auctoris. Diximus de prima parte, quae ut amorem ita miseriam poetae gravissime exponit. Quaeras nunc quid maius et efficacius afferre potuerit in *altera*. Enimvero in talibus tempora consideranda. Vidimus autem fuisse tum alia, quae plus valerent apud Deliam, quandoquidem lenae cuiusdam pessimae praeceptis parens munera divitis amatoris praeferebat, nec poterat sperare poeta solis descriptionibus antecedentibus commotum iri puellam male corruptam, nisi etiam has externas causas discidii removere, et quae inde sibi obstabant impedimenta, impugnare et evertere studuisset data opera. Quod fecit. Ac *primum* quidem ipsam lenam gravissima imprecatione obruit, perfidiae auctorem, ut et haec luat meritas poenas et Delia sentiat, quam improbae mulieri se addixerit, consideransque denuntiata lenae mala etiam sibi imminere discat Veneris laesae iram. *Secundo loco* commoda poeta recenset, quae pauperis amatoris habeat amor, cum dives pecuniae confidat, hic ad officia omnia praesto sit semper, adhaereat lateri, comitetur in via per turbam, deducat ad convivia amicorum. Observa nunc etiam harum rerum pulchram rationem. Primum enim post dolores discidii memoratos quid magis consentaneum proxime insequenti exsecratione lenae? Vehementissimus hic locus est, ubi poeta iras graviores omnes, quibus plenus erat animus ob tanta mala, in aliam mulierem effundit, simul tamen, ut dixi, indirecte Deliam admonere et terrere vult. Nam terrore opus videbatur in ista infami corruptione, ac

commoveri solet graviter mulierum animus timidus et superstitiosus huiusmodi rebus. Sed accedere debuit etiam aliud persuasionis genus; postquam igitur metu malam causam rivalis labefactare conatus est, porro etiam utilitatis ratione avocare puellam ab eo usu conatur, pro muneribus alia suavia commoda monstrans. Atque ita etiam hic perfecta unitas rerum est, optime adiuvante altero loco alterum. Vidimus secundam partem. Collige denique omnia unum in conspectum, et videbis pulcherrimam varietatem rerum et affectuum ad unum finem suavissime conspirantem. Restat ut de ultimis distichis dicamus. Est παρακλαυσίθυρον carmen ut fingitur, imposuitque Tibullus *exitum* huic generi valde accommodatum. Cum enim non aperiatur ianua precibus, mutat sententiam et discedit cum irrisione rivalis. Praedicit huic similia fata, iamque adesse ait novum tentatorem, qui conspirare occulte cum Delia videatur; suadet igitur ei non sine ironia ut utatur, dum liceat, opportunitate mox peritura. Erraveris maximopere, si credas serio valedicere puellae hoc exitu Tibullum, ut plane desperatis rebus; neque enim qui per totam elegiam discidium tollere conatur, in fine serio valedicere in perpetuum potest. Nec Delia ita haec intelligebat. Quoties enim dicam similibus cum verbis discessisse a ianuis puellarum amatores, qui non diu post redirent. Audi ipsum Tibullum II, 6, 13: *Iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam! Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.* Sed videamus poeticum consilium loci. Fuit exitu opus, qui finem idoneum imponeret elegiae; hic cum alius preces ad Venerem exspectaverit et vota pro successu, et talem finem affectuum, poeta contra irritam spem simulat, et ex simili fato futuro rivalis solatium petit, et ficta cum tranquillitate discedit quietus. Quod profecto non est temere sic ab eo institutum. Nempe post tot dolores, querelas, lacrimas poetae, ut tamen aliquam poenam luat perfidiae formosa amica, saltem carpit eam verbo ante discessum, quasi unice pecuniae dedita nulli omnino fida sit, et hac iucunda ultione contentus abit aequo animo, aculeum relinquens qui pungat. Haec videtur vera ratio dictorum. Alienus fuit talis exitus ab eleg. II., ubi nulla est culpa puellae; hic autem plane locum habet poetica iustitia. Non recordatus talia erat vir immortalis Heynius, qui nescio quo odio hunc exitum damnat,

illiberalis et invenusti hominis dicens, quae iucundissimam ironiam habent. Nos monuimus de exitu carminum παρακλαυσιθύρων etiam in Dissertatione de Poesi Tibulli cap. II.

EXPLICATIO.

V. 1-8. Exordium. Poeta discidium ortum ferre se diutius non posse fatetur, magno amore ardens; poenam luere paratus, rogat tamen ut parcat amata et in gratiam mitis secum redeat.

V. 1 sq. Asper eram, ferox ira. — discidium. De discrimine nominum *discidium* et *dissidium* dixit GRONOV. ad Liv. XXV, 18. — bene ferre, h. e. facile, ut *male ferre* est aegre tolerare. GEBHARDUS et BROUCKHUSIUS apte comparant OVID. Met. XIV, 79: *Excipit Aenean illic animoque domoque, non bene discidium Phrygii latura mariti Sidonis.* — Porro loquebar, iactabam. Est *loqui* proprium magniloquentiae verbum, cf. BURMANN. ad Petron. 11, c. 117. et ad Quintil. Declamat. XV, 3. — gloria, gloriatio, et fortis est: resistere volens amori, ut OVID. Met. VII, 76. *fortis* de Medea usurpat amori resistente. — mihi abest pr. a me. Confert WUNDERLICHIUS Cic. Brut. 80. §. 276: *hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit, si opus erat, defuit.* Ac diversus eodem recte notante sensus verborum *longe abesse alicui* is, quo nihil prodesse significant, quod de rebus et personis usurpatur, ut OVID. Met. IV, 649. 650. VIRG. Aen. XII, 52. Adde OUDENDORP. ad Caes. de bell. Gall. I, 36. — V. 3 sq. agor. Animus perturbatus amore tamquam turbine circumagitur et versatur, στρέφεται, δονεῖται, veluti HEYNIO laudante BION. IV, 5. dicit: ἢν δὲ νόον τις Ἔρωτι δονεύμενος ἁδὺ μελίσδῃ. Adde PINDAR. Pyth. IV, 219. et IACOBS. Delect. Epigr. p. 240. — citus turben. Magnifica descriptio VIRG. Aen. VII, 378 sqq. Vide etiam CALLIMACH. Epigr. I, 9. Ad propositum locum imprimis conf. laudatum ab aliis OVIDIUM Amorr. II, 9, 27: *Cum bene pertaesum est animoque relanguit ardor, nescio quo miserae*

turbine mentis agor. — Porro ab arte, ut infra I, 9, 66. Vide etiam OVID. Trist. II, 462. Amorr. II, 4, 30. Art. Am III, 545. Fast. III, 321. Est locutio usitatissima, nemini ignota. — assueta arte, peritia. — V. 5 sq. Ure ferum et torque, h. e. puni severissime. Petita sunt verba a tormentis servorum, qui in quaestionibus atque etiam ad puniendum, si peccassent, *urebantur* admotis facibus aut lamina candente (cf. I, 9, 21. II, 4, 5. et HORAT. Epist. I, 15, 36. ibiq. SCHMID.) et *torquebantur*, quod est *στρεβλοῦσθαι*. Denique *ferus* dicitur, qui adversus amoris vim male animum obduraverat, ut infra II, 6, 5. — horrida verba doma. Totam sententiam antecedentem (puni, ne dicere libeat magnificum quidquam) cum vi repetit aliis verbis. Certum enim non post *torque* interpungendum esse, sed ante *horrida.* Hoc autem aspera, ferocia significat. WUNDERLICHIUS Tacit. Hist. I, 82. confert: (Praetorianos) *allocuti sunt — praefecti ex suo quisque ingenio mitius aut horridius.* — V. 7 sq. Parce tamen. Sed potius clementia utere, mitte iram et in gratiam mecum redi. De figura mutatae sententiae explicui in Dissertatione de Poesi Tibulli cap. II. — per te. Collocatio in obtestatione solemnis, qua pronomen inter praepositionem et casum praepositionis interponitur. Sic infra III, 1, 15. IV, 5, 7., ubi vide BROUCKHUSIUM. Adde RUHNKENII Dictata in Ovid. Heroid. p. 65. Similiter Graeci, ut constat, cf. VALCK. ad Eur. Phoen. 1659. MONCK. ad Hippolyt. v. 603. — foedera lecti. Locutio propria de coniugio, ut OVID. Heroid. V, 101: *Atrides temerati foedera lecti clamat*, et Met. VII, 710: *primaque deserti referebam foedera lecti.* De translato sensu, qui hic habetur, conferunt OVID. Art. Am. II, 462: *concubitus foedera.* Met. III, 294: *Veneris foedus.* PROPERT. IV, 7, 21: *foedus tacitum.* — Porro compositumque caput est: iunctum cum meo, uti iam SCALIGER monuit. Sic OVID. Heroid. III, 107: *Perque tuum nostrumque caput, quae iunximus una* et PROPERT. II, 11, 22: *mecum habuit positum lenta puella caput.* Vide omnino BROUCKHUSIUM et VULPIUM. Ad sententiam WUNDERLICHIUS confert similem obtestationem Tecmessae SOPHOCL. Ai. 493. Additque HUSCHKIUS Hom. Il. XV, 39. Sed etiam cumulatam orationem notabis, pluribus similibus verbis coniunctis; nam calidius obtestatur poeta dulcissimae consuetudinis memoria

commotus. Ponit autem primum generaliorem significationem rei (foedera lecti), tum paullo specialius et definitius Veneris compositique capitis gaudia innuit. Haec est forma. —

V. 9-46. Medium carmen. Prima pars. Depingit amorem suum insignem, remuneratione dignissimum: quid fecerit cum aegrotaret Delia, qualem felicitatem imaginatus sit, si restituta valetudine eam secum rure haberet, denique ut etiam nunc, ubi alius amator praelatus, maximam in se vim habeat recordatio pulcherrimae puellae. Nam hi tres loci continuo progressu cohaerent.

V. 9 sq. Incipit prima descriptio. — defessa. Sic *fessa* infra IV, 4, 10. 11, 2. Ovid. Heroid. XXI, 14. Horat. Carm. Saec. 63. Interprett. ad Aetn. 624. — dicor, constat, ut recte Wunderlichius monet. Provocat enim ad notam, certam, indubitatam rem. — votis. Primum uno nomine complectitur quid fecerit, mox accuratiorem descriptionem dabit. Nempe lustraverat Deliam et procuraverat somnia eius, cum lustratione vero et procuratione simul vota eum puta nuncupasse, sine quibus cum vim non habuissent illi ritus, vides cur votis licuerit designare totum. Ceterum in simili causa Propert. II, 9, 25. vota iactat suscepta pro Cynthiae salute, ac constat multis aliis scriptorum locis et Inscriptionibus antiquis in morbis pro carorum incolumitate vota suscipi solita, de qua re dixit Brouckhusius. — V. 11 sq. Ipseque. Per copulam orditur explicationem singularum rerum, cf. ad I, 6, 69. 9, 13. et adde supra I, 4, 41., similem transitum per *neu*. — Mox circum, circumiens cum sulfure. Pronomen te codicibus commendatum etiam propterea verum habeo, quia *ter* melius paullo post dicitur. Nam hic quidem commode omitti potuit, quia per se intelligitur, siquidem ex more ritu uno continuato circumferebatur ter sulfur in lustratione. — puro, purgationi apto, purgante. Graeci *θεῖον καθαρόν* similiter dicunt, ut Theocrit. XXIV, 94. Ceterum vide de lustrationis ratione ad I, 2, 63. et adde Heins. ad Ovid. Fast. IV, 740. Meurs. Exercitt. Critt. P. II. c. 17. — praecinuisset. Propria vox de incantationibus in morbis adhibitis, unde praecantrices dictae sagae. Vide laudatum a Vulpio et Heynio Gronovium in

Observatt. II, 1. Omnino enim constat de usu incantationum in morbis etiam sine purgatione saepe memorato, primum Hom. Odyss. XIX, 409., tum ab aliis, ut Pind. Pyth. III, 51., ubi cf. Boeckhium et Tafelium. Vide praeterea Blomfield. ad Aesch. Prometh. 108. et Iacobs. ad Soph. Oed. Col. 1088. edit. Heller. et Doederl. Adi etiam Plin. XXVIII, 2. et quos Wunderlichius indicat, Wessel. ad Soph. Ai. 581., Wieland. ad Horat. Epist. I, 1, 34. p. 50. — V. 13 sq. Ipse procuravi ne possent saeva nocere somnia, h. e. expiavi ritu sacro, ut notum. De collocatione verborum vide ad I, 1, 18. Et nunc quidem si dixisset: ipse procuravi somnia, ne possent nocere, ultima vide ne nimis nuda essent et languerent, quae nunc aucta verbis *saeva somnia* iustam vim habent. — saeva somnia, ut δεινοῖς ὀνείροις Soph. Electr. 500, comparante Wunderlichio; sunt igitur quae funesta portendunt. Idem affert Valer. Flacc. I, 329: *Quos ego iam mente dies, quam saeva insomnia curis prospicio.* — Mox ter deveneranda, h. e. quae ter deveneranda a me erant, quae ter deveneratus sum, s. ter deveneraus ea. Non causa declaratur his verbis cur procurarit somnia, ut Wunderlichio visum, procuravit enim quia saeva erant, sed potius operam quam impenderit, illustrat et amplificat omni modo. Ceterum *devenerari* est: amoliri, averruncare precibus aut aliis ritibus religiosis, nunc mola salsa in ignem coniecta, quod tribus diversis temporibus fecit. Cum *venerari* sit precari, *devenerari* usurparunt pr. deprecari, notante iam Mureto. Ceterum in hac enumeratione a minori ad maius procedit poeta; primum de *uno* lustrationis ritu dixit, nunc *tribus* temporibus se deveneratum affirmat, mox per *novem* noctes videbis eum vota solvisse. — de mola *salsa* conf. infra III, 4, 9: *at natum in curas hominum genus omina noctis farre pio placant et saliente sale.* Adde Martial. VII, 53. XI, 51. Plaut. Amph. II, 2, 106. — V. 15 sq. Ipse ego, de addito pronomine conf. ad I, 1, 37. — velatus filo, h. e. vitta, infula lanea. Cepit ita iam Turnebus Adv. 29, 31. Notus Livii locus I, 32. Filum *lanae velamen est.* — Porro tunicisque solutis, cum nihil nexi et vincti in sacris esse deberet. De duabus tunicis vide Ferrari de Re Vest. III, 1, p. 175. Forcellin. sub v. tunica. Boettig. Sabin. T. II, p. 113. Interula virorum dicebatur subu-

cula, feminarum intusium. Ceterum Tibullus haec memorat ut appareat, quam diligenter observaverit omnia, quae religio postulat. — Triviae, Hecatae, quae morbum hunc et somnia videbatur misisse. — nocte silente, nunc mediam noctem intellige. — Vota novem dedi, novem munera reddidi. Cum enim Hecate triformis esset (Luna, Diana, Proserpina) ter tria promisit et dedit, notante etiam VULPIO et VOSSIO. Oblata autem haec censet HEYNIUS non una omnia nocte, sed *novem noctibus*, quod verum. — V. 17 sq. Omnia, ait, haec novem vota persolvi, repetens cum affectu antecedentia. Parat sibi ita simul transitum ad sequentia, ut saepius facit repetitionibus. — fruitur amore h. e. fructum amoris mei percipit, mea benefacta redduntur alteri, ut observat LACHMANNUS noster ad Propert. II, 1, 48. p. 100. laudans OVID. Heroid. VI, 75. — utitur, utilitatem capit. Perspicuum est bis repeti eandem sententiam in dolore et cum vi. Ceterum multus in ea OVIDIUS, ut Heroid. V, 59. VI, 75. XII, 174., cum dicit: *Vota ego persolvam? votis Medea fruetur?* aut: *Et nostri fructus illa laboris habet.* — ille, cf. ad I, 2, 60. — V. 19 sqq. Alia descriptione exponit nunc, quam felicitatem imaginatus sit, si Delia secum rure degat. — At. Praeter oppositionem particula hic etiam sensum et affectum doloris exprimit suaviter. Similem significationem videas supra v. 38. Porro I, 9, 37. 48. III, 3, 27. — fuisses, esses, ut saepius. Sic OVID. Amorr. III, 8, 3: *quondam fuerat.* PROPERT. III, 13, 38: *nec fuerat.* CICER. de Offic. II, 1. extr. *quantum superfuerat*, et III; 21, 82: *quod fuerat.* Add. ibi FRID. HEUSING. et cf. CONR. HEUSING. in Praef. p. LX. Res nota. — Fingebam, sed renuente deo, fingebam, sed frustra. Difficultatem vero creare videtur v. demens, cui primo adspectu repugnat sed. Ac SANTENIUS quidem coniecit *et renuente deo*, ut haec cum *demens* iungerentur, WUNDERLICHIUS autem recte quidem tenet *sed*, minus vero apto loco collocatum putat *demens*, quod interponendum fuisse dicit antecedenti sententiae, ut apud Graecos *τάλας*, *δείλαιος*, Latine *malus*, *miser* interponantur. Assentitur BACHIUS. Sed non animadvertunt totam oppositionis rationem, quae hic habetur, repugnare tali collocationi. Immo recte omnia habent. *Imaginabar quidem*, ait, *felicem vitam, ut eram*

demens, sed renuebat deus. Ceterum deus vel Amor est, vel in genere pro numine divino hic dicitur, ut infra II, 1, 9. — V. 21 sq. Rura colam. Exemplum eximium transitus subiti in directam orationem ab indirecta, s. *μεταβάσεως ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ εἰς τὸ μιμητικὸν γένος*, ut infra II, 5, 39 sqq. Alii loci sunt Ovid. Heroid. XIX, 41. Propert. III, 6, 19 sqq. IV, 1, 71., quos laudat Huschkius. Adde porro Virg. Aen. VIII, 293., ubi vide Heynium, Horat. II, 19, 17. cum annotatione Mitscherlichii, et Ped. Albinov. Eleg. de morte Drusi v. 31 sqq. laudante Vulpio. E Graecis denique vide Hom. Odyss. I, 40. 374. IV, 686. Il. XV, 548. Xenoph. Hist. Gr. I, 1, 27. Demosth. adv. Polyclem p. 1218. Heindorf. ad Platon. Protag. §. 35. — Sed videamus singula. Ac primum quidem negotia rustica Deliae describit — Area dum teret, ex more notissimo Italiae et Graeciae, cum frumentum statim in agri aliquo loco editiore tereretur, vid. Heynii Observatt. et Voss. ad Virg. Georg. I, p. 101. Ceterum quod poetice area terere dicitur quae teruntur in ea, de hoc, si tanti est, confer Heynium. — sole calente, horis meridianis, cf. Virg. Georg. III, 132. Interim Delia aderit custos, quasi materfamilias et domina, ne quid auferatur furto. — V. 23 sq. lintribus, in quibus portabantur uvae collectae in vindemia (*Butten und Mulden*), vid. Voss. ad Virg. Georg. I, 262. cum Servio. Iidem naviae picti. — candida musta, de albi coloris vino accipienda videntur. Plinius, quem laudant, *musta* ait, *differentias habent naturales has, quod sunt candida aut nigra aut inter utrumque*, Hist. N. XXIII, 1. Ac recte disputant Heynius, Vossius, Wunderlichius contra Brouckhusium, qui *pinguia* reposuit. Sane Propertius III, 17, 17. purpureum mustum laudat, sed Tibullus quidni album vinum in praedio suo habere potuerit, quidquid fuerit causae? Neque enim probabile omnia vina huius generis deterioribus adnumeranda fuisse. — V. 25 sq. Consuescet numerare pecus. Variat orationem et sine copula pergit, ut monet pluribus Wunderlichius. Nervosa est haec ratio; nam vario modo curant poetae ne languescat procedens oratio. Suavis autem vox *consuescet* de negotio quotidie redeunte; numerabatur enim pecus aut semel vespere, aut bis, mane et vespere, cf. Voss. ad Virg. Eclog. III, 34. Sperabat vero

omnino Tibullus fore ut Delia plane assuesceret negotiis rusticis, eaque ita ei placerent ut discedere nollet unquam. — consuescet ludere verna etc. Consulto mutavit subiectum. Non Delia consuescet ludere cum verna, quae nec per se commoda locutio est, nec mentem poetae exprimit, sed verna in Deliae gremio, posita timiditate. Hoc enim vult: Assuescet Delia negotiis rusticis, assuescent rustici amare Deliam, in quo optime vernae familiaritate pro exemplo utitur. Constat enim vernas fuisse domi natos et nutritos pueros servos, quos liberalius habebant, placebatque eorum garrulitas, dicacitas, familiaris consuetudo, cf. Heind. ad Horat. Sat. II, 6, 66. — V. 27 sq. Secundo loco de cultu deorum agrestium dicit. Nominat vero instar omnium Silvanum, quem arvorum pecorisque deum Virgilius dicit Aen. VIII, 601. Atque ut arvorum deo spicas, uvas, poma ei offerebant, ut pecoris, lac et dapem. Vide plura apud Voss. ad Virg. Eclog. X, p. 511. Agricolam deum vidisti eum dictum iam supra I, 1, 14. atque iterum errant qui collective haec verba accipiunt de diis agricolis, quod alienum ab hoc loco. Suavis autem Tibulli imaginatio. Quarum enim trium rerum praecipuarum curam mandavit Deliae, harum ea nunc etiam primitias offeret deo quasi domina et materfamilias. — segete, producitur syllaba finalis sequentibus consonantibus ut alias. Plura vide apud Bachium. — pro grege, ovium et caprarum puta. Ceterum in voto pro bubus faciendo exesse debebat mulier, cf. Cato de Re Rust. 83. — V. 29. 30. Iam descriptio singularum rerum antecedentium clauditur pulchre *generali sententia*, *per quam deinde ad alium locum pergit.* — Coniunctivos pro futuris posuit. Possis quidem regat pr. regito, sint pr. sunto accipere, ut Ulysses Penelopae dicit Hom. Odyss. XIX, 265: *σοὶ δ' ἐνθάδε πάντα μολόντων*, sed alia ibi res, et non convenit iuvet, quod aperte pr. *iuvabit* est. Sunt coniunctivi etiam in sequentibus. Nimirum in priore parte descriptionis ipsa futura usurpaverat, nunc molliori facto affectu ad coniunctivos transit. — *Adiuvet*, quod in libris, Gebhardus per *in partem iuvet* explicari hic posse putabat. Frustra. Qui *At uvet* defendere volent, opponent hoc vv. illa — illi, et explicabunt: *At iuvet* — *me* p. At me, me vero iuvet. Sed hoc sensu Tibullus *At me* dixisset, ut toties *At tu*, *At tibi*, *At te*

dixit. Quare unice verum **Et iuvet.** Ceterum ad hunc pentametrum distichi confertur MARTIALIS illud XIV, 193: *Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum, in tota iuvit quem nihil esse domo.* SANTENIUS vero attulit AUSON. Parent. XIX, 8: *Quod gereret totam femina sola domum.* — V. 31 sqq. **Denique de hospitalitate dicit.** — **Huc veniet Messala meus.** Cave *veniat* corrigendum putes; coniunctivos de iis posuit, quae Deliam facturam opinabatur. — **cui detrahat,** h. e. cui tunc detrahat. Notandus hic usus pronominis relativi simplicis in re, quae *sequitur* alteram, maxime poeticus; nervosam enim copulationem habet. Sed etiam de re quam nunc tractat poeta, de veneratione Messalae, monendum est verbo. Etenim venerabatur Tibullus Messalam ut eum, cuius patrocinio praedii, quod restabat, conservationem deberet, ob quam causam etiam infra II, 1, 31. laudes huic viro habentur. Quare nunc in partes iucunditatum rusticarum venire debet, ubi redierit ex Oriente composito; offerentur ei fructus et epulae a domina praedii Delia, quae cum Tibullo gaudebit curare et colere meritissimum patronum. Sic absolvitur pulchre felicitatis, quam imaginabatur poeta, descriptio. Nempe dixit primum de negotiis rusticis Deliae, tum de sacris rebus, denique de hospitalitatis et amicitiae muneribus iucundis, ut solet saepe etiam alias *tribus momentis secundum gradationem ordinatis* complecti poeticas descriptiones suas. In antecedente descriptione tria disticha talia vidimus, nunc sunt maiores loci. Vide plura de hac re explicata in Dissertatione de Poesi Tibulli cap. II. — V. 33 sq. **venerata,** h. e. venerans ut III, 4, 47. noto usu. Similiter *operata* II, 1, 9. 65. 5, 95. ut OVID. Met. VII, 746. VIRG. Georg. I, 339. *vaticinata* OVID. Heroid. V, 114. WUNDERLICHIUS etiam Gronovium laudat ad Tacit. Ann. III, 43. Notabis porro *venerari* hoc loco de officio, officiosa observantia in hospitem et amicum dictum, monente etiam HEYNIO. — **hunc sedula curet.** De metro VOSSIUS confert Virg. Georg. III, 155. Aen. I, 16. WUNDERLICHIUS Iuven. II, 26. III, 70. Adde VIRG. Eclog. III, 6, 63. et alia allata ab HUSCHKIO infra ad II, 2, 5. Nota res est. Ceterum *curari* hospites dicebantur, cf. PLAUT. Poenul. III, 3, 80: *Ego id quaero hospitium, ubi ego curer mollius.* Add. OVID. Heroid. XVI, 302. Est enim verbum mensae et convivii,

cf. Brouckhusium. — Pergit: Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat, h. e. huic paret epulas atque gerat, substantivo ambobus verbis communi in secundo membro posito, vid. ad I, 2, 42. Hoc loco sic nervosior fit oppositio verborum paret — gerat. Denique *gerat* est: afferat, veluti I, 10, 27: *canistra geram* est pr. feram — V. 35 sqq. Finitis antecedentibus tertia descriptio succedit, ubi dolores subsecuti exponuntur. — Queritur: Eurusque Notusque, rapidissimi venti, ludibrio habent haec et iactant in longinquis regionibus. Non igitur dicit portata ab urbe his ipsis ventis in Orientem vota sua, quod fieri non poterat, sed ablata (quacunque vi inimica) in peregrino solo haberi et agitari et iactari Euro Notoque. Ceterum vide ad I, 4, 22. — per Armenios, per Armeniam. Nominari videtur haec regio ut prae aliis Asiae terris edita et ventosa. — odoratos, propter frutices bene olentes, imprimis amomum, de quo Plinius XII, 28. dicit: *nascitur et in Armeniae parte, quae vocatur Otene.* Dubitat Heynius an hoc tam accurate tenuerit poeta; potuisse epitheton a Syris et Arabibus ad vicinos Armenios traduci. Vossius tamen recte de ipsius Armeniae amomo cogitat. Idem describit amomum ad Virg. Eclog. III, 89. Denique cur hoc epitheton adiectum? Ornatus causa; sed ne otiosus sit ornatus, haec adde: Cum Romani plurimum uterentur odoribus Orientis trans mare advectis, clarior imago sic oriebatur lectori *longinquitatis.* Feruntur, ait, in remotissimis istis regionibus trans mare sitis, unde odores ad nos veniunt. Atque haec hactenus. — V. 37 sqq. Succedit ultimus locus ipse. verterat, confestim vertit. Non recte plusquamperfectum cepit Wunderlichius ad sequentia id referens. — V. 40. Admonuit, proprie et significanter; sic enim dicitur, quod cum aculeo aliquo in memoriam nobis redit, ait Brouckhusius, qui Gronov. Diatrib. in Statii Silv. c. 49. laudat et ipse exempla apponit. Adde Ruhnkenii Dictata in Ovid. Heroid. pag. 24. edita a Fridemanno. — deseruit, non adiuvans poetam in eo, quod agebat. Ceterum iniuriam feceris Musae Tibulli, si cum Ovidii lasciva poesi talia compares. Sunt quidem loci nonnulli, ubi talium rerum mentionem admisit Tibullus, sed fecit non sine causa, ut in exsecratione, cf. infra v. 55. et I, 9, 52 sqq. ubi vide notata. Et nunc quidem quod

narrat ad vilium adeo mulierum amplexus se descendisse, si posset avocare mentem a Deliae cogitatione, de vilibus ita loqui licebat; Deliae amplexum nusquam describit libidinose. Simul vero poeticam rationem loci considera. Quid enim gravius post felicis vitae speratae descriptionem hac proxime subiecta dissolutae vitae adumbratione, ad quam Deliae perfidia desperatis in rebus delapsus est? Ac noli assentiri Huschkio aliisque vituperantibus poetae compositionem, sed missis novitiis iudiciis antiquae poeseos sensum affer, nervosas oppositiones amantis. — V. 41 sq. discedens, recte. Quod *surgere* saepe absolute dicitur pr. surgere e lecto, similiterque *cubare* (I, 6, 11. 18), inde non sequitur etiam *descendere*, quod in aliis libris est, ita dictum. — devotum appellant, cui magicis artibus vis mascula deperiit. Ovid. Amorr. III, 7, 27: *Num mea Thessalico languent devota veneno corpora? Num misero carmen et herba nocent? Sagave punicea defixit nomina cera et medium tenues in iecur egit acus?* Adde Heroid. VI, 91: *devovet absentes simulacraque cerea figit et miserum tenues in iecur urget acus.* Erant etiam laneae imagines, ut Amorr. III, 7, 79. videbis. Ceterum vide Heinsium ad Amorr. III, 7, 29. et Statium ac Brouckhusium ad Tibullum. — mea. Assentior Nodellio, Huschkio, Lachmanno, qui *meam* (Tib. II, 6, 52.) scribendum censent. Tam magnam, ait, in me vim habet recordatio Deliae, ut istae feminae devotum me ab ea credant et nefandas artes magicas puellam meam scire narrent, cum ea tamen sola pulchritudine sua hoc efficiat. Sic omnia bene nexa. Quod Wunderlichius *nefanda mea* tuetur et *turpia* explicat, certe non de turpitudine Tibulli, sed de vi Deliae hic agitur, ne alia addamus. — V. 43. verbis, carminibus. Etiamsi codicum auctoritas minus certa esset, tamen res ipsa doceret posthabendam lectionem *herbis.* Quamquam enim per se vel verbis vel herbis designari potuit devotio, hic tamen ubi statim partes corporis laudantur, accuratior et suavior est manifesto verborum oppositio et formae pulchrae, quam herbarum. Ceterum *sed* omissum esse ante facie cum vi per se patet. Vide exemplorum copiam apud Drakenb. ad Liv. I, 25, 3. Infra II, 1, 71. 4, 19. IV, 1, 193. aliaque hic laudantem Wunderlichium in edit. min. — V. 45 sq. Talis Thetis. *Εὐειδέα* dicit Pindarus Isthm. VII, 28. *Pulcherrima Neptu-*

nine CATULLO audit Epithal. 28., unde etiam certaverant de ea Iuppiter et Neptunus. — fraenato pisce, delphino, ut ap. VALER. FLACC. I, 130 sqq. Quo etiam aliis temporibus vehitur, cf. OVID. Met. XI, 237. Notat BROUCKHUSIUS. De v. *fraenatus* BERNARDINUS CYLLENIUS confert STAT. Achill. I, 221: *Elicit inde fretis et murice frenat acuto delphinas biiuges* etc. Omnino de animalibus marinis, quibus insident dii marini, dixit VOSSIUS in Epist. Mythol. T. II, ep. 22-28. Ibidem explicatum est epitheton usitatum caerulus, quod de vestium colore caeruleo est intelligendum. Et hic quidem manifesto ad ornatum appositum est pulcherrimae deae. Neque enim otiosum haberi debet. Ceterum varie tractata a poetis fabula de his nuptiis, cf. HEYN. h. l. et PIND. Nem. IV, 62 sqq. et Isthm. VII. —

V. 47-66. Medium carmen. Pars altera rerum. Dehortatur Deliam graviter a praeceptis lenae et pauperis amatoris officia laudat.

V. 47 sq. Haec nocuere mihi, quod etc. Sunt qui post *mihi* maiorem distinctionem ponant et ad antecedentia colon trahant, veluti OVID. Met. IX, 612. enumeratione rerum nocentium finita addit eadem verba. Sed primum mala hic est talis repetitio, quasi illud maxime doleat et iterum iterumque inculcare velit, quod vis mascula eum destituat in istis amplexibus; nam in hoc nexu *nocere* aliter intelligi non posset. Deinde cum nunc haec sit sequentis sententiae ratio: *Quod adest huic dives amator, lenae debeo in exitium meum quae venit et corrupit puellam,* quo tandem nexu haec cum antecedentibus iunguntur? Respondeas per oppositionem iungi. Intelligas igitur sic: Haec nocuere mihi in amplexu, quod vero dives amator huic adest, in eo lena mihi nocuit. Audio, sed non dixit ita Tibullus. Cum enim *nocendi* notio nunc in utraque sententia insit, oppositio non in hac potest esse, sed est necessario in adiunctis, unde ego addidi verba: in amplexu, qualia etiam Tibullus addere debuisset. Deinde cum ex ista ratione non v. *adest*, sed v. *dives amator*, non v. *venit in exitium*, sed v. *lena* primum locum tenere debeant in membris suis, etiam hoc secus habere vides. Quare tota ista ratio perversa, ne plura addam. Teneamus igitur alteram loci constructionem HEYNIO, WUNDERLICHIO, LACHMANNO probatam, quae unice

vera est. Etenim toti parti antecedenti subest querela, quod deseruerit ipsum Delia. Vidisti lamentantem quod vota suavissima de vita rustica cum ea transigenda nunc ventus iactet, ostenditque nulla vi delebilem esse dolorem iacturae desideriumque puellae. Atque hoc tali sensu plenus quidni recte pergat: *Hic fons malorum mihi, quod dives amator ei adest et lena pessima!* Abrupta haec nobis primo adspectu videri possunt, si non attendimus accuratius; non poterant poetae, toto animo iacturam suam cogitanti. Hic, qua erat vivida phantasia, saepius a summa antecedentium proficiscitur ad novam rerum partem, quemadmodum nunc a cogitatione mali, quod patitur, pergit cum affectu ad causas et auctores eius aggrediendos. Dixi de hoc genere transitus apud Tibullum in fine Dissertationis de Elocutione poetae. Post haec non erit, spero, qui corruptum habeat hunc locum aut lacunosum. Ac pluralis h a e c positus, cum duae res sequantur quae nocuerint, ut monuit iam Wunderlichius, asyndeton vero a d e s t — v e n i t non ferri tantum potest, sed optime habet in hoc vigore et affectu orationis. Dictum autem V e n i t in exitium meum pr. venit ad corrumpendam Deliam. — V. 49 sqq. Succedit exsecratio lenae gravissima, cuius veram rationem non assecuti sunt interpretes. Quod enim aliquoties supra monui, tenendum etiam hic est, poenam ingeniose accommodatam crimini esse. Erat autem rapax lena (v. 59), quare et alias saepe mercede conducta corruperat puellas et nuper Deliam. Pro qua pessima avaritia quid merebatur aliud, quam ut inops et egena in posterum fame et siti excruciaretur saevissima? Nunc vide poetam. — S a n g u i n e a s e d a t i l l a d a p e s, h. e. rapiat et devoret crudas carnes, si invenerit, ad satiandam famem, atque o r e c r u e n t o ex cruda ista carne, quod magna cum vi repetitur, p o c u l a aquae t r i s t i a b i b a t c u m m u l t o f e l l e ad sitim explendam non minorem. Fel est amarissimi gustus, atque ut alias acetum cum aqua mixtum sitis ardori exstinguendo inservit, sic lena fel, ubi invenerit, animalium mactatorum hauriat aquae infusum. Quod vides ipse quam sarcastice dictum sit. Ceterum *tristia* sunt amara, ut satis constat. Postremo notari potest etiam Propertium IV, 5, 2. et Ovidium Amorr. I, 8, fin. sitim imprecari lenis, de quibus loquuntur, vinosis. — V. 51 sq. H a n c v o l i t e n t a n i m a e c i r c u m sqq.

Simul, ait, terreant et insectentur eam umbrae mortuorum amantium, quorum amores laesit corruptis puellis, et mortem acceleravit moerore illato maximo. Nam peremtorum animas violenter insectari eos, a quibus morti dati essent, vulgaris fuit antiquitatis opinio. Hic multos de ea re locos indicavit Brouckhusius, cf. v. c. Horat. Epod. V, 92 sqq. Virg. Aen. IV, 385. Ovid. Ibid. 145. Valer. Flacc. III, 378 sqq. Stat. Theb. III, 75. — sua fata querentes, praematuram mortem. — Semper, h. e. nunquam vetula placare possit eas ut desinant saevire; durabat enim talis Manium saevitia donec aliquo modo placati et propitiati essent, cf. Sueton. Calig. 59. Othon. c. 7., quos locos Brouckhusius laudat. — strix violenta canat, infesta, ut Heynius, Vossius, Wunderlichius interpretantur. Hic Virg. Aen. XII, 864. comparat, ubi de bubone est: *canit importuna per umbras.* Constat vero strigem fabulosam fuisse avem, cf. Plin. XI, 95. cantu funesto. Augeat, dicit Tibullus, etiam haec dira voce sua terrores lenae. — V. 53 sq. Ipsa. Suavi variatione pronomen opponitur strigi; sic non opus eadem pronomina repetere. De sententia haec tene: Cum supra dixisset: Sanguineas edat illa dapes, nunc alia similia addens pergit: quaerat herbas sepulcris et ossa relicta lupis. Vides igitur quid res sit. Orsus ab imprecatione famis, deinde subiectis aliis, nunc nova cum vi ad famis imprecationem redit, eamque continuat additis aliis et absolvit, pulcherrima forma compositionis, quae Graeco more illustrari potest notato a me ad Pind. Pyth. XI, p. 341. Sed deprehendas eandem cum alias tum supra I, 1, 65 sqq. et ap. Propert. III, 7, 7-12. ubi sententia verborum: *Et nova longinquis piscibus esca natat*, post interpositum distichon v. 9. 10., alio modo redditur et continuatur verbis: *Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae*, sqq. Vide etiam Dissert. de Poesi Tibulli cap. II. Semper vero eximiam vim habet rhetoricam et poeticam talis divisio rerum, talis fortior ad principium reditus post interposita alia quaedam, quae interruperant cursum. — sepulcris, unde ne pecori quidem impune fuit carpsisse herbas, cf. Ovid. Fast .IV, 751. Adde Vulpium, qui e Cod. Theodosian. libr. V. titulum de sepulcro violato affert: *Lapidem e bustis movere, terram sollicitare et cespitem vellere proximum sacrilegio maiores semper habuerunt.* — saevis. Ipsi

luporum saevae voracitati relicta. Ceterum similem famem describit LUCANUS VI, 109-117. — V. 55 sq. Continuatur descriptio summi furoris ex fame. Mentis non compos, ait, currat nuda scissis vestibus per urbes ululetque furiosa in modum bestiarum fame furentium, in quo turpitudo inguinum et pudendorum nudatorum ad impuritatem lenocinii pertinet; discant omnes quam infamem quaestum exercuerit mulier, non veri amoris sed libidinum adiutrix. — Post agat, pone vero sequens agat e triviis et persequatur turba canum, ut etiam Hecatae coenam ibi positam attingere nequeat. Constat enim Ἑκάτης δεῖπνον singulis noviluniis a ditioribus in usum pauperum in triviis poni solitum, cf. HEMSTERHUS. ad Lucian. Dialog. Mortuor. I, 1., nec non interprett. ad ARISTOPH. Plut. 596. cum Scholiis et ad PETRON. c. 135. Ceterum *post* est: a tergo, ut I, 10, 24. Adde WUNDERLICHIUM. Atque ita explicitis singulis vides perfectam unitatem loci totius, in quo si foeditas rerum tibi displicuerit, memineris imprecationis nervosae causa omnia dici, quae etiam alias turpia invexit, cf. ad I, 9, 52 sqq. Summum autem consilium poetae non hoc tantum fuit, ut iram in lenam evomeret, sed voluit simul indirecte Deliam avocare et deterrere a praeceptis scelestae mulieris, cuius turpitudinem imprecationibus gravissimis luculenter declaravit. Atque hoc statim e sequentibus discas. — V. 57 sq. dat signa deus. Intelligit omen, quod sibi videtur accepisse. Dicit autem hoc manifesto ad terrendam Deliam. Mox relicta Venus iniusta lege est cum alteruter amantium alterum perfide deseruit, ut nunc Delia Tibullum, et saevit est pr. poenas sumit. Et nunc quidem primum sane lena punietur perfidiae auctor, deinde vero, hoc enim simul innuit, etiam Delia, nisi quam primum ad meliorem frugem redierit. Quis enim iam non sentit quid subsit his verbis, quo tendant omnia? Observabis autem eximiam lenitatem poetae amantis, qui parcit quantum potest per totum locum puellae carissimae. Gravia dicit, sed non directis verbis castigat perfidiam eius, imprecatur lenae, nuntiat iram Veneris, Deliam ipsam nondum nominavit, propter quam haec dicta sunt maxime. Hoc est indirecte, tecte admonere et tamen graviter. — V. 59. 60. praecepta sagac. Talia invenies apud PROPERT. IV, 5, 21 sqq. Noli igitur, ait, divites amatores praeferre. — nam donis vin-

citur omnis amor, omne foedus amoris solvi potest; cf. ad locutionem infra III, 6, 4: *Saepe tuo cecidit munere victus amor*, et LACHMANNUM ad Propert. pag. 52., ubi etiam monetur *omnem amorem* sic dici, ut natura amoris significetur. Nunc quid sibi velint poetae verba, nexus et comparatio sequentium docet. Nam dives amator, ait, cum donis suis omnia pateant, omnis puella ab eo expugnari possit, non fidus erit, sed deseret te, simulac aliam concupiverit. Atque ita haec etiam WUNDERLICHIUS cepit, qui confert PROPERT. II, 26, 27: *Multum in amore fides, multum constantia prodest: qui dare multa potest, multa et amare potest.* Contra BROUCKHUSIUS, VULPIUS et HEYNIUS ita constituunt sensum: Cum primum dona admittes, sis licet castissima femina, tamen fides tua statim victa erit, eris semper nova praeda ditioris et plus offerentis. Sed monuit iam WUNDERLICHIUS nec adiectivum *omnis*, nec sequentia pati talem explicationem. — V. 61 sqq. Pauper vero, pergit, fidissimus. Praemittit poeta generalem sententiam, deinde singularum rerum enumerationem subiiciet secundum gradationem. Est autem optima emendatio loci, quae in MURETI editione habetur: pauper erit praesto semper tibi. Significat locutio paratum esse ad officia, ut constat, cf. VULPIUM, ductaque nunc est a servorum ministeriis. Aliis locis de patronis usurpatur, qui causas defendunt, vid. HEINSIUM ad Ovid. Remed. Amor. 663. RUHNKEN. Dictat. ad Terent. Phorm. II, 1, 36. Tibulli verba HUSCHKIUS ita emendat: pauper erit praesto, praestolans pauper adibit. Sed cum *praestolor*, quantum scimus, significet *praesto sum stans aut exspectans*, repugnat *adibit*, nec admitti potest ista coniectura. — adibit primus. Cum plures Delia amicos et admiratores haberet, ut aliae huiusmodi puellae (cf. PROPERT. II, 9, 27.), qui matutinis horis salutatum venirent, pauper, ait, primus veniet. — fixus erit, non discedet a latere tuo, officiosus, omnia iussa tua, omnia vota paratus exsequi. Ad locutionem praeter GEBHARDUM vide BROUCKHUSIUM, qui confert OVID. Amorr. III, 11, 17: *Quando ego non fixus lateri spatiantis adhaesi?* Et CATULL. XXI, 6: *iocaris una, haeres ad latus, omnia experiris.* At HORAT. I, 32, 10. VIRG. Aen. X, 779. *haerere alicui* dictum pr. comitem esse. Denique malo sensu est *lateri adhaerere* LIV. XXXIX, 25. — tenero, revocato ad partem corporis epitheto

quod toti competit, cf. ad I, 1, 46. Est igitur sensus: in caro latere tenerae puellae. — Subiiciet manus, subter brachia puellae puta (*wird sie unterfassen*). Aliud simile officium Horatius habet Epist. I, 6, 51. notante Huschkio. — efficietque viam. Ovid. Art. Am. II, 210: *Ipse face in turba, qua venit illa, locum.* — Denique Tibullus addit v. 65. Pauper ad occultos furtim deducet amicos. Licuit enim Athenis et Romae feminis liberiorem vitam amplexis interesse conviviis amantium. Vid. infra II, 3, 47. III, 6, 59. et Ovid. Amorr. II, 5, 14 sqq. Laudat Huschkius Demosth. contr. Neaeram p. 1352: *καὶ συνέπινε καὶ συνεδείπνει ἐναντίον πολλῶν Νεαίρα αὕτη, ὡς ἂν ἑταίρα οὖσα.* Wunderlichius addit Theocrit. XIV, 31 sqq. et Plutarch. Alexandr. c. 38. et Horatium, ubi v. c. vide I, 36, 13 sqq. IV, 11. Res nota. — occultos furtim deducet amicos, cumulate, ut saepe in una sententia adiectivum et adverbium similis significationis ponunt. Confert Wunderlichius II, 6, 45: *furtim occulto sinu.* I, 7, 13: *leniter tacitus.* I, 10, 34: *clam tacito pede,* et IV, 6, 18. *clam tacita mente.* Vide porro I, 6, 6: *furtim tacita nocte.* I, 8, 60: *nullo strepitu clam.* II, 6, 11: *magnifice magna locuto,* et II, 1, 80: *placidus leniter.* Similiter, ut Graeca conferam, hoc genus habet v. c. Pindarus Isthm. I, 28: *τῶν ἀθρόοις ἀνδησάμενοι θαμάκις ἔρνεσιν χαίτας.* Est autem cumulatio talis consulto posita. Et nunc quidem per pauperem amatorem, Tibullus ait, etiam conviviorum voluptate frueris, dabitque hic studiose operam ut sine metu possis; ne interveniant importune alii iuvenes tibi ignoti, si compererint puellam formosam adesse, furtim ducet ad occulte coenantes, ad occultum et alii nemini notum convivium amicorum. Vossii coniecturam *cultos* merito castigarunt Wunderlichius et Huschkius. — Vinclaque detrahet. Similiter *demere, adimere* soleas dicunt. cf. Ovid. Met. III, 168. ibiq. Burmann. et Art. Am. II, 212. *Detrahere soccos* est Terent. Heaut. I, 1, 72. Rem vero quod attinet, demtas in conviviis soleas Wielandius docet ad Horat. Sat. II, 8, 78. laudatus a Wunderlichio, et Heindorfius ibid. Adde Iacobs. ad Anthol. Graec. Vol. II, p. 235. Schmidium ad Horat. Epist. I, 13, 15. Res nota. — ipse. Vulgo enim servi faciebant.

V. 67 - ad finem. Exitus. Cum preces non audian-

tur nec aperiatur ianua, rivalem divitem monet irridens, ne nimium confidat aurae secundae; esse enim iam alium, qui puellam concupiscat.

V. 67 sq. Heu canimus frustra. Sic dicit Liv. 40, 8: *surdis auribus canere*, et conferri potest *ἄλλως ᾄδεις*, quae *παροιμία* est *ἐπὶ τῶν μάτην πονούντων*, vid. Iacobs. ad Antholog. Gr. Vol. I, p. 108. Quae etiam in prosa oratione dicuntur; hic autem carmen habemus *παρακλαυσίθυρον*, stante poeta, ut fingitur, et querente ante ianuam clausam. — victa, cf. I, 2, 9. — plena manu, h. e. plena auri, ut Cyllenius, Vulpius, Heynius, Wunderlichius, alii viderunt. Sic *manus gravis*, *vacua*, *χεὶρ πλήρης*, *χεῖρες κεναί*, de quo usu docte egit Mitscherlichius n Tentam. crit. p. 6. 7. Vide v. c. Hom. Odyss. X, 42. XI, 358. Brouckhusius et Forcellinius perperam de oppugnationibus forium nocturnis cogitant, quae validis ictibus percutiendae sint. Aliena hic res. — V. 69 sq. At tu, cf. I, 2, 89. — potior, Horat. III, 9, 2. ubi vide Mitscherlichium, ut hic Brouckhusium. — mea fata timeto. Similiter Horatius feliciori rivali talia auguratur Epod. XV, 17. monente Wunderlichio. — Versatur Fors etc. h. e. vertit se facile. Constat veteres, non classicae quidem dico aetatis Graecos scriptores prosaicos et poetas epicos, lyricos, tragicos, quos novimus, at sequentes circa Alexandrina tempora, tum Romanos, *Τύχην*, *Νέμεσιν*, Fortunam globo aut rotae exhibuisse insistentem, cf. Iacobs. Animadvv. in Callistrat. p. 701. fin., et adi v. c. Cicer. in Pison. 10. Ammian. Marcellin. 26, 8., alia plura apud Brouckhusium. Videtur *Καῖρος* Lysippi stans in *σφαίρᾳ* primum certum exemplum rei esse, de quo constat. — V. 72. ac crebro prospicit, praetereuntes noctu puta, qui cum appropinquant, refugit ne agnoscatur. — V. 73 sq. mox deinde, ut notante Wunderlichio est *post deinde* Terent. Andr. III, 2, 5., ubi vide interpretes. Adde praeterea interpretes ad Cornel. Nep. Vit. Eumen. c. 5. maxime Bosium, qui multa similia notavit. — excreat, ut significet puellae se adesse. Aliud exemplum signi ita dati vid. Ovid. Heroid. XXI, 24. Ceterum quod Ovidius Trist. II, 460. hunc versum imitans cum aliis ibi coniungit e sexta elegia petitis, nisi memoria lapsus est, libertate poetica utitur. Nam hoc loco Tibullus de tertio quodam

homine loquitur, in sextae elegiae versibus autem de se et de suis artibus furtivis; quod discrimen non curans Ovidius etiam hunc versum ad Tibulli artes transfert, quibus hic alio tempore coniugem Deliae decepit. Vides de tempore quintae elegiae nihil e tali licentia effici posse. — V. 75 sq. furtivus amor est, quem Delia et tentator novus furtim fovere videntur inscio amatore divite isto. — utere scil. opportunitate, quod e sensu loci eliciendum monet Huschkius. Ceterum cf. Tibull. I, 8, 48. Propert. I, 13, 34. IV, 5, 58. Terent. Phorm. III, 2, 24. — quaeso est obsecrantis cum ironia, monente Wunderlichio. — in liquida nat tibi linter aqua. Proverbialis locutio pr. adest tibi fortunae opportunitas. Horat. Epist. I, 18, 87. comparante Vossio et Wunderlichio: *Tu dum tua navis in alto est, hoc age ne mutata retrorsum te ferat aura.* Nec abundat liquida; designatur enim facilis et expeditus cursus. Ceterum vid. ad I, 1, 62. —

ELEGIA VI.

INTRODUCTIO.

Vidimus Tibullum in elegia secunda primum post nuptias Deliae nova eius limina tentantem; impetraverat deinde quod cupiebat et saepe admissus clam marito, ut ex hoc carmine videmus, fuerat aliquamdiu solus in amore puellae. Deinde vero suspicio orta novum rivalem irrepsisse, ac cum negante licet Delia res non dubia videretur, scripsit hanc elegiam ultimum, si fieri posset, ad castitatem et fidem revocaturus amatam. Videamus propius eius rationem. Atque exordium quidem querelam habet. Accusat poeta

Amorem, quod denuo tristis et asper sit, et lamentatur alium amatorem adesse et Deliam artibus fallendi, quas ipse docuerit, nunc contra se uti. Iamque in hoc magno dolore suo maxima quaeque comminiscitur ut coerceatur licentia puellae. In quarum rerum tractatione versatur argumentum carminis, quod *duas* maxime *partes* habet. *Primum* enim custodiam severam meditatur. Adit verbis ipsum maritum et hortatur eum, ut servet diligenter uxorem, quae multis modis eum fallat, et cum incautus esset iste homo et impar videretur huic custodiae, suam ipsius opem in ea re offert: fatetur marito ingenue structas saepe insidias et clandestinum usum puellae, ut quem hic videat fallacias uxoris nosse omnes, ei ne dubitet committere custodiam feminae ambobus carae, si modo alii omnes sic excludantur amantes. At enim, ais, num probabile erat facturum maritum quod cogitat Tibullus? Nimirum versamur in poesi, et quaeritur ante omnia quid amantis anxietati conveniat. Atqui Tibullus primum apertus amator Deliae, deinde post nuptias clandestinus, nunc novum rivalem nactus, quod semper intolerabile ei fuit in hoc amore, tandem ultima tentat et severam custodiam imaginatur vel cum marito si fieri possit curandam. Neque tamen revera adit maritum et rogat; sunt haec commenta vividioris phantasiae, et amoris et zelotypiae quovis modo rivales prohibere conantis, sunt minae poeticae Deliae scriptae, propemodum parato ad extrema amatore, nisi ad fidem puella redeat. Atque haec quidem prima pars est; accedimus ad *secundam*. Narrat poeta in sequentibus etiam ipsum Amorem ita fieri iubere; consulta sacerdote Bellonae, cuius religionis ritus terribiles describit, responsum sibi datum, inopia statim poenas daturum, quisquis Deliam corruperit, atque alia mala puellae destinata. Tamen huic levem poenam precatur; quamquam enim ipsa merita sit iram suam, nihilominus propter matrem se ei parcere ait, cuius officia bona deinde maxime laudat, simul hortans ut ad castitatem filiam revocet. Quodsi haec casta sit, etiam sibi duras castitatis leges imponit et severas poenas vel in suspicione falsa decernit, ab amata vero iratas manus cohibiturum se promittit, ne metu sed amore fida sit. At quae nulli fidem servavit, pergit, eam in senectute miserrima sors manet; contemta a iuvenibus cogitur lana facienda vitam egenam sustentare, qua poena

Venus afficere solet infidas. Vides ex hac enarratione secundam partem elegiae maxime in poenis divinis perfidiae declarandis versari; primum enim oraculum Bellonae tractatur, in fine autem communis infidarum mulierum in senectute miseria proponitur, quam Venus mittit; nam etiam haec propter Deliam dici quis non videt? Inter hos duos locos tertius denique interpositus est lenior et mitior, ubi non laudat quidem puellam, sed tamen iram se remittere dicit propter matrem, et sibi etiam severas leges imponens, sic favorem Deliae captat, si ea ipsum paratum videat durissimas poenas subire, amatae vero parcere velle manibus. Quae quidem non blanditiae molles sunt, sed tamen quantum quidem huius elegiae acerbitas patitur, temperamentum gratum afferunt ceteris durioribus verbis et amorem testantur etiamnum magnum. Atque haec quidem secunda pars est. Collige nunc quae exposuimus. Primum de custodia dicit, exponens pulchre dolos varios et artes quibus ipse fefellerit maritum et nunc puella callida uti possit in alia re, postulatque maximam in his fallaciis custodiae diligentiam. Sed cum tamen etiam maxima custodia non satis terreat audaciam callidam puellarum, mox progrediens longius per gradationem affectus assumit porro etiam caelestes iras poenasque divinas denuntiat religiosae feminae, et observa quam scite hic leniora, quae praeterea habebat, hortamenta in medio collocarit, minas malorum vero in principio et fine, ut aculeos acres relinquant. Quibus consideratis clara est ratio elegiae. Non legimus hic mollioris amoris verba, qualia aliis in carminibus vidimus, sed hic quidem mollior amor credo paulatim imminutus erat, iterum iterumque cum fidem violaret puella et successerant irae frequentiores et pulsationes adeo factae erant. Quae causa videtur quod elegia non precibus et querelis, sed custodiae severae minis et poenarum caelestium aggreditur puellam, et tota iracundiorem amorem spirat. Hortationes sunt in aliis quoque carminibus atque ostenduntur tecte interdum etiam poenae ibi perfidiae, sed sunt etiam molliora multa et blandiora, nunc autem abest hoc genus sensuum, acerbior castigatio praevalet, dicitque Deliae non ipsius causa, sed propter matrem se parcere, quod vides ipse quam durum sit. Ante amaverat tenerrimo sensu feminam pro temporum istorum ratione castam, nunc concupiscere se scit infidam, cui non sic parcas ut

pulchrius amatae puellae. Non dico interiisse amorem, immo hae irae, hi conatus retinendi quovis modo puellam satis produnt quanta etiamnum eius vis sit, at genus amoris iam non videtur plane idem quod antea. Quae cum ita sint, ego hanc elegiam ultimam dico Deliae scriptam, in qua poeta collectis denuo viribus omnibus congessit quidquid hortamentorum gravium reliquum videbatur redacto ad extremam spem amatori. Neque enim reperias quid alio tempore addere potuerit gravius, sed reliquit postea puellam alios atque alios amores sequentem. Ceterum placet elegia, ut aliae Tibulli, dispositione rerum scita, descriptionibus vividis, varietate locorum suavi. Ac lenior affectus in priore parte est, quo pertinet etiam introitus ratio. Poterat statim in principio Deliam alloqui, sed lenius est quod Amorem accusat; puellam in altera demum parte alloquitur crescente affectu. Haec autem altera pars gravis est et tantam vim habet quantam suavitatem prior. Exitus denique simplex est exhaustis aliis omnibus. Paucis verbis exprimit votum, ut duret hic amor ad senectutem, felix futurus etiamnum, si possit ad fidem redire Delia. Quod tamen non factum.

EXPLICATIO.

V. 1-14. Exordium. Heu novus rivalis exstat, dicit poeta; negante licet Delia, certa suspicio est.

V. 1 sqq. Semper etc., semper ita facis, ut primum benevolum te mihi ostendas, deinde asper fias. De uno rivali in antecedente elegia legimus, de alio hic dicitur, praeterea minora dissidia evenisse alias alia non dubium. Denique adde quod in affectu loquitur. — blandos vultus, favorem et benevolentiam significantes; nam opponitur tristis et asper, immitis et durus, ut infra II, 3, 33. comparante Iano Gebhardo et Wunderlichio: *tristi fronte Cupido.* — ut inducar, pelliciar, decipiar, spem laetam concipiam. Cicer. in Pison. c. 1: *Hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit.* pro Rosc. Amer. c. 40: *Socios*

induxit, decepit, destituit. Horat. Sat. I, 2, 88: *emtorem inducat hiantem.* Vide plura apud Brouckhusium. — Quid tibi saevitiae mecum est? Lectio nunc reducta a Lachmanno. *Saeve puer* emendatio aliorum antiqua, a Mureto indicata, cum saepe ita dicatur, v. c. Ovid. Amorr. I, 1, 5. Illud vero nec Heynius prorsus damnavit nec Huschkius, qui Gronovium ad Plaut. Casin. II, 2, 13. laudat. Notiora quidem alia, ut simplex formula: *Quid tibi mecum?* Ovid. Fast. IV, 3; *τί σοι προσήκει τῶν ἐμῶν; τί σοι μέλει τἀμά;* porro haec: *Quid tibi rei mecum est?* Terent. Adelph. II, 1, 23; *Quid tibi mecum est commercii, senex*, Plaut. Aulul. IV, 4, 4; credat tamen aliquis ad horum analogiam sic propositam locutionem explicari posse: Quid tibi saevi negotii mecum est? Sed hoc non defendam, si sensus formulae: Quid tibi mecum? proprie hic est: Quid tibi commune mecum? Interim incautum sit mutare locum. Alienae vero tales formulae, qualis haec laudata ab Huschkio et Golberyo: Hom. Il. XXI, 360: *τί μοι ἔριδος καὶ ἀρωγῆς*, h. e. *τί μοι δεῖ τούτων*, quid ista nostra? — Insidias composuisse, h. e. struxisse, cf. Propert. II, 9, 31., comparante Brouckhusio, qui etiam alia habet. — V. 5 sqq. Nam mihi tenduntur casses, praemissa querela nunc causa querelae subiicitur et explicatur, cf. ad I, 2, 5. Sensus: paratur in occulto pernicies mea. Conferri potest Propert. III, 8, 37: *nectere retia lecto.* — Mox fovet h. e. amplectitur. Virg. Aen. I, 722. IV, 686. — tam multa negat. Scaliger *multa* pr. *multum* accipit, quod sequuntur Heynius, Vossius, defendit Wunderlichius, observans vel in prosa oratione hunc usum reperiri apud Ciceronem, ne quis a simplicitate Tibullianae orationis rem alienam putet. Sed hoc in talibus constructionibus fit, ubi *multa* pro adiectivo accipi nequit. Hic vitiose locutus esset Tibullus, si postulasset, ut pro adverbio haberetur, quod primo adspectu quivis pro adiectivo accipiet. Illud vero optime observat Wunderlichius, particulam tam additam fere superlativi vim conciliare adiectivo suaviter, ut Catull. 8, 6: *Ibi illa multa tam iocosa fiebant.* Iam cum Gebhardo et Vulpio proprie accipe verba (*Sie läugnet so manches*), quod non video cur displicuerit aliis aut pro *multa* postuletur *omnia.* Sensus: Illa quidem tam multa negat, ut quis propemodum diffidat suspicionibus suis, et pro in-

nocente eam habeat, — sed etc. — Mox credere durum est, χαλεπὸν πιστεῦσαι. Ceterum haec et multa ex sequentibus reddidit Ovid. Trist. II, 447-462. — Ad v. 9. conf. similem locum Ovid. Amorr. III, 1, 49. — V. 11 sqq. causas, h. e. praetextus. Terent. Eunuch. I, 2, 57: *Postquam sensit me tecum quoque rem habere, fingit causas, ne det, sedulo.* Quare recte habet ut. — cardine tacito, suffusa aqua, ait Heynius, ut Plaut. Curcul. I, 3, 3., quamquam plures fraudes viguisse facile credas. — succos herbasque, cur ἓν διὰ δυοῖν statuam non video. Dedit ei liquores (*Spiritus*), et dedit herbas, quas comminutas et madefactas adhiberet tamquam χριστὸν φάρμακον (*Salbe*). Ceterum multa remedia livoris Plinius indicat, quos locos Brouckhusius collegit. — impresso dente, cf. Ovid. Amorr. I, 7, 41. Horat. I, 13, 15. ibiq. Lambin. — Atque haec hactenus. Iam quid comminiscitur poeta, ut coerceatur ista intolerabilis perfidia, et ad meliorem frugem puella redeat?

V. 15-42. Medium carmen. Prima pars. Primum custodiam vult severam esse. Hortatur igitur maritum ut servet diligenter uxorem, assumatque etiam sese custodem suadet, cum ipse satis custodire eam non possit.

V. 15. incaute coniux. Ovid. Amorr. II, 19, 37: *At tu formosae nimium secure puellae.* Videbis ibi ampliora monita eiusdem, quod hic tractabitur, argumenti. — Me quoque servato. Observa, ait, omnes, et licet ipse etiam observer a te, malim hoc tolerare quam rivalem. Est primus impetus doloris, qui haec verba docuit, mox mutat consilium ut videbis et se excipi vult. Suavissima est mutatio affectuum apud Tibullum. Ceterum *servare* est: observare, custodire, φυλάττειν, τηρεῖν, ut notum. — V. 17 sqq. Recenset nunc artes et fallacias lascivae Deliae, in quo vide suavem rerum progressum. Primo disticho affert artes, quibus omnino allicit iuvenes puella, secundo signa describit, quibus cum amante invento colloquitur, locum et tempus conventus indicans, tertio exeuntem vides, ut copiam sui faciat. Atque ita poeta posuit totum. — Neu. Monent Wunderlichius et Huschkius, particulam non ad antecedentem versum, sed ad sequentia referendam, caveto neu celebret — neve cubet — neu decipiat, cum praeceptum generale de custodienda uxore

antecedenti disticho expressum nunc sigillatim explicetur per partes. In quo genere constat vinculo non opus esse ad copulandam arctius orationem antecedentium et sequentium. Verum hoc, confer Excursum nostrum de Asyndeto PINDAR. P. I, p. 273 sqq. Tamen displicet Asyndeton tale apud Tibullum, neque opus est hac explicatione loci, cum etiam alias in transitu a generali sententia ad partes copula utatur Tibullus ipsamque particulam *neu* posuerit, cf. I, 4, 41. — celebret multo sermone. Ut viderunt BROUCKHUSIUS et HEYNIUS, sensus esse debet hic: Ne saepe multumque confabuletur, sermones serat cum iuvenibus. Est *celebrare* proprie: frequentare locum, ut constat. OVID. Met. I, 173: *atria nobilium valvis celebrantur apertis*, multum et a multis intrantur, IV, 444: *parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni*, Heroid. XV, 57: *montes celebras*. SUETON. Calig. 45: *qui amoenos secessus celebrarent*. Adde infra III, 5, 29. Hinc supra I, 4, 75: *celebrare magistrum* dictum. Porro OVID. Met. II, 252. cygni dicuntur *celebrare Caystri ripas carmine*, quod est: frequenter adire cantibus, s. frequentes cantus ibi exercere, ut recte HEYNIUS explicat. Iam hoc loco adiectis verbis: *multo sermone* sensus erit: frequens commercium sermonis habere, frequenter confabulari, cui explicationi non est quod iure opponi possit. Male VULPIUS explicat verbum p. laudare, nec verius WUNDERLICHIUS p. honorare, insignem reddere, quod alienum. — Neve cubet laxo pectus aperta sinu. Bene monet VOSSIUS per totum locum maxime de conviviis cogitandum, ad quae hae puellae cum maritis invitabantur ab admiratoribus et amicis, cf. OVID. Amorr. I, 4. unde simul furtivas artes et nequitias disces inter convivium exercitas. Adde de eadem re Art. Am. I, 569-579. Heroid. XVII, 75-92. Cubabant autem puellae in toro mariti et huic subiectae, cf. OVID. Amorr. l. cit. v. 5. et Art. Am. I, 566. Denique ad cetera confer OVID. Epist. XVI, 247: *Prodita sunt* (*memini*) *tunica tua pectora laxa*. — V. 19 sq. Neu te decipiat nutu, ne innuat amanti coram te non observante — digitoque liquorem ne trahat etc. Confer OVID. Amorr. I, 4, 20. cum VULPIO: *verba leges digitis, verba notata mero*. Add. ibid. 5, 17: *conscripta vino mensa*, et Art. Am. I, 571: *blanditiasque leves tenui perscribere vino*. Heroid. XVII, 87: *orbe quoque in mensae*

legi sub nomine nostro quod deducta mero littera fecit, amo. Ceterum orbis mensae est rotunda mensa. Similiter IUVEN. Sat. II, 122. — V. 21 sq. Exibit. LUCILIUS comparatus ab HEYNIO et aliis: *Aut cum iter est aliquo et causam commenta vini — aut apud aurificem, ad matrem, cognatam ad amicam, aut operatum aliquo in celebri cum aequalibus fano.* — Mox seu h. e. *vel si,* ut observat WUNDERLICHIUS ad Tib. II, 45. PROPERT. II, 26, 29. PERS. Sat. I, 67. laudans. Adde LACHMANN. ad Propert. II, 1, 51. — Sacra Bonae Deae. Locus classicus de Bona Dea est MACROB. Saturn. I, 12. Notum vero ad haec sacra nonnisi feminas admissas; qui vir ea adspexisset, eum oculis credebant orbari. Non autem domum consularem h. l. intelligit poeta, ubi semel per annum sacrificium maxima caerimonia a nobilioribus feminis celebrabatur, vid. ap. CICER. Orat. de Harusp. Respons. c. 17., sed publica templa, quae duo erant Romae, cf. BROUCKHUSIUM. Denique quod libidines attinet mulierum in illis sacris, vid. OVID. Art. Am. III, 637. IUVEN. Sat. VI, 314. — visere dicet, h. e. ire se dicet ad sacra. Cf. ad I, 3, 27. — V. 23 sq. At mihi si credas, custodiam eius committas. — illam sequar unus ad aras, audebo clam sequi vel in has aedes viris non adeundas. Erat enim dignitas Bonae Deae illo tempore iam labefactata, ut etiam Tibullus vulgo religiosus clam interesse his sacris non timeret, quamquam in affectu loquitur et extrema tentat ad coercendam libidinem Deliae. Ceterum maius aditu clandestino crimen haud dubie evulgatio sacrorum erat, quam Lygdamus cum aliis nefariis rebus detestatur infra III, 5, 7. 8. — non oculis sit timuisse meis, tunc non verebor caecitatem, non claudam metu caecitatis oculos meos, sed intendam eos acriter et observabo diligentissime non metuens poenam. — non sit, non fiet, non accidet mihi ut timeam. Constructionis exempla plurima congessit HEINSIUS ad Ovid. Art. Am. II, 28. notante WUNDERLICHIO. Est vis maior in ampliore dictione. Adde quae infra notavimus ad IV, 3, 3. Similiter Graeci εἴη, μὴ εἴη, ut PINDAR. Ol. I, 115. Pyth. I, 29. quod notum. — Restat ut de toto loco verbum addam. Cum maritus solus custodire uxorem non possit, inde ab hoc disticho illud agit poeta, ut suam custodiam offerat. Dixerat quidem supra: me quoque servato, sed de hoc ibi

iam monitum. Non sustinet carere Delia, tamen severiore custodia opus, quare nunc mutata sententia aliud comminiscitur. Ingenue fatetur et indicat marito in sequentibus amorem suum et saepe structas insidias, ut hic quem comperiat iam ante usum cum uxore habuisse, et fallacias eius nosse omnes, ei non dubitet committere custodiae partem, si modo alii omnes excludantur amantes et a dissolutiore vita Delia retineatur. Hoc igitur nunc proponit marito. De figura mutatae sententiae suavissima apud Tibullum satis explicui in Dissertatione de Poesi eius. — V. 25 sq. gemmas signumque optime restituit Lachmannus pr. *signumve.* Putida est oppositio in rebus tam arcte coniunctis. Ceterum non est figura ἓν διὰ δυοῖν, ut etiam Wunderlichius monet. Laudabat gemmarum praestantiam et signorum, in iis quae expressa. Fuisse autem inter amantium artes spectare annulos digitorum, Brouckhusius alio exemplo illustrat, Plaut. Asin. IV, 1, 33., etiam Heynio notante. Eidem eius nimis tenue et exile videbatur, sed vix recte. Ipse affert Bentleii iudicium, qui in elegis id ferebat ad Horat. III, 11, 18. — Per causam, κατὰ πρόφασιν ut notum. Vide Drakenb. ad Liv. II, 32. Comparat Wunderlichius *per speciem* Tacit. Hist. I, 71., *per simulationem* I, 74. — V. 28. Sobria pocula dicit, cum aqua pro vino supposita esset. Infra II, 1, 46: *sobria lympha.* Heynius praeterea Platon. de Legg. VI, p. 773. D. laudat, qui θεὸν νήφοντα dicit aquam, de quo Plutarch. de Aud. Poet. c. 3. — victor, ut in certamine bibendi. — V. 29. prudens, sciens, consulto, sed turbata mente feci, et abrepta vi amoris. Perpetua excusatio amantium, Amorem iussisse, improbante, ut Vulpius notat, Auctore Rhetoricorum ad Herennium II, 16. — V. 32. Instabat, latratu. Solemnis custos puellarum canis alligata, cf. infra II, 4, 32. Propert. IV, 5, 71. Horat. Epod. V, 57. Senec. Controv. 30., quae Brouckhusius notat. Add. Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 293. — V. 34 sqq. frustra clavis inest foribus, cf. supra I, 2, 18. De positione servarē, frustra, minime frequenti, cf. Schneider. Grammat. Lat. Tom. II, p. 690. Videbis tamen ibi certa exempla. — alios suspirat amores, alium amantem cogitat et desiderat. Infra IV, 5, 11: *Quodsi forte alios iam nunc suspirat amores.* Iuven. XI, 153: *suspirat longo non visam tempore*

matrem. Vide Brouckhusium, Vulpium, Heynium. Omnino *suspirare* de amantibus notissimum, cf. Mitscherl. ad Horat. III, 7, 10. — simulat etc. Et repentinum dolorem capitis simulat, ut gemitus excuset tibi percunctanti quid gemat. Ad verbum condoluisse cf. Plaut. Trucul. II, 8, 2: *Nunc mihi de vento miserae condoluit caput.* — V. 37 sq. At mihi servandam credas. Redit ad v. 23. Repetitiones tales ubi pergendum est ad cetera, maxime conveniunt elegiae, non conveniunt odae. Porro coniunctivus hortantis est, nec supplendum *si.* De omissione huius particulae infra videbimus ad v. 53., nunc alia res est. Nam ut semel hoc moneam, ubi ea est ratio loci, ut hortatio et precatio insit, cave conditionalem sententiae formam inferas in poetam, quod Wunderlichio accidit ad I, 10, 11., cum hic verum viderit. — non saeva recuso verbera, h. e. offero servi ianitoris officia, et si iis non satisfecero religiose, vel poenas serviles non recuso. Supplicium servile verberum et vinculorum iterum memorat II, 3, 80. — detracto, forma quam passim offerunt codices, ut Ovid. Met. V, 246. Propert. II, 3, 47. ubi cf. Brouckhusium. Adde Drakenb. ad Liv. XXXIV, 15, 9. — non ego. De pronomine alteri membro illato Wunderlichius hic monet, nos diximus ad I, 1, 37. — V. 39. 40. Tum procul absitis, tum ante omnes iubebo vos delicatulos abesse, qui cultu comarum et vestitus elegantia puellis prae aliis placetis. — quisquis colit. Ad tertiam personam transit, vid. ad I, 2, 35. — Et fluit. Ubi relativum praecessit, aut copula sine relativo sequitur, ut I, 3, 7: *non soror Assyrios cineri quae dedat odores, et fleat effusis ante sepulcra comis*, aut relativum repetitur absque copula, ut I, 1, 3: *quem labor assiduus vicino terreat hoste, Martia cui somnos classica pulsa fugent*, aut denique copula cum relativo ponitur, quod male negat Huschkius. Sic infra III, 2, 4: *et qui*, Ovid. Met. XI, 729: *et quae*, et obliquum casum leges infra IV, 1, 184 sqq.: *Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci Horrea fecundas ad deficientia messes, Cuique pecus denso pascebant agmine colles.* Atque hoc loco aptior copula quam Asyndeton emphaticum, disiunctivum in descriptione, ubi ponuntur quae simul sunt et coniunctae partes ornatus mollis. Quare *fluit* probo, non *effluit*, ut Statio notante Catullus 64, 68: *fluitantis*

amictus, Tacitus Germ. 17: *fluitantem vestem* et Virgil. Aen. I, 320: *sinus fluentes* dixit. Compositum *effluere* uno Claudiani loco defendunt de IV. Cons. Honorii 208: *Simili chlamys effluit auro*, sed Tibullum eo usum etiam propterea dubito, quia fortiore significatione non opus hoc loco, et plane sufficit simplex verbum. Praetulerunt hoc Heynius, Vossius, Wunderlichius, Bachius; *effluit* probarunt Brouckhusius, Gronovius Observatt. II, 7., Huschkius, Golberyus. — toga laxa, fusa opponitur arctae, exiguae, strictae, restrictae, cf. Vulpium. Erat vero toga sex ulnas ampla divitum ac delicatulorum, cf. Horat. Epod. 4, 8., ubi cf. Mitscherl., et Brouckhus. ad Tibull. I, 9, 70. — V. 41 sq. Quisquis et occurret, in via, me puellam ducente. Confert Vossius Plaut. Curcul. II, 2, 27: *Parasitum tuum video occurrentem ellum usque in platea ultima.* — ne possit crimen habere, ne possit peccare Delia nutu furtivo aliisque similibus signis et nequitiis. — Ultima pars pentametri: aut alia stet procul ante via, genuina non est ut patet, sed interpolata inepte, cum vera verba excidissent.

V. 43-84. Pars altera medii carminis. Poenarum divinarum terrore commovere animum Deliae studet, interposita tamen etiam leniore hortatione. Ac primum oraculo sacerdotis Bellonae terret superstitiosam puellam, precatur tamen si quid admittat, ut ne nimis gravis poena sit, iram propter matrem remittens, et favorem amatae captat, etiam sibi duras leges imponens, ultimo vero loco si nihilominus peccare pergat, ostendit poeta miserrimam ei in senectute fortunam instare, qua infidas Venus soleat punire.

V. 43 sq. ipse deus. Heynius ipsum numen divinum in genere intelligit, sed cum ad sacerdotis verba provocet poeta, haec autem v. 51. dicat: *parcite quam custodit Amor, violare puellam*, non dubitamus cum aliis Amorem etiam hic intelligere, qui maximus amantium deus est et saepe κατ᾽ ἐξοχήν ab his poetis deus appellatur, ut I, 2, 90. 5, 20. 8, 7 et 56. 9, 72. — magna sacerdos. Constat aedem Bellonae ab Appio Claudio bello Etrusco votam, tum exstructam esse ad Circum Flaminium extra urbem, cf. Liv. X, 19, et Inscriptionem lapidis apud Neapol. ad Ovid. Fast. VI, 201. Hic vero *fanaticus* cultus inter civilia bella

Romam delatus videtur ex Cappadocia, ubi culta fuit magna dea huius generis, cf. Hirt. de bello Alexandr. c. 66. Strab. XII, p. 535. Creuzer. Symbol. II, 29. Ac discimus ex Tibullo, Romae sacerdotem summam deae feminam fuisse, quae numine plena, igni, verberibus, ferro laniata futura praediceret; praeter eam vero etiam virilis sexus sacerdotes et ministri memorantur bellonarii et fanatici, similiter in se saevientes et vaticinantes oestro percussi. Postremo vide Brouckhusium et Heynium ad h. l. et quos Heindorfius ad Horat. Satir. II, 3, 223. laudat. Transeamus ad singula. — magna videri potest princeps dici (*Oberpriesterin*), cum ceteri sacerdotes minoris dignitatis essent, sed verius et magis poetice Wunderlichius cum Vulpio vocem ad auctoritatem vatis refert, ut ap. Virgil. Aen. VI, 544. Sibylla dicitur *magna sacerdos*. — divino sono, h. e. fatidico, quem dea Bellona docuit. Res nota. Aliud est *ἀθάνατον στόμα* Medeae Pindar. Pyth. IV, 11. — V. 45 sqq. nec — non, similiter Propertius III, 2, 10: *nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas, non operosa rigat Marcius antra liquor*, notante Lachmanno ibid. p. 64. Ac notum apud Graecos *οὔτε* — *οὐ*, cf. magnam exemplorum copiam ap. Schaef. ad Lamb. Bos. p. 229. Dicit de eadem re Wunderlichius in Observatt. — amens, furens. Poterat iam primo membro inserere vocem, sed melius voluit secundo, ut huic novus vigor accederet. — verbera torta, *flagella*, *torta* ut I, 9, 22., Virg. Georg. III, 106. Add. Heins. ad Ovid. Ibin v. 161. Wunderlichius *πλεκτὰς ἑώρας* Soph. Antig. 1222. comparat. Epitheton non magis otiosum est quam praecedens acrem, et fallitur Wunderlichius cum aliis, ad Homericam rationem talia revocanda censens, in quo confunduntur diversa genera poeseos. In his carminibus etiam quae vulgo perpetua dicuntur, suis quaeque locis bene accommodata sunt, ut ubique ostendo. — V. 47. Ipsa. Nam igne urebatur et flagris caedebatur a bellonariis, credo, sequentia vero ipsa facit. — violenta, non est: furore divino correpta, ut Wunderlichius interpretatur, sed: vim sibi inferens, vox aptissime addita in tali re. — suos lacertos. Lacerabant humeros et brachia cultris hi fanatici Bellonae, cf. Senec. de Vit. beat. c. 27. Lactant. Instit. I, 21. Lucan. I, 565. Propert. II, 22, 15. Unde Horat. Sat. II, 3, 223: *gaudens Bellona cruentis*

est. Maxime d. XXIV. Mart. dies sanguinis inde dictus. Vide Brouckhusium et Vulpium. — inulta, sine malo et damno suo, quod miraculi loco affertur, cum tantum femina effundat sanguinis. Optime Vossius *innoxia* II, 5, 63. comparavit. Videmus igitur sacerdotes sanguine suo sparsisse signum deae, gaudentis hoc honore. — V. 49 sq. Statque latus praefixa veru, tenui lanceola, Heynii verba sunt, cutem a sagina diductam traiicit, ut transversa prae latere stet. Faciunt, dicit Vulpius, nonnunquam et hodierni praestigiatores. Ad constructionem confertur Valer. Flacc. I, 837: *galeis praefixa domus.* Ceterum veru est telum teres cum tenui mucrone. — monet, notissimum de diis futura significantibus, cf. Brouckhusium et ad Ovid. Met. II, 639. Burmann. laudante Heynio. — Atque haec hactenus; absoluta est descriptio, cuius consilium apertum. Ritus enim terribiles describens, numen terribile deae ultricis adumbrat, cuius minas narraturus est graves. Consuluerat sacerdotem super amore et fide Deliae, respondit ea quae sequuntur. — V. 51 sqq. violare, tangere, quasi sacram. — Parcite violare, ut *φείδεσθαι* c. infinitivo Graeci dicunt. Res nota, cf. infra III, 5, 6. — post didicisse scil. ab Amore eam custodiri. — Attigerit, h. e. si quis attigerit puellam, dilabentur opes eius. Figura aptissima in vivida oratione Graecis Latinisque usitata; *γοργὸν σχῆμα* Graece dixeris. Egit de ea Wunderlichius supra ad v. 37., Huschkius ad II, 3, 79. Bentl. ad Horat. Sat. II, 6, 48. Heindorf. ad Satir. I, 1, 45. Graeca exempla vide ap. Matth. ad Eurip. Orest. 635. et in Grammat. p. 1292. Habetur vulgo *attigeris* secunda persona, tamen antiquior lectio *attigerit* fuit. De omissione pronominis *aliquis* in universum constat, vide Heindorf. ad Horat. Sat. I, 4, 79. Heusinger. Praef. ad Cic. de Off. p. XLV. Hottinger. ad Cic. de Div. I, 29. Wopkens. Lectt. Tull. p. 2. Cic. Acad. I, 1. de Fin. II, 7. extr. IV, 28. V, 30. Collat. Olivet. Eclog. Cicer. p. 182. ed. sec. Hotting. Quae quidem non similia huic praesenti sunt exempla, tamen etiam hic apta videtur tertia persona et gravis in affectu tali (*rührt einer an, ist er unglücklich!*). — Postremo *tangere mulierem* notissimo usu dicitur ut Graecis *θιγγάνειν*, cf. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 2, 28. Schrad. ad Musaeum p. 204. — ut vulnere nostro sanguis scil. labitur.

Sic Horat. Od. II, 19, 11: *truncis lapsa cavis mella.* Docet Wunderlichius h. l. multis exemplis cum sexto casu absque praepositione apud poetas construi verba, prodire aliquid ex aliqua re significantia. Hoc loco etiam brevitas verbi proprie et translate usurpati suavis, ut fieri solet saepe in talibus dictis. Porro optime Wunderlichius observat, imprecantes a rebus, quae forte tractantur aut fiunt, transferre verba solere, ut hic a sanguine effuso et a cinere arae praesentis comparatio petitur. Similis usus Hom. Il. III, 299. Soph. Ai. 1177-1179. Postremo de imprecatione ipsa notandum est, obversari poetae animo imprimis elegantes divitesque amatores, qui donis et elegantia cultus sui puellam alliciebant. His igitur, si tetigerint eam, dilabentur opes, quibus pessime utuntur, denuntiaturque iis egestas tamquam dignissima poena. — V. 55. 56. Cum nunc etiam Deliae denuntietur poena, observabis ut vero paullo lenior fiat oratio. Primum vide mollem allocutionem: mea Delia, deinde etiam hoc lenius, Wunderlichio quoque notante, quod dicit: nescio quas poenas, non recordari se fingens quid minata sit sacerdos. Denique eiusdem generis sunt preces pentametri. Dubitatum hic est quo pertineat illa. Nihili est explicatio: sit sacerdos vana et mendax, sint inanes eius minae nec eveniant poenae. In quo nec oratio bona, nec sensus; certum est enim poenam velle poetam. Referat alius *illa* ad Bellonam, cum *levis* de personis dicatur pr. lenis, mitis, cf. Horat. I, 18, 9. et vide Salvagnium ad Ovid. Ibin v. 212. Huschkius addit Plaut. Trinum. III, 2, 58. Similiter κοῦφος est dictum Graece, vid. Callim. Epigr. LXI. Analect. Brunck. T. I, p. 475. At enim etiam hoc displicet; nimis remotum hinc deae nomen, quam ut huc adhiberi possit. Restat igitur quod simplicissimum, ut suppleatur *poena.* Et hoc verum. Neque soloecismum fecit poeta a plurali ad singularem transiens, aut negligentiae accusari potest, sed consulto ita scripsit, *cum minuatur etiam sic magnitudinis notio.* Multa sunt apud scriptores', quae grammatica severior improbat, rhetorica vero et poetica ars et sensus pulchri docuit, peculiares singulorum locorum rationes sequens; quod discrimen qui ignorant et solis grammaticis regulis opera veterum explicari posse censent, in maximo errore versantur. — V. 57 sq. Non ego te propter parco tibi, non tuae malae fidei hanc lenitatem meam

debes, quod precor deos ut tibi parcant, sed matris meritis. Non parum iratus est, ut vides, poeta. Amat quidem puellam etiam nunc, sed tamen minus iam molli affectu quam ante, et cum poenam levem optet, (quis enim amatam gravia mala pati velit?) reprehensione tamen verborum et admonitione severa utitur acrique, qualem in nullo alio Deliae scripto carmine vidisti. — aurea, optima et carissima. PROPERT. IV, 7, 85. Ac cum minus bene et poetice dixisset: sed tua mater me movet atque iras vincit, quoniam ultima phrasis sic languidior fuisset, nunc additis verbis: *aurea* anus, nova vis accedit et omnia optime habent. Saepius moneo de huiusmodi additamentis poeticis pentametrorum, cf. I, 3, 32. Nam in poesi facile languent secunda et tertia membra orationis, etiam talia quae careant vitio in prosa oratione, nisi nova quaedam vis accedit. — V. 59 sq. Haec mihi te adducit tenebris. Non ex aedibus suis egressa Delia per vias ad Tibulli domum perducitur, quod vilibus scortis convenit, non tali puellae, sed e cubiculo per atria et porticum domus venit ad intromissum amatorem. Sic optime locum HEYNIUS cepit, atque hoc sensu alias *venire* puella dicitur ad iuvenem, vid. I, 9, 43. HUSCHKIUS bene confert PLAUT. Curcul. I, 2., ubi accedente ad ianuam puellae Phaedromo anus, de odore vini adesse eum sentiens, progreditur ad fores, et v. 47. dicit: *ne plora, amabo, tu me curato ne sitiam, Ego tibi quod amas iam huc adducam.* Apud Tibullum accedunt verba multo timore, clam, taciturna, quae omnia probant in mariti domo rem agi. Huc quidem pertinet etiam altera lectio: *Haec me deducit;* sed haec ex emendatione orta videtur, et praeferri debet quod vidimus, cum satis expeditum sit. Ac suavior descriptio: mater puellam obviam ducit amanti, amantem intromittit ad puellam. Ceterum ad haec: clam taciturna cf. I, 5, 65., et tenebris notatum est I, 2, 25. Denique vides per totum locum illustrari laudem matris, quae non sine periculo hanc operam praestat. — V. 61 sqq. Haec foribusque manet noctu me affixa. Haec, ait, etiam praestolatur me ad fores arrectis auribus, ne diu sub divo stem, sed statim intromittar. affixa foribus, sine intromissione manens. LIV. III, 68: *haerete affixi concionibus,* laudante VULPIO. — Mox pro constructione: tecum contribuisse exspectaveris: *tibi contribuisse.* Sed

recte iudicare videntur interpretes, qui nihil mutari volunt. *Contribuere* est: conferre, confundere, miscere cum aliis, uti civitates, populi contribuuntur cum aliis ut eidem iurisdictioni subiecti sint, veluti Caesar de bell. civ. 1, 60. dicit: *Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi.* Iam dicit Tibullus: proprios annos tecum confundere, tecum communicare velim. Constructionis ratio eadem infra III, 3, 7. in verbis: *Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,* et Senec. Epist. 3: *Cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce,* et Ovid. Heroid. XV, 191: *at quanto melius iungi mea pectora tecum.* — V. 65 sq. natamque tuam te propter amabo. Honorificum quidem matri, at durum puellae verbum, quae non ipsius causa amabitur. Ac dixit similia iam supra v. 57., ut identidem repetere eum videas severum dictum. — Quicquid agit, recte. *Quidquid agat* esset: quidquid in posterum peccet; hoc autem et cum sequentibus pugnat, nec per se probabile est id permissurum poetam fuisse, quod ne fieret totum carmen hoc scripsit. Altera vero lectio ad praesentem perfidiam pertinet, quam condonare vult. — V. 67 sq. Sit modo casta, doce, aliorum amatorum amplexu abstineat, cf. supra I, 3, 83. Nexus: Amabo natam tuam propter te et condonabo iniuriam, quam nunc mihi facit, si excluserit amantes in posterum alios et casta fuerit. Castitatem enim postulo, quamvis matrona non sit. Erat Delia ex earum feminarum classe, quae media inter viles meretrices et honestiores virgines ac matronas cultis moribus et elegantia vestitus liberioris, nominatim Cois vestibus, tenebat iuventutem Romanam. Conf. Boettiger. Sabin. II, p. 109. Libertinas dicunt. — vitta matronalis describitur a Boettigero Sabin. T. I, p. 157. Ibid. T. II, p. 117, de stola dictum. Erat tunica cum instita, demissa ad pedes. Horat. Sat. I, 2, 29. de matronis: *quarum subsuta talos tegat instita veste,* ubi cf. Heindorf. At libertinarum tunicae non multum ultra genua descendebant. Ad totum vero locum cf. Ovid. Art. Am. I, 31: *Este procul vittae tenues, insigne pudoris, quaeque tegis medios, instita longa, pedes. Nos Venerem tutam concessaque furta canemus.* Quae etiam Trist. II, 247 sqq. habentur. Similiter dicit Epist. ex Ponto III, 3, 49: *Scis tamen, ut liquido iuratus dicere possis, non me legitimos sollicitare toros. Scripsimus haec istis,*

quarum nec vitta pudicos contingit crines nec stola longa pedes. Post haec verbum addendum est de SPOHNII sententia, in Dissertatione *De vita et carminibus Tibulli,* qui multis de hoc loco egit. Negans Deliam libertinam fuisse explicat: fac ut filia, quamvis Vestalis non sit, tamen casta quodammodo sit, et etiamsi peccet, minus tamen id faciat quam hoc tempore. Sed falsa est haud dubie haec explicatio. Tibullus postulat ut se solo contenta sit puella nec alios ullos admittat. Hoc est castam esse, hoc docent sequentia: *Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam possim ego.* Easdem leges, quas puellae imponit, etiam sibi praescribit; illae vero non sunt durae leges, si peccare tamen licet passim. Deinde etiam reliqua sententia friget maximopere: Quamvis Vestalis non sis, debes tamen, non dico plane imitari harum castitatem, at saltem non nimis longe inde recedere (*Obgleich keine Vestalin, mufst du wenigstens zum Theil keusch sein*). Quae vides inepta esse. Quod denique durius dicit SPOHNIUS cum BAUERO inhonestioris conditionis admoneri amicam dilectam, sunt haec multo minus dura, quam quae infra de egestate et opera humili libertinarum vetularum leges. Nimirum non attenderunt viri docti ad acerbiorem totius fere elegiae orationem, ubi levis et infidae cogitatio obversatur poetae animo, non carioris illius ante alio sensu amatae puellae. — V. 69 sqq. Pro postulata a Delia castitate etiam sibi severas leges castitatis, immo severiores imponit et maximas poenas decernit, in puellam vero promittit mitem se futurum et irae manibusque, si qua suspicio incidat, temperaturum quantum possit. Quibus omnibus efficere studet ut ex animo casta sit Delia, videns etiam amatorem abstinere velle omnibus, quae ei displicere aut molesta esse possint. Videamus singula. — V. 69 sq. l a u d a r e n e c u l l a m p o s s i m e g o, generale dictum antecedens cum per partes explicaturus sit, observa tamen positam copulam *nec*, de quo usu monitum ad I, 5, 11. Alteram, quam WUNDERLICHIUS proponit rationem, ut *nec* pr. *nequidem* accipiatur, alienam duco. — a p p e t a t, h. e. invadat oculos meos manibus. Licebit, ait, Deliae, si modo laudavero aliam, oculos meos punire. Ad rem confer TERENT. Eunuch. IV, 3, 6. ubi est *unguibus in oculos involare,* et OVID. Amorr. I, 7, 64: *At tu ne dubita protinus in vultus unguibus ire meos,* et PROPERT. IV, 8, 66: *prae-*

cipueque oculos, qui meruere, ferit, ubi vid. KUINOEL. Obiter nota etiam minas istas, cum dicunt se eripere, effodere velle oculos noxios, ut TERENT. Eunuch. IV, 6, 2., Graece ἐξορύττειν τοὺς ὀφθαλμούς, cf. DORVILL. ad Chariton. pag. 543. ed. Lips. — V. 71 sq. s i q u i d p e c c a s s e p u t e r, si credar, etsi non verum sit, vel in tali suspicione gravissimas poenas feram. Vides consulto poetam longe severiores sibi imponere leges. Est autem *peccare:* frui alius puellae amplexu, ut vides, cf. I, 9, 23. IV, 14, 1. Probo autem *puter*, Italorum coniecturam, nec verum habeo *putet* propterea, quia sic *me* vix recte omitti potuit. Notavimus omissionem pronominum *me, te, se, nos, vos* supra; sed in tali constructione, qualis haec esset, *se* tantum omitti potest, ut supra 21: *seu visere dicet*, non *me*. — d u c a r c a p i l l i s. Ungue petitos capillos et laniatos a furiosis puellis constat, vid. OVID. Amorr. II, 7, 7. Art. Am. II, 451., sed Tibullus etiam rapi per vias sustinebit, ut ait hyperbolice. Ceterum ducere capillis Graece est ἄγειν πλοκάμων AESCH. Sept. 328., ἕλκειν τῶν τριχῶν ACHILL. TAT. V, 23., ἐρύειν κουρίξ HOM. Odyss. XXII, 187. quae comparavit HUSCHKIUS. — p r o r i p i a r v i a s, h. e. per vias, rarius genus dicendi Latinis, quamquam *ire vias* dicunt, ut VALER. FLACC. III, 371., et *currere iter, viam, mare*, v. c. VIRGIL. Aen. III, 391. et similia. Sed passivi usum WUNDERLICHIUS e Graecis illustrat, veluti SOPH. Antig. 877: ἄγομαι τάνδ᾽ ὁδόν, et Electr. 1163: πεμφθεὶς κελεύθους δεινοτάτας. — V. 73 sq. N o n e g o t e p u l s a r e v e l i m. Etsi mihi in suspicionibus parci a te nolo, tamen ne time, ne similiter tibi manus iniicere velim. Ceterum de more puellas pulsandi WUNDERLICHIUS confert I, 10, 55. 59. 65. HORAT. I, 13, 9. 10. et OVID. Amorr. I, 7. — o p t a r i m n o n h a b u i s s e m a n u s, ut OVIDIUS in simili causa Amorr. I, 7, 23: *ante meos humeris vellem cecidisse lacertos.* — Postremo ad totum locum observa in nullo antecedentium carminum haec lecta, quae omnia molliorem et mitiorem amorem spirant, quam ut talia accidere tum potuisse videantur. — V. 76. t e m i h i s e r v e t, castam te praestet etiam ubi non sis in conspectu meo. — V. 77 sqq. Succedit ultimus locus, qui est de misera fortuna perfidarum in senectute. Confert WUNDERLICHIUS suave epigramma in puellam superbam olim, in ANTHOLOG. GR. T. IV, p. 134., laudatum etiam

a Mitscherlichio ad Horat. III, 15, 13., ubi similis locus. — stamina torta ducit, fila ducit de colo, quae torquet digitis. Non est igitur otiosum epitheton *torta*, sed placet plena descriptio tristis negotii, quemadmodum eadem de causa per tres versus poeta universam vetulae textricis operam partibus suis ob oculos ponit. Quod vero totus locus consilium habet, idem in singulorum versuum oratione debuit exprimi. — inops, prae inopia, quod etiam ad sequentia repetendum. Talis est γυνὴ χερνῆτις, nendo vitam quaerens. — V. 79. licia sunt vincula, quibus textores stamina telae annectunt (*der Trumm*). — firma, epitheton usum liciorum indicans, qualia vulgo perpetua dicuntur; nunc vero inest, ut dixi, acerbus sarcasmus in hac accurata rerum descriptione. Sic etiam hoc epitheton non otiosum. — adnectit, nihil interest utrum licia telis, an telae liciis annecti dicantur, notante Wunderlichio cum Vossio; nunc *licia telae addere* eodem modo a Virgilio Georg. I, 285. dictum observant. — Tractaque de niveo vellere ducta, h. e. tracta lanae, manipulos lanae, sed amplificationis causa circumscriptione utitur. — putat, carminat, purgat a sordibus, quod fiebat dente ferreo, carmine dentato; Graece res κροκοδύζειν dicitur. Exponit docte de his Scaliger ad h. l. — V. 81 sqq. animo gaudente, vid. ad I, 2, 89. — iuvenumque catervae, observa collocationem horum verborum, in secundum membrum quae reiecta, cf. ad I, 2, 42. Ceterum similem locum Horatius habet IV, 13, 26 sqq. — senem, per appositionem cum vi adiectum. — ex alto sublimis Olympo spectat, gravia verba et plena dignitatis. In voce *sublimis* expressa cum contemtu, superbia, despiciens dea. Conf. *celsus* Horat. Art. P. v. 342., *alta* Ovid. Met. VI, 169. — monet, hac ipsa poena a se immissa, nullis fletibus et precibus cedente. Postremo ad totum locum observabis, etsi haec indirecte proponuntur Deliae, quam tamen dura et acerba sint, nec posuisset talia in antecedentibus carminibus, cum pulchrius amaret puellam.

V. 85. 86. Exitus. Claudit elegiam simplici voto, ut ratum fiat, quod cupit. — cadant, eveniant, ut infra II, 2, 17., ubi cf. Vulpium, ut hoc loco Brouckhusium. Est translatio a tesseris ducta, cf. Terent. Adelph. IV, 7, 21 sqq.

Graece *πλάττειν*, cf. nos ad PINDAR. Ol. VII, 69. et BLOMFIELD. ad Aesch. Agam. 31 sqq. Comparari denique potest usus verbi *βάλλεσθαι*. HOM. Odyss. I, 234. — stemus, vox significationem immutabilis diuturnitatis habet, cf. HORAT. Art. Poet. v. 70. Sed videtur emendatio esse pr. simpliciori *simus*, quae altera lectio.

ELEGIA VII.

INTRODUCTIO.

M. Valerius Messala Corvinus, de quo conf. ELLENDTII Prolegom. ad Ciceron. Brut. p. CXXXI sqq., anno 723. post proelium Actiacum missus erat ab Augusto ad Aquitanos, qui defecerant, debellandos, vid. APPIAN. de bell. civil. IV, 38.; quem motum non exiguum fuisse et pertinuisse per magnam partem Galliae Tibullus nos docet, multas regiones enumerans a Messala tum subactas. Fusi sunt isti populi gravi proelio ad Atacem, ut e Tibullo discimus qui interfuerat, et pacata est Gallia. Deinde evocatus Messala ab Augusto ad Orientis res componendas, continuo e Gallia in Asiam profectus est, aestate extrema ann. 724. quemadmodum ad eleg. III. vidimus, ordinavitque, ut Tibullus significat, Ciliciam, Syriam, Aegyptum, consentiente DION. CASS. libr. LI, c. 7. Sturz., p. 638. Reim. ubi saltem in Syria videmus Messalam. Constituit autem has res sine Augusto, qui postquam ann. 724. Antonium in Aegypto vicerat, tum hiemem in Asia transegerat, cf. DION. CASS. libr. LI, 18. et 20. fin., aestate ann. 725. in Italiam rediit, cf. DIO CASS. libr. LI, 21. p. 653. Reim., Messala vero ann. 727. demum reversus est Romam; tum enim triumphum egit Aquitanicum, di-

latum absentia sua per tres annos, d. XXIV. Sept, cf. Norisii Cenotaph. Pisan. Dissert. II, c. 16. §. 7. Non diu post dies natalis eius incidit, ut videtur, cuius solennibus celebrandis scripta est proposita elegia. Atque haec ex historia repetenda fuerunt; videamus nunc carmen ipsum. Cum natalitia Messalae agantur, ut dixi, iure orditur poeta in principio ab ipsa proxima et summa laude diei, a victoria Aquitanica ante tres annos hoc die reportata; nam in tali natalitio carmine iure primum locum occupat salutatio diei ipsa, sive generalibus verbis utaris, sive pro generaliori laude specialia substituas, si adsunt, ut hic factum. In media parte vero elegiae tractat ceteras res postea a Messala in Asia et Aegypto gestas, et has quidem alio modo quam Aquitanica; neque enim singula facta Messalae hic narrat, sed regiones celebrat, quas composuit; in quo observa pulchram formam tractationis. Bellicas res ante cecinit quantum opus, at per totum reliquum carmen mitis Tibulli Musa continuare talia non poterat. Quare sepositis militaribus rebus nunc pacatum statum harum regionum adumbrat et pacis laetas imagines exhibet et rusticas res, ita adornato simul toto argumento, ut gradatim crescat laeta vis et, ut ita dicam, magnificentia descriptionis. Igitur Ciliciam et Syriam brevius tangit, Aegyptum vero praestantissimam provinciam multis verbis praedicat. Haec est, ait, illa terra, ubi Nilus mirifice fecundat agros, ubi Osiris aratrum invenit et arborum vitiumque culturam. Quorsum haec? Quia fertilitas, horrea Aegypti utilissima erant Romanis, ut constat, et maximi pretii: ut nihil suavius sit his rebus in Messalae laude, qui ordinavit fertilissimam provinciam. Sed nondum habes omnia. Postquam enim de Nilo fecundante et inventore agriculturae Osiride dixit, amplius continuat Osiridis laudem, atque etiam ceteros mores eius praeclaros persequitur; simillimus Baccho deus vinum invenit, choros, iocos, ludosque amat et flores et tibiam et crocotam Tyriasque vestes. Quorsum nunc haec dicuntur? Nempe hic ipse laetissimus datorque laetitiae deus praeclarus, Aegypto in provinciam Romanam redacta, Romani imperii est factus et nunc Romanis rebus favet, et Romanorum festa ornabit, ideoque statim ad haec ipsa praesentia sacra vocatur, ut post ordinatam feliciter provinciam primum concelebret Genium viri, qui ordinavit eam, et ludis choreis-

que festum eius illustret. Nihil vidi in suo genere exquisitius excogitatum. Nimirum qui Tibullum putant compositionis poeticae imperitum, maximopere errant. Tu observa hic mecum suavem coniunctionem bellicarum et rusticarum rerum, vide magnificum et bellicosum exordium de Aquitaniae debellatione, tum pacatarum regionum varietatem, et Aegypti fertilis decora et Osiridis laetas laudes — ad unum omnia Messalae honorem revocata, et politicum thema sic attemperatum levitati et hilaritati convivalis argumenti, ut pulchrior tractatio rerum vix possit reperiri in hoc genere poeseos. Non erat bellicosa Musa Tibulli, sed ad alios modos facta; quare ut alius magnificentius epico carmine canere Messalam potuerit, at suavius et iucundius dixit Tibullus, et tamen ita et ipse, ut profecto non detriverit magni viri laudes ingenii sui culpa. Atque ita praestitis omnibus, quae postulari poterant, sequitur denique exitus carminis. Redit poeta ad solennia diei, vocat Genium ut sacris lacte celebrandis adsit, votisque pro futura felicitate et gloria Messalae redituque natalis felicissimo totum claudit.

EXPLICATIO.

V. 1-12. Exordium. Celebraturus diem natalem Messalae, orditur a summa et proxima diei laude, a victoria Aquitanica ante aliquot annos ipso hoc die reportata.

V. 1 sqq. cecinere Parcae fatalia nentes stamina etc. Praedixisse quae sequuntur Parcas ante diem natalem Messalae, v. c. in nuptiis parentum, ut apud CATULLUM in Epithalamio Thetidis canitur de Achille nascituro, non est probabile, nec verba video, unde id efficias, nec causam idoneam talis fictionis. Immo cecinerunt natali die, ut vulgo solebat fieri. Sic infra IV, 5, 3: *Te nascente novum Parcae cecinere puellis servitium.* IULIUS HYGIN. fab. 171: *Cum esset natus Meleager, subito in regia apparuerunt Parcae, Clotho, Lachesis, Atropos, cui fata*

ita cecinerunt. Porro quae adiecta sunt: *nentes stamina*, redde: cum nerent; canebant enim dum nebant fata infantis. Ovid. Trist. V, 3, 25: *Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae stamina bis genito bis cecinere tibi* (Baccho). Adde Met. VIII, 451. et alia notata in hanc rem a Brouckhusio. Non igitur reddi debet: Parcae quae nere solent stamina fatalia, nec generalis hic habetur descriptio, qualis epico poetae placuisset, sed ad unum propositum tempus res revocanda, ut in lyrico et elegiaco carmine. Plurimum refert in interpretatione poetarum ubique generum poeseos recordari discrimina. Sed pergendum est. Igitur cum fata illustria Messalae constituerent et necterent in perpetuum indissolubilia, quid est quod cecinerunt Parcae? Hunc cecinere diem, ait Tibullus, hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes. Haec enim haud dubie vera lectio et constructio est loci, de quo mira comminiscuntur interpretes. Parcae autem clare dicunt: Hic dies natalis, hic erit, qui fundet Aquitanos, s. *hoc die Messala reportabit aliquando victoriam de Aquitanis.* Quod igitur Timoleonti contigit secund. Cornel. Nep. c. 5. ut proelia maxima natali die suo faceret omnia, semel etiam Messalae datum eximia fortuna, et perspicies nunc magnificentiam exordii. Hinc enim Parcae memoratae ut in mirabili re, hinc ipsi diei tributa splendidius, quae Messala tum fecit, usu ceterum poetis satis frequenti. Sic Pindar. Pyth. IX, 68: κεῖνο κεῖν' ἆμαρ διαίνασεν. Horat. III, 8, 9: *Hic dies anno redeunte festus corticem adstrictum pice dimovebit amphorae.* Sed Vossius, qui recte vidit, quis sensus lectioni codicum insit, tamen perperam mutat locum, negans duabus de causis in diem natalem incidisse illam victoriam. Primum enim repugnare verba *fore* et *qui posset.* Quomodo repugnant? Non capio. posse pr. valere saepe sic dici non dubium et notavit ad h. l. Wunderlichius, veluti infra III, 3, 25. aut cum Horatius dicit III, 3, 43: *triumphatisque possit Roma ferox dare iura Medis.* Vulgo male periphrasin dicunt. Exempla autem vide etiam ap. Torrent. ad Horat. l. cit. et Burmann. ad Lucan. III, 449. et ad Propert. I, 1, 15. Quid igitur quaeso vituperari iure potest in verbis, si dico: hic dies erit, qui Aquitaniae bellicosas gentes fundet, fundere valebit? Immo ne possunt quidem Tibulli verba alium habere sensum quam eum, quem

dixi. Quod enim HUSCHKIUS propterea diei natali tribui res gestas Messalae censet, quia initium vitae sit, remotius petit pro eo quod ante pedes est, ac dicendum ex hac ratione erat potius: hic dies *est*, qui perniciem afferet Aquitanis. Omnino certa lex hermeneutices est, ut primum teneatur ubique id, quod verba ultro offerant, accepta ut habeantur, nec usquam remotior sensus quaerendus et praeferendus ubi propior bonus est, nec habet quod displiceat. Ad quam normam qui nostram explicationem iudicabunt, non dubitabunt de eius veritate. At enim, audio te dicere, non bonus est propior verborum sensus, quia historiae repugnat; atque hoc est alterum quod VOSSIUS obiecit, et quo etiam ceteri interpretes iam olim videntur commoti. Explicabimus igitur nunc primum sequentes versus, et videbimus deinde quae fuerit probabiliter rerum a Messala gestarum ratio. — V. 4. Quem tremeret victus Atax, h. e. quem recordaretur tremens victus Atax, ut rebellare nollet, cladis aliquando acceptae memor. Fuit igitur proelium illud magnum et memorabile, quo fusi hi populi, ad *Atacem* in Narbonensi Gallia, qui hodie est *Aude* in terra *Languedoc* vocata. Nobilitavit hunc fluvium TERENTIUS VARRO ATACINUS, vid. RUHNKEN. Epist. crit. II, p. 199. — V. 5 sq. novos triumphos poetice pr. novum triumphum. — pubes Romana, h. e. populus Romanus, Romani, bene notante WUNDERLICHIO, qui confert *pubes barbara* infra 27. et *Dardana pubes* VIRGIL. Aen. VII, 219. et verba apud FESTUM: *Pubi praesente*, populo praesente, quae ex PLAUT. Pseudol. I, 1, 124. desumpta putantur. Consentaneum vero ad talia spectacula imprimis iuniores confluxisse, et laudat VULPIUS Ovid. Art. Am. I, 217. ubi de triumpho dicitur: *spectabunt laeti iuvenes mixtaeque puellae.* Ceterum cf. II, 5, 119. — evinctos brachia, scil. post tergum. HORAT. Epist. II, 1, 191: *mox trahitur manibus regum fortuna retortis*, ubi conf. SCHMID. Primus hunc usum HOMERUS habet, Il. XXI, 21. Ac notus HORATII locus Od. III, 5, 22. — Et capta dixit ad partem corporis revocans epitheton, quod ducibus ipsis convenit; cf. I, 1, 46. Praecedebant autem capti duces currum victoris triumphantis. — V. 7. currus eburneus, cum ebore et auro exornati essent triumphales currus. Conf. SCHEFFER de Re vehicul. libr. II, c. 13. — V. 9 sq. est post

me optime positum docui ad I, 1, 34. — Tarbella Pyrene sunt montes Pyrenaei, quos Tarbelli, Aquitaniae populus, versus littus Aquitanici maris accolebant. Fluit per illas regiones Aturus (*Adour*). — Oceani littora Santonici. Santones, alia gens Aquitanica Oceanum attingens, porrecta inter Ligerim et Garumnam. Terra nunc *Saintonge* vocatur. — V. 11 sq. Arar hodie *Saone*. — Garumna est *Garonne*. — Liger nunc *Loire*. Trans hunc fluvium, ubi fere hodie *Orléans*, habitabant Carnuti vel *Carnutes*, hic flavi dicti a colore capillorum, ut alii Galli, et *flava Gallia* est Claudian. de laud. Stilich. II, 240. — caerula, h. e. aequorea, ait cum Scaligero Heynius, quia Oceanus per ostia intrat et aestuaria facit. Tamen etiam per se fluvii interdum caerulei dicti, ut v. 14. Cydnus, ubi vide. Porro oppositionem suavem epithetorum notabis, ut ap. Virg. Georg. IV, 126: *Qua niger humectat flaventia culta Galaesus*. Adde alia notata a Vossio ibid. ad IV, 293. p. 833. Omnino quoniam saepe moneo non esse otiosa epitheta in his carminibus, perpetua epitheta in descriptione locorum non otiantur, sed vivas et distinctas reddunt rerum imagines. Denique in fine loci observa legem, quam in tota enumeratione secutus est Tibullus. Orditur ab occidentali termino, Pyrenaeis et Oceani littore, laudat deinde ab opposita parte Ararim et Rhodanum, denique medium addit Garumnam et versus septentrionem Ligerim. Nempe geographicum ordinem enumerationis vitare voluit. Atque haec hactenus. Monendum nunc est, quod supra me facturum dixi, de *historicis* rebus. Igitur videtur Aquitaniae motus per magnam partem Galliae pertinuisse, et credibile est varios populos ad fluvios laudatos habitantes isti foederi se adiunxisse. Hos omnes uno proelio maximo ad Atacem devicit Messala die natali suo, adiit tamen credo postea etiam singulos et subiecit pacavitque quod pacandum restabat. Provincia Aquitania ad Ligerim extensa est. Sic ubi totam rem explices facillima coniectura, concidit Vossii aliorumque opinio, propter multa hic significata loca non posse de una victoria die natali reportata cogitari, evanescunt omnes difficultates, manet vera vis sua verbis. Cum autem poeta et isti proelio et ceterae expeditioni interfuisset, testantur laudata loca non sine eo triumphi honorem partum Messalae.

V. 13-48. Medium carmen. A proxima laude diei pergit ad ceteras res a Messala sequentibus temporibus in Cilicia, Palaestina, Phoenicia, Aegypto gestas, deductaque sic ad Nilum et Osiridem oratione imprimis hunc multis verbis celebrat.

V. 13 sq. Debellatis Aquitanis Orientem composuit Messala, unde poeta post bellicosum exordium de Aquitanica victoria, pulchra tractationis varietate nunc pacatum statum orientalium regionum adumbrat. Cydnus leniter fluens, Taurus incolas alens, columbarum in Syria candidi greges, nautica studia Tyri, fertilis Nilus et Osiris arationis et vitium inventor sunt totidem suaves imagines pacis et pacati rerum status. Est igitur omnino notandum, tractatum totum locum sequentem ita a poeta, ut de singulis rebus gestis Messalae ipsis nihil praeterea diceret, sed loca pacata laudaret ubi gestae. Cum enim ubique fere idem fecisset Messala, hoc quidem minus varietatis habebat, at locorum diversitates pulchrum ornatum praebuerunt. Accedit alia non levior causa haec, quod omnino non bellicosa erat Musa Tibulli neque ita ad militares res celebrandas facta ut ad alia; iure igitur elegit convenientiorem ingenio poeseos suae tractationem. Atque hoc modo etiam factum est, ut deducta ad Aegyptum oratione de agrorum fertilitate, de aratione, de arborum vitiumque satione, uno verbo de rusticis rebus posset dicere, quod argumentum nosti quam sit familiare Musae Tibulli. Idem denique ostendent inferius ceterae Osiridis laudes. Nam sepositis per totum hunc locum militaribus et politicis rebus ea ubique adscivit et adduxit in medium, quae suo et poeseos suae ingenio maxime convenirent. Minime vero hoc cum damno carminis factum, sed potius suavissimam esse hanc oppositarum rerum coniunctionem monuimus etiam in Dissertatione de Poesi Tibulli c. II. — Cydne. Ut Ciliciam designet, Cydnum, qui campestrem secat partem, et montem Taurum nominat, quod ita intelliges, totam Ciliciam a Messala pacatam esse. Neque enim alia hic loca memorare potuit, quam quae revera attigit dux Romanus. — tacitis leniter undis serpis, cf. de hac cumulatione ad I, 5, 65. Adde de verbis Mitscherl. ad Horat. I, 31, 7. — Caeruleus ad purum colorem spectat fluvii, qui Ovidio Art. Am. III, 204. *lucidus* dicitur. Sic etiam apud Statium

Silv. I, 5, 51: *caerulus amnis* legitur, notante Vossio, et *caerulus lacus* ap. Claudian. 49, 28. — per vada. Haec explicat Wunderlichius de fundo fluminis, ut apud Ovid. Met. I, 369. habes: *Cephisidas undas — vada nota secantes.* Adde Gronov. Observatt. I, 9. Denique placidis aquis *serpis* Wunderlichio est pr. ad placidas aquas, in stagnum tranquillum, de qua constructione vide ad I, 1, 5. At enim quae in aliis exemplis bona, in hac quidem constructione (serpis aquis) mala est constructio et insuavis, insuavis etiam haec amphibolia loci, quod *undis* non minus quam *aquis* dativus esse posset. Influebat sane Cydnus in sinum, qui lacus erat, docente Strabone ab interpretibus laudato XIV, p. 990 (672): *αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον· ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος, ἔχων τὰ πάλαι νεώρια, εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος*, ac probabile est poetam hanc rem respexisse. Sed corruptum esse locum dubitari nequit, et bene Vossius emendat: *caeruleus placidae per vada serpis aquae.* Huschkius: *caeruleae placidus per vada serpis aquae* mavult. Sed non quadrat *caeruleus* in sinus stagnantis vada. Praeterea Huschkius male cum Statio *placidus* intulit. Non *tacitis undis placidus* malum esset, nec *leniter placidus*, at *tacitis leniter undis placidus* intolerabile, quod mirum non sensisse virum doctum. Lachmannus ad Propert. p. 504. coniiciebat: *tactis qui leniter ulvis*, acute, sed nimis exile hoc. Atque haec hactenus. Unum restat, ut de causa verborum modo explicatorum moneamus. Etenim cur usus est omnino poeta hac tam ornata et cumulata oratione: caeruleus Cydnus, leniter serpit, tacitis undis, ad placidas aquas? Oppositionis causa, aio. Ecce enim huic amoenitati fluminis statim opponetur asperitas frigidi Tauri cum intonsis incolis. Atque ita par erat fieri in scita descriptione. — V. 15. 16. Constructio est: et quantus contingens vertice nubes, frigidus Taurus alat Cilicas, h. e. quanta magnitudine sua contingens nubes, quantum se tollens in altum alat Cilicas, quod dictum pr. quantus sit, qui alit. Sic Virgil. Aen. III, 641: *Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat, centum alii curva haec habitant ad littora vulgo infandi Cyclopes et altis montibus errant*, quod manifesto dictum est pr. qualis quantusque est Poly-

phemus, qui claudit atque pressat, tales sunt centum alii qui habitant. Atque ita res habet in aliis locis, ut Tib. III, 6, 23. VIRG. Aen. XII, 701. Quare minime opus est emendatione HUSCHKII, qui coniecit: *quantus contingat Taurus alens.* Quod iam inest in vulgata. Illud vero ipse vides, pr. nudo verbo *quantus* ornatius dictum esse: *quantus contingens nubes.* Veniamus ad cetera. Verba: aetherio vertice contingens reprehendit VOSSIUS, cum aetherius vertex altior nubibus sit, nec tangat tantum eas, sed penetret per eas. Coniicit igitur *conscindens*, ut sit ap. STATIUM Theb. XII, 309: *Vix ea* (luna) *conscissis magnum dea nubibus orbem protulit*, et apud OVID. Met. I, 316. de Parnasso: *arduus astra petit superatque cacumine nubes.* HUSCHKIUS autem *aërio* probat e cod. Dresd. et uno Vossiano, quae coniectura est antiquioris viri docti aut confusio verborum similium. Ego vero nihil hic muto. Nihil efficias eo, quod alias fere aërii dicuntur montes. At *aetherio* magis nunc placet, quia maiorem altitudinem indicat, et sic etiam sequenti epitheto *frigidus* significantius respondet. Errant vero qui credunt ubique vacuam nubibus regionem h. v. designari, siquidem LUCRET. IV, 183: *aetherias nubes* dixit et OVID. Fast. I, 682: *aetheriam aquam* pr. pluvia caelesti, ac ne quis *aërius* reponat, ambobus in locis sententia *aetherius* tuetur. Adde etiam LUCRET. I, 251. et VIRG. Georg. II, 325. Nolo afferre vel apud HOMERUM interdum nubes in aethere memorari, ut Il. XIII, 523. XVI, 364. 365. cf. VÖLCKER. de Geographia Homer. p. 18. Quae cum ita sint, patet sanum esse locum. — arat. Lectio librorum sed inepta, vide maxime GOERENZIUM in Tentamine critico p. 9. CYLLENIUS et SCALIGER hypallagen perversissimam statuebant, ut *Taurus arat Cilicas* dictum haberetur pr. Cilices arant Taurum. BROUCKHUSIUS explicat: dirimit, secat Cilicas, Ciliciam a Pamphylia et Isauria, quod similiter non eget refutatione. HEYNIUS credit ipsam Ciliciam iugis montis dirimi, dividi dictam Tibullo, quamquam revera non dividit Ciliciam Taurus, et quod idem formam Tauri comparat, quam monti huic tribuerunt veteres, fatetur ipse puerilem talem allusionem esse et poeta indignam. Ne multa; optima coniectura est alat, profecta ab Italis, quam cum MURETO et TURNEBO amplectuntur GOERENZIUS, WUNDERLICHIUS,

Vossius, Bachius, Golbbryus. Alit enim Cilicas Taurus pascua habens et messibus faciendis idoneas convalles, in summis partibus adeo ferax; vide, quem conferunt, Strabon. XII, p. 546. Ac similiter Lucanus II, 430. de Apennino: *tunc Umbris Marsisque ferax.* — Epitheton intonsos Goerenzius bene notavit ad ipsos montis incolas pertinere et omnino ad eam partem Ciliciae, quae τραχεῖα appellata; maritimam partem cultiorem fuisse. Messalae vero non parva laus est, quod etiam has regiones attigit et subegit. — V. 17. 18. *Syria* latiori sensu etiam Palaestinam complectebatur, ut constat, cf. Mela I, 11. Plin. V, 12. Strab. XVI, 1090. et Palaestinum Syrum habes etiam Ovid. Art. Am. I, 416. Nec minus notum e Geographia magnum numerum urbium in Palaestina fuisse. Abstinebant autem Syri columbis, quae apud eos sanctae erant propter cultum deae Syriae s. Astartes, cf. Lucian. de dea Syria c. 14. et 54. Munck. ad Hygin. fab. 197. Voss. Epist. Mythol. II, 10. Creuzer. Symbol. Tom. II, p. 70 sqq. atque ex hoc loco videmus sanctitatem earum etiam per Palaestinam obtinuisse, ubi praeter Iudaeos ethnicae gentes variae habitabant. Hoc igitur clarum, illud vero propemodum displicuit Heynio et leve atque exile visum est, quod hoc modo designavit Syriam poeta, cum per se ignobilis avis sit columba; recordatur tamen idem recte, ex ipsa religione rem satis dignitatis habere. Tu ut tractationem poetae penitus perspicias, illud praeterea mecum observa: Descriptiones poeticae locorum longiores ut bene placeant, debet varietas suavis et oppositio rerum adesse. Quam legem etiam a Tibullo per totum hunc locum observatum dico pulcherrime. Cum enim ante Cydni amoenitati opposuerit Tauri montis asperitatem, ut vidimus, nunc post memoratum frigidum Taurum cum intonsis incolis ad Palaestinae crebras urbes nos ducit, ubi suaves columbarum candidarum greges volant; in quo quis iam non sentit pulchritudinem oppositionis? — V. 19. 20. Sequitur nova oppositio ad eandem normam. Cum enim columba simul terrestris avis sit, opponit nunc his cultis in Palaestina columbarum gregibus terrestribus maritima studia Tyri nauticae, quae tota mari dedita est atque etiam domos suas mercatorias tam alte exstruit versus mare conversas, ut late prospiciat aequor et semper ante oculos habeat. Hoc enim inest in

Tibulli verbis. Domos Tyriorum praecelsas, de quibus Strabo narrat XVI. p. 757., *turres* appellat (*vielstöckige Handelshäuser mit hohen Aufsätzen*), quemadmodum etiam alias maritimarum urbium domus nominantur. Avien. Descript. O. T. 1076: *caput altis turribus effert Laodice*, et 1086: *Emesus — subit auras turribus in coelum nitentibus.* Secundum Plin. V, 13. Caesarea in Palaestina olim *Turris Stratonis* dicta. Tales etiam sunt *speculae* Abydi Ovid. Heroid. XVIII, 12. Vide haec et alia notantem Obbarium in Seebodii Horreo philol. et paedagog. ann. 1825. p. 460. — P r i m a r a t e m v e n t i s c r e d e r e d o c t a, tribuente poeta Tyriis, quod fere de Phoenicibus generatim praedicari solet, navigationem ab iis inventam. Vide locos ap. Brouckhusium cum Dionys. Perieg. 907 sqq. et quos Heynius laudat viros doctos, Mignot in Mém. de l'Acad. des Inscr. Tom. XXXIV. et Bryant Analysis of ancient Mythol. p. 225 sqq. — V. 21 sqq. Iam e Syria in Aegyptum nos ducit itidem compositam a Messala, et nunc quidem mari Tyriis dilecto opponuntur agri arentes Aegypti, quos Nilus fecundat, poeta per totam hanc descriptionem, ut vides, eam legem observante, de qua supra dixi. Nominaveris catenam oppositionum. — S i r i u s. Crescit Nilus in inferiore Aegypto circa ortum Sirii, cf. Plin. V, 9, 10. — f i n d i t, veluti Virg. Georg. II, 353. — a e s t i v a, qualis aestate esse solet, fecundante. — a b u n d e t, coniunctivo modo, qui hic quidem tenendus videtur cum Lachmanno; videbimus tamen semel indicativum in hac constructione infra II, 4, 18. — V. 23 sqq. N i l e p a t e r, communi fluviorum epitheto. — o c c u l u i s s e c a p u t, similiter dixit Ovid. Met. II, 255. Vide de ignoto Nili capite quos Mitscherlichius laudat ad Horat. IV, 14, 45. — P l u v i o I o v i, qui *Ὑέτιος* Graecis. — s u p p l i c a t h e r b a I o v i. Confert Vulpius Pausan. I, 24. qui memorat Athenis *Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαι οἱ τὸν Δία*, et M. Antonin. libr. V. *τῶν εἰς ἑαυτόν* nr. 7: *Εὐχὴ Ἀθηναίων, ὗσον, ὗσον ὦ φίλε Ζεῦ κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων.* Apud Tibullum non est prosopopoeia, sed metaphorica dictio. Atque haec de Nilo. Iam antequam ad sequentia transeamus, recorderis velim eorum, quae in Introductione de causa harum Nili laudum exposui. Noli enim forte negare propiorem causam, ut dicas esse rem omnino ideo factam,

quia mirabilis fluvius sit et laudari Aegyptus aliqua ex parte debuerit ut antecedentia loca. Nam illa loca breviter attigit, in Aegypti laude data opera versatur per maximam partem carminis, quasi etiam Messalae laus maxima hic agatur. Et profecto ita est. Aegyptus erat summi pretii provincia, quam ordinasse et composuisse magna laus. In quonam vero potissimum posita erat praestantia illa? In annonae fecunditate, propter quam omni tempore maximi facta est Romanis. Nonne igitur iam perspicua tractatio poetae, qui idem argumentum manifesto etiam in sequenti de Osiride loco continuat? Nam ut Nilo fertilitas agrorum debetur, sic Osiridis inventioni aratio et vitium arborumque satio. *Est igitur praeclaro iudicio coniuncta horum duorum deorum laus eam ob causam, ut praestantia fertilissimae provinciae, a Messala ordinatae, quam luculentissime illustretur.* Vulgo credo pro phantasiae lusu et digressione liberiore habuerunt (vide v. c. Bachium), quae nunc patet cum summo consilio carminis convenire optime, ut par erat. Simul vidimus supra quam aptum etiam ingenii viribus elegerit Albius argumentum. Atque haec hactenus. — V. 27 sq. Ad Osiridem transit. — pubes barbara h. e. barbari, Aegyptii. — miratur, veneratur. Aptior vero poetae illa vox visa propter inventa praeclara Osiridi debita, quae statim recensebit. — Memphiten bovem, h. e. Apim. Erat enim apud Memphitas, ut constat, cum Osiridis religione coniunctus cultus sacri bovis Apis, de quo Plin. Hist. Nat. VIII, 46: *Non est fas eum certos vitae excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant quaesituri luctu alium, quem substituant et donec invenerint, moerent derasis etiam capitibus, nec tamen unquam diu quaeritur. Inventus deducitur Memphin a sacerdotibus.* Quali autem habitu esse debeat, docet Herodot. III, 28. ubi cf. interprett. Iam vide quid Tibullus dicat: Te, Nile, et Osiridem maximopere colunt Aegyptii, quibus maxime cordi est terrae suae fertilitas, quique lugent sacro ritu aratorem bovem Apim mortuum, donec alium invenerint. — docta plangere, ut est notante Heynio in Fragm. Callim. p. *εἰδυῖαν φάλιον ταῦρον ἰηλεμίσαι*, qui idem Apis. Ceterum *plangere* c. accusativo est notum, quemadmodum Graece *τύπτεσθαι, κόπτεσθαι* dicitur. — V. 29 sqq. Ad sequentia conferendus est Diod. I, 14., ubi et haec

et alia inventa et beneficia Osiridis laudantur. — manu sollerti. Cum sollertia in inveniendis rebus cernatur, manus sollers est, quae novam rem effinxit, ait recte Wunderlichius. Nempe revocatum est, ut saepe, ad partem corporis epitheton personae competens. cf. I, 1, 46. — teneram humum. Vossius, Bachius et Wunderlichius mollem ex Nili inundatione facilemque ad arandum interpretantur collat. Plin. XVIII, 18, 47. Sed haec physica observatio vide ne geographo dignior sit quam poeta. Quid poesis postulet, Vulpius et Heynius melius perspexerant, monentes *teneram* esse recentem, mundo paullo ante orto, ut mox inexperta dicitur. Sic *tenerae res* Virg. Georg. II, 343. — sollicitavit, cf. Virg. Georg. II, 418. Ovid. Fast. IV, 396. — non notis ab arboribus, h. e. primus arbores sevit et ex satis poma legit, usum eorum ostendens. — V. 33 sq. teneram vitem, quae fulcro opus habet nec sola sua se vi sustinere potest. — dura falce, non propter ferri rigorem, ut cum Brouckhusio Heynius vult, quod esset otiosum in hac poesi epitheton, sed immiti, non parcente inutilibus ramis foliisque luxuriantibus, etsi oculis placeant. Confert Vossius Virg. Georg. II, 369. et assentitur Wunderlichius. Nec viridis otiosum; talis enim absumit succos. — V. 36. incultis pedibus. Vulgari usu *incultus* significat: negligenter habitus, neglectus, sine cultu et ornatu, quod ad pedes relatum idem est quod immundus incuria. Sed tam inelegans epitheton quis admittat? Ac lavantur pedes et purgantur, antequam premant uvas. Quare Gebhardus aliud substituit, musti adspersione inquinatos explicans, quod etiam Heynius et Wunderlichius amplexi sunt. Sed repugnat lingua; pedes, qui dum premunt, inquinantur musto, non possunt negligenter habiti et incuria sordidi dici. Ne multa; meliora vidit Vossius. Inculti, ait, sunt indocti, rudes, nondum periti huius rei, quippe primum tentantes, ut statim *nescia membra* dicuntur. Quod verum est accuratius definitum. Nam per se quidem *incultus* non est huius aut illius artis imperitus, sed generaliorem sensum habet. Sunt igitur inculti pedes haud dubie incultorum hominum pedes, revocatum vero est epitheton, quod personis competebat, ad partem corporis ex usu saepe a nobis notato, cum talium hominum pedes ipsi etiam rudes sint et indocti. Denique causa epitheti clara; lauda-

tur Osiris, quod primus haec omnia rudes homines docuerit. Ac de cultore terrae deo satis dixit. — V. 37 sqq. Iam pergit longius et postquam vini vim laudavit, deum ipsum illustrat ut chori, cantus, ioci omnisque omnino festivitatis amantem, qui a Graecis Latinisque cum Baccho confusus, cf. Herod. II, 42. et Iablonsk. Panth. libr. II, 1, 5., etiam mores huius creditus est habere. Simillimus vero Baccho visus non tamen pro Baccho ipso a poeta habetur, qui non solum vites et arbores curet ut Bacchus (Voss. ad Virg. Georg. II, p. 264.), sed etiam aratrum invenerit, quod non tribuitur Baccho, cf. Welckeri mei Additamenta ad librum, quem scripsit de Trilog. Aesch. p. 187. — Est locus de Osiride haud dubie pulcherrima pars carminis, de cuius forma poëtica tenebis quod a nullo interprete observatum in promptu tamen est, gradatim a laetis ad laetiora et laetissima procedi. *Primum* enim de frumento et pomis inventis dicitur; *tum* de vino iucundo, et huius quidem vis sic explicatur gradatim, docuisse id omnino cantum et saltationem, exhilarare agricolae pectus labore confectum et afferre vel afflictis requiem; *postremo* ipsius dei mores laetissimi *συναθροισμῷ* pulcherrimo illustrantur, in quo summa orationis alacritas. De consilio loci in Introductione vidimus, qui tantum abest ut pro digressione habendus sit, ut non potuerit blandior excogitari Messalae laus. — Nunc pergamus explicare singula. V. 37 sq. voces inflectere cantu, numerose mutare, variare, modulari. Lucret. V, 1405: *ducere multimodis voces et flectere cantus.* Aliis in locis molles et fractae mutationes vocis *flexiones* dicuntur, ut Cic. de Orat. III, 25. Quo pertinet apud Graecos *κάμπτειν*, *καμπή*, cf. interpretes ad Aristoph. Nubes 963. Inv. — ad certos modos, ad musicos modos, ad musicorum instrumentorum cantum. — nescia membra, saltationis ignara, ut nexus docet. Vide de his adiectivis ad I, 4, 48. — movere, *motus*, propria verba de saltatione, ut constat. Exempla multa Brouckhusius habet. — V. 39 sqq. Bacchus, h. e. vinum; male enim, ut etiam Heynius notat, Osiridis nomini nunc semel aliud substitueret, si deum Osiridem, non vinum intelligis. Ac supra docui non pro eodem deo Bacchum et Osiridem Tibullo haberi. Denique alienum a carmine, quod Aegyptium deum laudat, Bacchi Graeci pro Osiride nomen. — tristitiae disso-

luenda dedit, h. e. fecit ut dissolverentur (*giebt sie dahin, gelöst zu werden von der Traurigkeit*). Nam ut *vinciendum aliquem dare* dicitur, ita *solvendum;* quis vel quid solvat, vinciat, ut addatur non ubique opus. Hoc loco quae vis solvat, res ipsa docet. Vino animus in potestatem hilaritatis, laetitiae, fervidorum sensuum datur, qui dissolvunt tristitiam. Sed hoc omittitur et ponitur *dedit* absolute sine obscuritate. Omnino *dandi* verbum in talibus aptissimum, ut v. c. *ἐκδόσθαι πρὸς ἥβαν* est PIND. Pyth. IV, 295. Alii agricolae pr. dativo habent, ut BACHIUS, sed magnopere displicet haec explicatio, ex qua pectus, quod est agricolae, dari agricolae dicitur ad exhilarandum. — *tristitiae dissolvenda*, h. e. a tristitia liberanda, ut *legum solvere* CIC. pro Sext. c. 7., *operum solutus* HORAT. III, 17, fin. *animum levare religionis*, LIV. XXI, 62. laudante HUSCHKIO. Adde laudatum a BROUCKHUSIO Vechnerum in Hellenol. I, P. II, c. 24. Ceterum notum *Λύσιον* Bacchum Graecis dictum, cum solvat curas. — crura licet sonent etc. De servis loquitur, qui vincti in ergastulo detinentur et opus faciunt in agris compedes trahentes, cf. II, 6, 25. OVID. Trist. IV, 1, 5. COLUMELL. I, 8, 16: *ergastuli mancipia vincta compedibus*. — Et pulsa est pulsata inter eundum. — V. 43 sqq. Quae hinc leges, omnia ad similitudinem Bacchi expressa sunt. — levis amor, I, 1, 73. — aptus, te decet, tibi convenit. — varii flores, plane ut Bacchus flores amat, cf. WELCKERI Additamenta ad libr. de Trilog. Aesch. p. 189. SENEC. Oed. 414: *te decet vernis comam floribus cingi*. — corymbis. Hederam Dionysiacam describit VOSSIUS ad Virg. Eclog. III, p. 120. *Bacchus corymbifer* OVID. Fast. I, 393. Add. PROPERT. III, 17, 29. Sunt autem corymbi racemi hederae in orbem circumacti, cf. PLIN. XVI, 34., et acinis ac baccis, qui fructus hederae, graves. — lutea palla. De *luto* vide ad I, 8, 52. *Palla*, quae proprie feminarum, etiam ab aliis tributa est Baccho. Fuit genus tunicae superioris, ut MÜLLERUS meus me monet; nam VARRO libr. V, §. 131. ed. M. eam ad *indutum* refert et ab amictu discernit. Intelligitur vero nunc, ut iam ab aliis notatum, crocota Bacchica, qua insignitur deus ob molles mores. Vide de ea interprett. ad ARISTOPH. Ran. 46. CREUZER. Symbol. Tom. II, p. 330. — Fusa ad pedes, *ποδήρης*, ut erat. Ceterum etiam

fluere ad pedes talis vestis dicitur, VIRG. Aen. I, 104. aliisque in locis ap. HEYN. — teneros, ut totum corpus dei tenerum est et iuvenile. — Et Tyriae vestes. Nam etiam purpura Bacchus utebatur, cf. OVID. Met. III, 556. et vide SALMAS. ad Tertull. de Pallio p. 291. Intelliges vero amiculum purpureum, indutui superiniectum. — tibia, legitima in Bacchi cultu, ut constat. Addo amatam eam etiam ab Aegyptiis, cf. PROPERT. IV, 8, 39. et quae KUINOEL ibi laudat. — dulcis cantu. Cum variae essent tibiae, Osirin dicit dulcisonas probare. Phrygiam in animo non habet, ut VOSSIO visum. Nec mutamus cum FRUTERIO, DOUSA, GYBTO, VOSSIO, BACHIO *dulcis* in *dulci*, quo non opus; nam etiam constructio *dulcis cantu* offensionem non habet, etsi alias non lecta apud Tibullum. — cista conscia sacris, quae habet reconditas res mysticas in Liberi sacris portari solitas, cf. eandem memoratam CATULLO LXIV, 259. cum annotatt. interprett. et HORAT. I, 18, 12. ibiq. MITSCHERL. et interprett. ad OVID. Art. Am. II, 609. Dicuntur vero *conscia* loca rerum, quae ibi sunt vel fiunt, ut WUNDERLICHII verbis utar, velut OVID. Heroid. XV, 138: *conscia deliciis illa* (antra) *fuere tuis.* Adde infra I, 8, 3. VALER. FLACC. Argon. I, 5. aliaque ab HEYNIO laudata, nec non quae OUDENDORP. ad Lucan. I, 20. habet. — levis, cum vitilis s. viminea esset, notante HEYNIO, quae a virginibus portaretur, quas κανηφόρους vocabant, cf. VULPIUM ad Catull. l. cit. et HEINDORF. ad Horat. Sat. I, 3, 11. Tibullus epitheto utitur hilaritatem dei describens, in cuius sacris etiam cista non gravis est et ponderosa, sed levis et commoda facilisque ad portandum. — Postremo per universum locum modo lectum observa alacritatem orationis pulcherrimam, effectam enumeratione rerum multarum (συναθροισμῷ) et repetitione particularum *sed — sed — sed, et — et — et.* Conf. VIRG. Georg. II, 467 sqq. OVID. Met. V, 17 sqq. et 507. 508. Interprett. ad TACIT. Ann. I, 10. —

V. 49-fin. Exitus. Redit ad diem natalem et natalitia sacra, vocans huc Osirin Geniumque, denique ad futurum tempus conversa oratione precatur sobolem Messalae illustrem, gratulatur e munitione viae Latinae promerendas populi laudes, optat denique reditus natalis laetissimos.

V. 49 sq. Huc ades. Adsis nunc laetitiae dator huic festo. Nam Genius illustris viri est illustris deus, cuius sacris celebrandis provincialis deus recte advocari potuit. — centum ludis Geniumque choreis concelebra, h. e. centum ludis choreisque Gen. concelebra, uti iam BROUCKHUSIUS vidit, collocatione verborum usitatissima, veluti si dicas: *pacis eras mediusque belli*, vid. ad I, 2, 42. et I, 1, 51. Quare bene emendatum est *ludis* a STATIO et in codd. aliquot pr. *ludos*, quae lectio ab iis oriri potuit, qui ludos Geniumque iungendum censerent ignoratione verae constructionis. Aliis hic mutationibus non opus. Quod enim HUSCHKIUS proponit: *et Genium ludis centumque choreis*, manifesto deterius est, nec *centum* iure displicere potest ut *sanctum* emendes cum GYETO et VOSSIO, cum OVIDIUS dicat Epist. ex Ponto IV, 9, 115. loco ab ipso VOSSIO notato: *Pontica me tellus, quantis hac possumus ora, natalem ludis scit celebrare Dei.* Illustravit *centum* de magno numero dictum bene HUSCHKIUS. Multimodis enim ludis iocisque exhilarabant tali die Genium, quos nunc Osiris docere debet. — tempora funde mero, cf. ad I, 2, 3. Ducem vult etiam in hoc deum esse ceteris convivis. — V. 51. 52. Etiam Genius ipse laete ornatus adsit. Stillent eius capillis unguenta, ut mos erat ubi quis epulis interesset. Quod enim BROUCKHUSIUS amoenitatum praesides deos, Hymenaeum, Venerem, Cupidines amomo unctos comparat, eo non opus; solemnis mentio nitentium unguentis capillorum in lautioribus conviviis, cf. v. c. HORAT. II, 7, 7. III, 7, 22. Erat res omnino et delicatiorum et eorum qui Genio indulgerent. Ceterum nitido per prolepsin dictum vides ut I, 8, 16; nitet enim unguentis. Quod non ieiunum hic est, sed placet nervosa cumulatio similium, ubi una notio laeta regnat; nam laetus habitus dei est, quem omnia significare debent. Cogitabis autem etiam simulacrum dei ligneum nunc hoc modo ornatum, ut notarunt interpretes. Stabat enim Genii simulacrum adolescentis speciem referens inter Lares in foco atrii. Hoc ornabant die natali aliisque festis corollis, nardo aliisque unguentis, et apponebant liba et vina. Cf. HEYN. ad II, 2, 7. Voss. ad Virg. Georg. I, p. 145. Atque haec hactenus. Addamus cetera. — Pro lectione *illius et*, quam reduxit LACHMANNUS, ego cum aliis probo: illius e. Etsi enim per se copula non

omnino falsa sit, tamen quae statim sequitur allocutio Genii separatiora membra orationis postulat, ne rapidior transitus sit, et postulat non annexam antecedentibus sententiam, sed fortiorem, nova cum vi surgentem, quod eiecta copula consequimur, ut oppositio exsistat: *illius vero* etc. — Et capite et collo. Nam in lautioribus laetioribusque conviviis non solum capite, sed etiam collo coronas gerebant, quae ὑποθυμιάδες vel ὑποθυμίδες Graece vocabantur. Vide quae docte exposuit Boettiger in Sabina Tom. I. p. 240. — mollia, non otiari vides hoc epitheton licet e natura sertorum petitum, sed prodesse simul suaviter ipsi laetarum rerum descriptioni. Conf. ad II, 2, 6. — V. 53 sq. Sic venias hodierne h. e. hodie. Constructio notissima, ut Sophocl. Philoct. 761. Vide Seidl. ad Eurip. Troad. 1229. Wüstemann. ad Theocrit. XVII, 66. Scalig. ad carm. Priap. nr. 83. Anthol. lat. T. II. p. 560. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 6, 30. Huschk. ad hunc Tibulli locum, et Britannorum Diar. classic. Vol. XVI, p. 353. Errat igitur Vossius hodiernum interpretans tutelarem deum hodierni diei. Ceterum male a Brouckhusio et Heynio Osirin intelligi hoc versu, ubi de Genio agitur, res ipsa docet. Invitatur deus ex more ad sacra sua ut II, 2, 5 sqq. ubi simillima omnia videbis. — tibi dem etc. etiam turis honoribus et dape legitima non carebis. Poeta interest sacris apud Messalam et ipse feret ista Genio amici. Coniunctivus *dem* et mox *feram* respicit antecedens *venias*. Ceterum dare tus solemnis formula, ut notant, cf. I, 3, 70. III, 3, 2. Propert. IV, 6, 5. Omnino *dare* legitimum in sacris, ut constat. — Liba, ut II, 2, 8. et cf. Ovid. Art. Am. I, 429. Amorr. I, 8, 94. Sunt legitima in omni natalitio sacro, et placentae erant de farre, melle et oleo, cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 109. Videntur autem tot data, quot anni erant exacti vitae, cf. Ovid. Trist. III, 13, 18. — liba ferre, ut I, 10, 23. Virg. Georg. II, 394. — Mopsopio, Attico, ab antiquo Atheniensium rege Mopsopo. Notissima vero Hymettia mella. — V. 55 sqq. succedunt vota pro felicitate et gloria futura Messalae. — proles succrescat. Duo erant ei filii. Ad *succrescat* Heynius confert Albinov. III, 29: *et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni.* — Augeat, aliis praeclaris factis. — veneranda, rebus gestis et honoribus. Virg. Aen.

IX, 276. *venerandus puer* propter virtutem dicitur Euryalus. — circa stet. PIND. Ol. IV, 21: *σέ τ' Ὀλυμπιόνικε Ποσειδανίαισιν ἵπποις ἐπιτερπόμενον φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν, υἱῶν, Ψαῦμι, παρισταμένων.* — V. 57. monumenta viae. Inter oppidum Tusculum et montem Albanum transibat Latina via, cf. STRAB. V, p. 362, A.; hanc igitur nunc intelligendam esse notarunt interpretes. Receperat Messala iussu Augusti partem huius viae vel novam vel vetustate collapsam ex manubiis sternendam, ut aliis alias vias muniendas mandabat Augustus, cf. SUETON. Aug. 30. et DIO CASS. LIII, 22. Cum ex manubiis, ut diximus, stravisse viam videatur Messala, etiam propterea non potuit aliena videri res ab ornatu carminis, quod bellicam viri laudem illustrat. — *monumenta* sunt opera publica, ut bene explicat HEYNIUS. Opus autem praeclarum fuisse liquet e MART. VIII, 3, 5., quem HEYNIUS confert. — Nec taceat, celebrent Tusculani et Albani munificentiam Messalae, quorum maximo commodo strata est via ad urbem ducens. — Alba antiquo Lare, h. e. quae antiquum Larem habet, ut sunt etiam urbium et civitatum Lares, cf. MÜLLER. de Etruscis Tom. II, p. 91. Sensus igitur: Alba antiqua, Albae antiqua sedes, cum esset antiquior Roma. — Candida. Noli de aedificiis urbis forte candidis cogitare; perpetuum epitheton requiritur in tali descriptione loci. Quare potius a monte Albano, in cuius clivo sita erat urbs, dici candida videtur; probabile enim solum candidum fuisse vel visum. Sic *candidus Anxur* MARTIAL. V, 1. est quem HORATIUS Sat. I, 5, 26: *impositum saxis late candentibus* appellat. Et ibi quidem calcarium solum fuisse docent SCHOL. PORPH. ad Horat. Similiter *ἀργὴς Κολωνός* dictus SOPH. Oed. Col. 670. collat. SCHOL., spectatque eodem epitheton urbium *ἀργινόεις*, cf. annotat. nostr. ad PIND. Fragm. p. 666. Ad Latinos ut revertar, ap. PROPERT. III, 16, 3: *candida qua geminas ostendunt culmina turres*, non sunt aedium credo, ut quibusdam visum, sed montis culmina Tiburtini, ubi duae turres. In descriptione Romae a PLATNERO, BUNSENIO, GERHARDO, ROESTELLIO nuper edita legitur p. 68: „*Die steilen Felswände von Tivoli, welche sich unmittelbar aus der Ebene bis zu* 2000 *Fuss erheben, sind ganz aus lichtgrauem dichten Kalksteine gebildet.*" Quod denique HUSCHKIUS Horat. Epist. I, 29. confert: *Nec ut superni*

villa candens Tusculi Circaea tangat moenia, alienum est, cum candens villa sit marmore structa. — V. 59 sqq. Namque sternitur, vox in his rebus propria (*pflastern*), unde strata viarum dicuntur. Scribebantur vero haec, cum nondum absoluta via esset. — hic — hic, erant igitur in alia parte viae silices, in alia glarea, prout commodum. Glarea quando primum coepta sit substrui in viis publicis, Liv. XLI, 27. docet. Censores (ann. 578) vias sternendas silice (*Basalt*) in urbe, glarea extra urbem substruendas (*mit Kies zu unterbauen*) marginandasque primi omnium locaverunt. — canit, praesens sensu futuri, ut II, 2, 10. *annuit.* — Natalis, h. e. Geni. Unum enim eundemque deum esse utrumque discas ex II, 2. et IV, 5. Eundem Ovidius Trist. V, 5, 13. appellat: *Optime Natalis, quamvis procul absumus, opto candidus huc venias.* — veni. Quod quidam malunt *redi*, deterius hic esset. De reditu agi per se intelligitur, et alacrius, nervosius est veniendi verbum.

ELEGIA VIII

INTRODUCTIO.

Quid veri subsit huic carmini, non potest dici, tamen non omnia ficta habeo, sed fuisse credo puerum, quem amaret Tibullus, quemadmodum iam ad eleg. IV. significavi. Quare etiam hoc carmen ex amore Tibulli profectum est miserantis puerum dilectum. Etenim Marathus inciderat in amorem Pholoes, puellae fastidiosae et cani amatoris muneribus deditae; cum autem antea ipse suos amatores lusisset superbus atque etiam Tibullum, pudore fateri nole-

bat malum et occultabat, atque ita tacito dolore consumebatur. Sed Tibullus animadvertit, ut erat peritus talium rerum, et miseratus nunc id agit ut succurrat puero dilecto, in quo opitulandi studio unitas elegiae versatur, ceterum simul ironia leni conspicuae, quod meritas poenas ferebat puer. Pholoes nomen fictum est et poeticum ut apud Horat. I, 33. nec cogitandum de eadem puella ambobus locis, res autem ficta non est plane. Videamus nunc tractationem. In exordio ante omnia nuntiat se nosse dolores tacitos pueri et hortatur eum ne dissimulet diutius, siquidem deus crudelius urat quos videat premere amorem superbia, ideoque etiam Maratho fecerit ut studium formae sine successu fuerit apud Pholoen hucusque. Aperte fovere amorem debent qui deos non invitos habere cupiunt, et amicis credere sensus suos, si auxilio amicorum opus. Iam in reliquo carmine de remedio mali agitur. Quaenam igitur primum origo rei? Num cantu aut herbis devotus puer, ut magica arte sanari debeat? Minime, sed ipse sibi imprudens contraxit malum, cum corpus puellae pulcherrimae tangeret aliisque nequitiis periculosis indulgeret. Hoc est quod tantopere nocuit. Tamen etiam tu nunc, Pholoe, ne auge malum asperitate, sed redde te desideriis tantis, ut tollantur dolores pueri. Iam poeta quidquid utile visum ad commovendam Pholoen, in medium affert, cum aptius magni mali remedium appareat nullum. Dividitur autem sic hortatio haec puellae. Primum iuventutem pueri ei commendat et levia ora et tumidum corpus et mollia pectora, opponens frigida membra cani amatoris, monetque si absumpserit aetatem in huius amplexibus, senectutem tristem futuram; non iuvabunt lapides gemmaeque donatae, nec poterunt revocari etiam diligenti studio formae dulcia gaudia amoris amissa semel. Deinde pergit ad aliud et secundo loco querelas pueri narrat, quas ille absenti amatae dicat lacrimans solitariis horis, si his cognitis frangi duritia mulieris possit. Postremo se revocans puerumque ab his hortationibus exitum imponit, praedicens, quod unum restabat, poenas deorum, nisi desinat esse superba. Vides gradationem suavem rerum. Pellicit pulchritudinis monstrato fructu, flectere studet querelis formosi pueri lacrimisque narratis, terret denique minis poenarum. Atque ita rite absolvitur cursus carminis, siquidem vel cedet puella vel poenas luet superbiae, ut utrovis

modo satisfactum sit sedandis pueri aerumnis. Addo nunc alia quaedam notanda. Primum enim, ut supra praemonui, ironia immixta est suaviter toti, cum puer ante superbus nunc ipse amore laboret. Discas hoc clare v. 71 sqq. ubi exemplum Marathi puellae fastidiosae proponitur non sine irrisione leni pueri, et v. 17 sqq. ubi non incantatione, sed sua ipsius culpa significatur puerum in tantum malum incidisse. Unde etiam in aliis locis, ubi vel formae studium irritum miseratur puero, vel fletus eius solitarios describit, non sic dolere credes poetam ut cum suos tractat amores, sed memineris tale argumentum frivolum ipsa natura sua hilaritatis aliquid posse habere. Atque hoc unum est. Notabis deinde etiam descriptiones elegantes Veneris furtivae et artium, quibus placere studebant formosi, omninoque lasciviam rerum liberiorem, qualis non est in iis elegiis, ubi Deliae et Nemesis amorem canit. Quod consulto admissum, cum indoles carminum pueris scriptorum amare videretur lascivius dicendi genus.

EXPLICATIO.

V. 1-16. Exordium. Hortatur poeta Marathum, dilectum sibi puerum, quem gravi amore Pholoes laborare sine successu animadvertit, ut desinat dissimulare rem haud utiliter celatam, succurrere cupiens dolenti.

V. 1. 2. Non me fugiunt indicia amoris. De sententia hac et arte coniectandi sensus amatoris ex signis quibusdam Heynius adiri iubet Callimach. Epigr. 45. et Propert. I, 9, 5 sqq. III, 8, 9. — ferant, nuntient, significent. — lenia verba, Wunderlichius placidam loquelam interpretatur, ubi vel sonus, quo quis verba eloquatur, amorem prodat. Quod enim Statius de susurris cogitaverit, non magnam requiri artem, quam iactet tamen Tibullus, ut ex susurris iuvenis amorem coniectes. Ceterum suaviter sunt cumulata similia verba miti lenia, significantius ut

depingatur talis loquela. — V. 3. 4. tria ponit divinationis genera, ut II, 5, 11 sqq. sortes in privatis rebus usitatissimas, quas vidimus supra 3, 11., *extispicium*, quod haruspices tractabant, nec solum publice sed etiam privatim, vide quae ibidem ad v. 10. diximus, denique *augurium*, quo olim in privatis quoque rebus usi erant patricii, cf. Liv. VI, 41., adde Cic. de Divin. I, 16., nec non postea multi his ominibus fidem habebant in quotidiana vita, vide v. c. Horat. III, 27. Cur hoc moneam, non te fugiet; cum de privata re nunc agatur, non de publica, poeta nec sortilegum, nec haruspicem nec auspicem se dicens, nominare non potuit quod a privato usu alienum esset. — conscia fibra deorum, voluntatis deorum, ut laudatus ab Heynio Tacitus Germ. 10: *equos deorum conscios* dixit, e quibus voluntas deorum cognoscitur. Wunderlichius confert Ovid. Heroid. XVIII, 265: *furtivae conscia mentis littera*. Ceterum de *fibra* cf. ad II, 1, 26. — V. 5. 6. Ipse usus amoris docuit me hoc magnos inter dolores. Quod graphice per metaphoram expressit sic: Ipsa Venus duro in servitio docuit me hoc, comparans, ut sunt amantes, immitis domini dure habitum servum, qui crebro manibus post tergum retortis caeditur verberibus. — magico nodo, vinculis magicis, ad certam legem magico ritu complicatis et constrictis ne solvi queant, ut cum Brouckhusio Heynius notat. Wunderlichius addit Virg. Eclog. VIII, 78. ubi vide quos Wagnerus laudat de nodis magicis explicantes. Callet autem etiam Venus magicas artes, ut apud Pindarum Pyth. IV, 213 sqq., traductus enim ad deam est usus magiae vulgo in amoribus usitatissimae. Brouckhusius cestum celeberrimum Veneris confert Il. XIV, 214. — religatum scil. post tergum, ut Ovid. Met. IV, 672. et *manibus retortis* Horat. Epist. II, 1, 191. — non sine verberibus, ut flagellum tribuitur Veneri Horat. III, 26. fin. Post haec confer denique proprie locutum Propertium I, 9, 7: *me dolor et lacrimae merito fecere peritum*, ubi *peritus* absolute positum ut hic *perdocuit*, notante Lachmanno. — V. 7 sq. deus, Amor. Ad vv. invitos succubuisse Wunderlichius annotat: Qui amorem premit, huic affectui obniti videtur, quare eum Amor acrius urget et torquet. At qui amorem aperte fovet, eum Amor et Venus iuvant. Catull. LXI, 202. — V. 9 sqq. Ostendit nunc dissimulatione Marathum

dei iram revera excitasse, ut sine successu apud Pholoen esset studium formae diligentissimum. Lex autem descriptionis sequentis haec est, ut descendat enumeratio a capite ad pedes et complectatur potiora sibi paria (*Coordination*) ex hoc genere rerum. — coluisse capillos, bene pectere, delibuere unguentis, tollere deteriores crines et si quid hic illic nimis luxuriat, cavere quidquid mollitiei obsit aut colori nocere possit et quae sunt alia huiusmodi. — Saepe mutatas, aliter atque aliter compositas, positu variatas, ut Ovid. Met. II, 412. dicit. Ac disponere *saepe mutatas* est: saepe mutare et aliter disponere, nota forma dicendi contractiore. Sic supra I, 2, 2: *occupet ut lumina victa sopor* dixit pr. ut somnus vincat lumina reluctantia et occupet. Cave hoc genus confundas cum prolepsi adiectivorum, ubi quod adiectivo exprimitur, posterius est verbo. Sed ut redeam ad comas variatas, mulierum in hoc genere modos varios Ovidius enarrat Art. Am. III, 137 sqq. Ad locum Heynius confert Callim. Lav. Pall. 22: *πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν*, et simile Epigramma Pauli Silent. XXII. Brunck. Analect. T. III, p. 78. Idem ad totum locum monet: „Pueri hi delicati comam alebant neque eam ponebant aut togam virilem sumebant ut cives Romani; nam erant peregre advecti ex Asia fere aut Syria." — succo splendente. Ad modum mulierum pueri delicatuli ut cutis candor, splendor, levor conservaretur, incrustatione panis lacte asinino madefacti faciem obtegebant, qua abstersa succi aromatici illinebantur ut niteret cutis. Haec smegmata sunt, illud cataplasma. Vide Salmas. ad Script. Hist. Aug. T. I. p. 42. et Boettig. Sabin. Tom. I. p. 22. et quae ad Tibullum notant interpretes. Atque hoc loco Scaliger panem madefactum intelligebat succum splendentem, miro genere dicendi; immo poeta elegantius alteram partem medicaminis nominat, ac smegmatis convenit verbum ornare, non incrustationi, quod Scaliger in *onerasse* mutavit suae explicationis causa. Ceterum de adiectivo *splendens* conf. ad v. 17. — ungues artificis manu subsecuisse, h. e. tonsoris, qui in tonstrina subsecabat ungues manuum, cf. Plaut. Aulul. II, 4, 34. Martial. III, 74. notante Vulpio et maxime doctissimum Boettigerum in Sabin. Tom. II. pag. 62. Ad *subsecuisse* cf. Ovid. Fast. VI, 230., ad docta Art. Am. I, 518. — V. 13 sq. vestes, indumenta

interiora, amictus, quod vestibus superiniicitur, cf. Brouckhus. ad h. l. et Ferrarii Analect. ad Rem Vest. c. 25. — Ansaque. Ut gracilitate pedum placeret, vinculis pedum arctioribus utebatur. Et colligit est: contrahit, coercet, in angustum cogit. Virgil. Aen. XII, 862: *Alitis in parvae subitam collecta figuram*, ubi cf. Heins. Porro Appulei. Apol. p. 247: *Cupio me ad pauciora coercere, tanto beatior futurus quanto collectior.* Haec et alia habet Brouckhus. Iamque finita est enumeratio. — V. 15. Illa, Pholoe. Tum inculto ore, neglectis munditiis, et venerit est: in conspectum venerit, conspiciendam se praebuerit, visa fuerit, ut IV, 2, 12. Aliis in locis vertas: convenire amantem noctu et copiam sui facere, ut Propert. II, 14, 20. 18, 30. 22, 46. Hunc sensum videbis etiam infra 9, 43. — tarda arte, diligenter, quamquam omnino tardiores feminae, ut Terent. Heaut. II, 2, 11. ait laudante Vulpio: *nosti mores mulierum, dum comuntur annus est.* — Denique epitheton nitidum per prolepsin notissimam dictum pr. ut niteat. Uberrime hanc figuram illustravit Hellerus ad Soph. Oed. Col. v. 1194. Tibullus ea utitur etiam alias, cf. ad I, 1, 36.

V. 17-26. Quae sit origo mali. —

V. 17 sq. pallentibus herbis, h. e. quae pallorem efficiunt, pallor autem amantibus tribuitur, ut constat, veluti Propert. I, 5, 21. Metonymicum usum v. *pallens* confirmat Ovid. Art. Am. II, 105: *nec data profuerint pallentia philtra puellis*, et Pers. Sat. V, 55. Adde supra v. 11. *succo splendente*, et *pigra frigora* I, 2, 31. ut sunt φρίσσοντες ὄμβροι Pindar. Pyth. IV, 81. Quamquam igitur hactenus satis defensum est *pallentibus*, magis tamen placet emendatio pollentibus in aliis codicibus lecta, ut notissimo usu herbae veneficae dicuntur. Nam de vi et potentia insigni magicarum rerum hic agitur. — tacito tempore noctis, cf. ad I, 2, 63. — V. 19 sqq. Cantus. Sensus sequentium duorum distichorum hic est: Carmen magicum et in terra et in caelo potens est. — fruges traducit ab agris. Idem vide Virg. Eclog. VIII, 99. Add. Plin. XVIII, 6, 8. Dicebatur res *excantare fruges*, memorata iam in XII. Tabulis. — detinet anguis iter, remoratur anguem ne irruere possit, inhibet ne loco movere se possit. Vide de hoc aliisque incantationis modis serpentibus

adhibitis HEYNIUM et VOSSIUM ad Virg. Eclog. VIII, 71. et BACHIUM ad Ovid. Met. VII, 203. Observa denique oppositionem rerum in disticho. Cantus movet quae immobilia, fruges traducens ab agris, et inhibet ac detinet quae mobilia maxime, impetum anguis cohibens. — Lunam deducere, cf. ad I, 2, 45. — aera repulsa, h. e. multum, identidem pulsa, ut recte VOSSIUS monere videtur, cf. I, 3, 24. Credebant homines laboranti lunae cymbalorum et pelvium sonitu auxilium se ferre posse. MARTIAL. XII, 57: *dicet quot aera verberent manus urbis, cum secta Colcho luna vapulet rhombo,* laudante VULPIO. Add. OVID. Met. IV, 333. Vide etiam HUSCHKIUM et WUNDERLICHIUM, et ad Tacit. Ann. I, 28. RUPERTIUM. Narrat LIV. XXVI, 5: *disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu lunae silenti nocte cieri solet, edidit clamorem.* — Denique constructionem attende temporum: faceret, si non sonent, cui similem vide VIRGIL. Georg. IV, 116 sqq. et conf. Dissertat. de Elocut. Tibulli. — V. 23. nocuisse. Proprium verbum in re magica, veluti OVID. Am. III, 7, 27: *num misero carmen et herba nocent?* HUSCHKIUS monet e Graecis respondere v. δηλεῖσθαι, THEOCRIT. IX, 37. Vide VALCKEN. ad Ammon. p. 222. et MITSCHERL. ad Hymn. Hom. in Cerer. 228. — V. 25. 26. Cum Pholoe nequitias leviores permitteret Maratho, hic imprudenter tactu puellae propiore et diuturniore ingentem cupiditatem sibi accenderat, cuius temeritatis nunc poenas dat. Poetam puta hoc non sine irrisione significare. Verba: femori conseruisse femur recte HEYNIUS et VOSSIUS ad convivia trahunt, ubi Marathus prope Pholoen in toro cubuerat. Talis est locus OVID. Amorr. I, 4, 43: *Nec femori committe femur, nec crure cohaere, nec tenerum duro cum pede iunge pedem.* Et *cubare ad latus* idem Heroid. II, 58. dicit: *lateri conseruisse latus,* quamquam ibi de lecto coniugali sermo. Tamen etiam illic abest concubitus significatio. Atque haec hactenus. Nunc id agit poeta ut succurrat huic malo, quod sibi imprudenter attulit puer, hortans Pholoen, ne difficilis sit. Quae res tribus locis tractatur.

V. 27-52. Primum commendat puellae pulchritudinem pueri teneram fruendam prae senectute cani amatoris divitis, quae gaudia si neglexerit, dum

aetate floreat, nec muneribus istius amatoris compensari nec artibus ullis postea revocari posse.

V. 27 sqq. Nec tu. Etiam tu tamen ne auge malum ex altera parte. Haec vera est iuncturae ratio. WUNDERLICHIUS *nec tu* negligentius dictum censet pr. tu igitur; perperam. — tristia facta, crudelia, ut VIRGIL. Aen. II, 548. Hic fastus erga amantem intelligitur. Frequentes autem hae minae, Venerem arrogantiae et superbiae ultricem fore, cf. MITSCHERL. ad Horat. III, 10, 9. Ceterum in fine uberius persequitur locum de poena divina, nunc breviter tangit. — Munera nec poscas. Bene LACHMANNUS copulam revocavit, etiam VOSSIO probatam. Transiens enim ad singula eleganter, ut saepe, copula utitur, cf. ad I, 6, 11. Videtur autem Pholoe avara fuisse et diviti seni amatori dedita, unde per totum locum sequentem opponitur suavitas iuvenilis pulchritudinis et amoris muneribus et senectuti cani amatoris. Qua oppositione sentis etiam poeticam vim rerum multum augeri. — molli non otiatur; frigida membra etiam rigida sunt. — V. 31 sqq. levia ora fulgent, ut STAT. Silv. IV, 65: *Olim etiam ne prima genas lanugo nitentes spargeret*, laudante HUSCHKIO. GEBHARDUS confert APOLLON. RHOD. I, 1236 sqq. — nec aspera barba terit, et cui non barba est aspera, quae terat. De omisso pronomine cf. Tibull. II, 3, 54. IV, 2, 17., et vide SCHAEFERUM ad Longum pag. 397. huius constructionis Graeca exempla plurima congerentem atque etiam Latina comparantem. — amplexus pr. amplectentem puellam, cf. ad I, 2, 11. Suaviter THEOCRIT. XV, 128. de osculo Adonidis: *οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ' ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυῤῥά.* — et cave pr. *at* accipias. Sensus simplex: et his gaudiis felix ne quaere pecunias. — V. 35 sqq. Pholoe, cum etiam maritum haberet, recte observante HEYNIO, per causam custodiae, qua impediri se dicebat, eluserat desideria pueri, unde Tibullus: Sis modo facilis puero, at Venus opportunitatem monstrabit, ut possis frui amplexu eius. — inveniet succumbere, ut Graeci εὑρεῖν. SOPH. Oed. R. 120: *ἓν γὰρ πόλλ' ἂν ἐξεύροι μαθεῖν*, ubi exempla plura MUSGRAVIUS congessit. Si defendere velis *invenit* explices: At Venus novit et paratas habet opportunitates ut possis furtim frui puero, sequere modo eius consilia. Nihilominus quivis futurum malit. — dum tumet, h. e. in vegeto flore aetatis con-

stitutus est, bene notante WUNDERLICHIO hic et in Observatt. critt. in Aeschyl. p. 189. Sic *anni tumentes* STAT. Achill. I, 292. VOSSIUS confert Stat. Theb. II, 204: *Deiphilen tumida iam virginitate*, et CLAUDIAN. XXXI, 125: *matura tumescit virginitas.* Et alia similia verba a me notata vide ad PINDAR. Pyth. IV, 158. Quod persona ipsa tumere dicitur, ut alibi virginitas, anni, non potest iure quemquam offendere; placet fortior locutio in tali descriptione. — et teneros conserit usque sinus. Optime HEYNIUS confert: pectora iungere, de amplexu Venereo, ut OVID. Met. II, 604: *et illa suo toties cum pectore iuncta*, Heroid. XV, 191: *at quanto melius iungi mea pectora tecum, quam poterant saxis praecipitanda dari*, et *miscere pectora* STAT. Silv. I, 106. Idem nunc est: sinus conserere. Dicit igitur: dum iuvenis est et nunquam non iuvenilia pectora iungit, h. e. iuvenilia, mollia pectora habet,. quae tecum iungat. Oppones vero mente rigida membra cani amatoris, et memineris id agere poetam, ut pelliciat puellam. Hinc etiam sequentium versuum explicanda lascivior ratio. BACHIUS corrupit locum sic, ut *conseruisse* scriberet. — V. 37 sq. anhelanti, cupido, aestuanti affectu. — pugnantibus linguis, h. e. inter luctam linguarum. Male enim VOSSIUS: humida linguis pugnantibus, iungit. Ceterum WUNDERLICHIUS recte comparat καταγλωττίσματα quae Graecis dicuntur, vid. ARISTOPHAN. Nub. 52. ibiq. Schol. et interprett., qualia Venerem comitantur. — figere dente notas, cf. I, 6, 14. — V. 39 sqq. Quodsi contra, pergit, lucro florem aetatis consecraveris, tristis senectutem transiges, nec laetaberis pecunia ornatuque pretioso, nullo quae amatori cupiaris et frigidas noctes sola dormias. Utitur vero suavius tertia persona pr. secunda, quae lenior est admonitio. — lapis, h. e. uniones, margaritae, auribus ornandis et collo, ut gemmae digitis. MARTIAL. XI, 50: *Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto, gemma vel a digito vel cadit aure lapis.* Multis exemplis lapidis significationem illustrat BROUCKHUSIUS. — quae dormiat, conditionaliter dictum accipe, et frigore significanter positum pr. hieme. Nam aliud est *frigidum iacere* aut *frigidas noctes agere* pr. solum cubare cf. MITSCHERL. ad Horat. III, 7, 6. Ceterum non desiderabis, spero, quod HUSCHKIUS proponit partim SLOTHOUVERUM secutus: *Quam*

lapides gemmaeque iuvant, haec frigore sola Dormiat et nulli sit cupienda viro. — V. 42 sqq. Ad sequentia conferes PROPERT. III, 25, 11 sqq. — infecit, canitie tinxit, ut infra II, 2, 20: *dum tarda senectus inducat rugas inficiatque comas.* Addidit praeterea vetus, h. e. senile, consulto similia cumulans in oppositione iuventutis. — Tum studium formae est, tum formae cura auxilium quaeritur, sed frustra. Copula *est* accentum rhetoricum v. *formae* adiuvat, cf. ad I, 1, 34. Nunc haec sententia tribus sequentibus membris explicatur. — coma tum mutatur sqq. Adhibebatur cortex viridis nucis ut flavesceret coma cana. PLIN. XV, 22: *tinguntur cortice earum lanae et rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis.* Rem illustrarunt CYLLENIUS et BROUCKHUSIUS. — Tollere albos a stirpe capillos. Imitatur PROPERTIUS III, 25, 13: *vellere tum cupias albos a stirpe capillos.* Est *a stirpe* pr. funditus. — dempta pelle, rugosa cute, veluti angues exuunt pellem. Et nunc quidem incrustationem panis recordaberis ceteraque medicamina indicata supra ad v. 11. — referre, reducere, restituere. — V. 47 sq. At tu, ait, prudentius age. Pluribus quae sequuntur exponit OVIDIUS Art. Am. III, 59 sqq. — non tardo pede, ut OVID. Art. Am. III, 65. Non est hic prosopopoeia proprie dicenda aetatis, sed nihil nisi metaphorica oratio. De quo discrimine saepe ad PINDARUM monui, cf. ad Nem. IV, p. 395. ad Nem. V, p. 416. Similiter accipe infra I, 10, 34. — illa, bene insertum pronomen ad vigorem orationis, cf. exempla ad I, 2, 60. — V. 49 sqq. puero quae gloria victo est? Confert WUNDERLICHIUS de constructione TACIT. Hist. I, 70: *reputans plus gloriae retenta Italia fore.* Sententiam autem similem vide OVID. Met. III, 654: *quae gloria vestra est, si puerum iuvenes, si multi fallitis unum?* — Mox in veteres senes, addito bene adiectivo ad augendam vim oppositionis, cf. ad I, 1, 62. Ad sententiam GEBHARDUS confert ARISTAENET. I, 18. Alludit vero ad canum istum amatorem poeta, cui dedita erat puella. De usu v. *vetus, vetustas* cf. GIERIG. ad Ovid. Met. XII, 182. SCHWARZ. ad Plin. Paneg. 14. Res nota. — tenero, ut alias etiam absolute ponitur vox, v. c. IUVENAL. XIV, 215. comparante WUNDERLICHIO. Alia verba similiter posita apud HEYNIUM vide. Est autem nunc

consulto praelata vox. — non illi sontica causa est, scil. cur palleat, h. e. non sonticus morbus illi est, qui est vehementior morbus, ut constat, vim graviter nocendi habens. De *causa* Wunderlichius Strothium ad Liv. XXII, 8. laudat. Conf. etiam Gronov. Observatt. III, 14. — luto, pallore. Est *lutum*, herba lutea, nobis *Waude* s. *Gilbkraut*, Francogallis *gaude*, reseda luteola L., quae flavum colorem (*Citronengelb*) gignit siccata. Vide Beckmann. Hist. Invent. (*Beiträge zur Geschichte der Erfindungen*) IV, 1, p. 44. et Vossium ad Virgil. Eclog. IV, p. 207. et Heynium ad hunc Tibulli locum. — corpora, corpus, ut Graeci *σώματα*, *πρόσωπα*, alia, dicunt cum respectu ad partes. Nunc os maxime intelligitur ut infra III, 4, 30. —

V. 53-66. Narrat querelas pueri, etiam sic ut flectat animum Pholoes.

V. 53 sqq. Quodsi hoc loco Vel, quod editi ante Muretum habent, cum Brouckhusio et Huschkio probes, iungas primum *vel absenti*, ut supra 4, 81. iungendum fuit *quam lento*. Esset igitur sensus ex hac ratione: non solum praesens praesenti queritur sed vel absenti. At enim ieiunum hoc; accedit quod Marathus celabat dolorem suum, nec nisi solus ubi esset, eloquebatur. Altera explicatione *vel* sic accipitur, ut cum in re aliqua praecipua usurpatur pr. ex hoc uno satis apparet, hoc unum afferre satis sit, ne dicam de aliis, conf. Brouckhus. ad h. l. et Ruhnkenii Dictata ad Terent. Eunuch. III, 1, 7. Quod Huschkio probatur Sed etiam hoc displicet; neque enim sunt aliae multae causae doloris praeter eam, quod non venit puella, sed haec ipsa res est. Verum est igitur Vae opinor, nec commovebit te Huschkius monens *vae* esse exsecrationis interiectionem, et cum miser etiam de scelesto dicatur, incommodam esse coniunctionem vocum *vae miser*. Dixit igitur etiam Terentius incommode Heautont. II, 3, 9: *vae misero mihi, quanta de spe decidi.* — Porro querelas coniicit absenti est: dicit, mittit. Propert. II, 1, 77: *taliaque illacrumans mutae iace verba favillae.* — Cumulate vero dixit: omnia plena madent, in quo puta *omnia* pr. ora tota dictum. Mutavit vero orationem, notante Wunderlichio pr. et lacrimis omnia opplet; ut faciunt hic illic in secundis, tertiis membris ne diutius continuetur una constructio. Comparat Wunder-

LICHIUS Virgil. Aen. I, 30. 32. SIL. ITAL. II, 543-545. Res saepe obvia. — Quid me spernis, ait. Fallitur VOSSIUS. Non Tibullo haec queritur, quem potius celabat dolorem, nec v. 67. in hac re quidquam probat, sed puellae absenti. Quare aptissimum *spernis* pr. *spernit*, uti restituit LACHMANNUS. — vinci, donis corrumpi, ut observat WUNDERLICHIUS. Sic II, 4, 33: *sed pretium si grande feras, custodia victa est.* Idem bene comparat νικᾶν DEMOSTHEN. de Coron. p. 309. — Ipse deus, Amor, dedit fallere posse, facultatem fallendi, in quo *fallere* absolute positum, observante WUNDERLICHIO hic et ad I, 2, 55. Ad sententiam conf. IV, 6, 12. — cupidis, amantibus, Veneris fruendae cupiditate captis, ut saepe, v. c. infra II, 5, 54. III, 4, 52. — V. 57 sqq. Venus furtiva. Vidimus talia etiam I, 2, 17 sqq. — ut nec dent oscula, ut etiam oscula non dent sonum. — Et possum, mutat constructionem, ne eadem ratio diutius continuetur. — V. 63 sqq. Vel cum promittit, atque etiam cum promittit noctem nec stat promisso, tristem noctem exigo, ut nunquam optatis potiar et omnibus modis a puella ludar. Transiit vero a secunda persona nunc ad tertiam, in quo hic nulla offensio. Est altera pars querelarum. Ut non probari possit hinc, supra *spernit* v. 55. scribendum esse. Ante suam artem commendabat puellae, nunc malitiam puellae describit, ut commode tertiam personam adhibeat. — promittit, absolute ut *negare* et *nolle* dicuntur, cf. ad I, 4, 15. — multis malis, intelligit, ut sequentia docent, aestum, anxietatem, dolorem animi dum sperat, exspectat, venire eam credit quoties sonitum audit, mox vero delusum spe se videt. Sensum bene etiam HEYNIUS perspexerat. Quare non debebat HUSCHKIUS denuo commendare *multis modis*, quod explicat de corporis vario motu huc illuc in lecto iactati, veluti Achilles facit HOM. Il. XXIV, 4-13. Similiter VULPIUS dixerat *multis modis* esse aestu, iactatione corporis, fletu, gemitu, suspiriis, querelis, similibus. Sed ieiuna haec observante VOSSIO. Tibullus quid voluerit, sequens distichon satis docet, ut dixi. — quodcunque movetur, in cuiuslibet rei motu, veluti WUNDERLICHIUS confert CIC. Catil. I, 7: *quidquid increpuerit, Catilinam timeri.*

V. 67 - ad finem. Exitus. Minae.

V. 67. Desistas lacrimare puer. Non fert diutius

querelas pueri poeta, interpellat lamentantem et hortatur ut finem faciat et erigat animum, cum non audiat Pholoe. Quae res ut miseranti poetae suaviter convenit, ita non minus ad puellam commovendam inventa est; nam et discessu pueri futuro terret eam et ad divinae poenae minas transitum hinc sibi parat. — Nec prodest tura dedisse focis. Impiorum sacra deos adspernari, erat veterum opinio, unde Cicer. de Legg. II, 9. dicit laudante Wunderlichio: *Impius ne audeto placare donis iram deorum.* — V. 71 sqq. Hic Marathus. Suavi ironia nunc ipsius Marathi exemplo utitur, qui similiter antea amatores suos et ipsum Tibullum luserat. Notum vero ludere de fastu in amoribus. — ultorem post caput esse. Comparat Vulpius Senec. Hercul. fur. 385: *Sequitur superbos ultor a tergo deus.* Atque ita saepius *a tergo.* Tibullus *post caput* dicens, imaginatur pone sequentem deum ut irruat in caput. De capite confer Soph. Antig. 1272. 1273: ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ θεὸς τότ' ἄρα τότε μέγα βάρος μ' ἔχων ἔπαισεν. — lacrimis, ut Horat. Satir. II, 3, 72: *malis ridentem alienis* dixit. Est igitur exquisitior lectio. Quamquam nescio cur Tibullus pro simplicitate sua non praetulerit usitatiorem accusativum. — ficta detinuisse mora, causatus impedimenta et promittens postea se venturum, non tamen veniens. — opposita, defendit Vossius, cum dicant: obdere foribus pessulum, obserare fores, oppositae fores, clathri obiecti, obiice clausae fores. Ac Propertius IV, 5, 48: *obductam seram* habet laudante Huschkio. *Appositam seram* Heinsius unice probabat hic et apud Ovidium, cf. ad Amorr. III, 14, 10. Sed modo hoc modo illud sensui aptius, et nunc quidem vix negabis *oppositam* magis quadrare. De constructione autem: ianua dura opposita sera cf. I, 1, 3: *labor assiduus vicino hoste.* Ac copula subiecta est auget vim vocis *opposita,* cf. v. 43., quare non debebat a Vossio eiici. — hunc diem, quo monita mea audis et sequi potes.

ELEGIA IX.

INTRODUCTIO.

Qui ut Vossius dubitant Tibullum puerorum amoribus aliquando irretitum fuisse, non legerunt attente hoc carmen, in quo tam graves irae conspicuae sunt tam vivida oratione expressae, ut de fictione totius rei nullo modo cogitari possit, etsi in maius auctam eam concedam. Atqui si huius elegiae argumentum non est fictum, quo iure quartae et octavae veritatem subesse negabimus? Igitur Tibullus captus erat amore pueri cuiusdam, Marathi a se dicti, quem ego etiam in hoc carmine intelligam. Deest quidem nomen, sed cum hoc aliunde notum esset, nunc satis visum in tam gravi obiurgatione suum puerum d cere. Si alius puer fuisset, legeremus opinor nomen, ut moris est in his carminibus. Hic igitur Marathus post tempora elegiae IV. et VIII. muneribus captus seni cuidam pecunioso se dederat, quae quidem pessima perfidia ita excitavit iram Tibulli, ut gravissime nunc in eam invehatur, nec rem habere in posterum cum eo velit. Est igitur argumentum simplex, quippe quod totum *obiurgatione* et *poenae denuntiatione* contineatur, ac quid aliud praeterea potuit in tali re, quam increpare puerum, tum ipsi et corruptori poenas nuntiare meritas? Iuvat vero tractationem considerare rationi et indoli elegiaci carminis, ut mihi quidem videtur, in tali re maxime convenientem. Cernitur haec nunc in eo, quod poeta identidem repetit et resumit illud argumentum, ut solet affectus saepius redire ad idem aliter atque aliter tractandum. Huc igitur dispositio carminis revocanda fuit a nobis, quam nunc proponemus. Affectus in animo dominantes prodeunt, ut par est, statim in exordio. Erumpit igitur statim hic obiurgatio, nunc quidem bre-

vis sed nervosa, periurii, atque etiam ultionem deorum, licet deprecans, praedicit, et iam nunc conspici huiusmodi quid censet si quidem hoc ipso tempore in itinere pedibus comitans amatorem avarum puer molestiis viae laesurus sit corpus tenerum. Hoc exordium est, in quo etiam mutatio affectus placet, a minis ad excusationem pueri et deprecationem poenae pergente poeta, tum ad iram redeunte. Exin in media parte latius et fusius tractatur thema, crescente quasi ira et verbositate affectus inter loquendum, cum exordium lenius fuisset. Exponit igitur nunc primum obiurgatione uberiore omnem iniuriam pueri, qui immemor admonitionis Tibulli, iurisiurandi sui et lacrimarum immemor, immemor denique officiorum Tibulli et carminum dedicatorum, pessime fidem fefellit; deinde obiurgationi subiicit poenae denuntiationem: iubet enim nunc puerum procul abesse in posterum, corruptori vero gravissima mala imprecatur, uxoris perfidiam optans ut experiatur, immo iam nunc hanc perfidiam adesse contendens. Atque haec quidem media pars est. Sequitur denique exitus. Tertium invehitur in puerum obiurgans, et nunc quidem quod decrepitus senex sit foeda podagra affectus, cui se dederit et postposuerit Tibullum, rediensque post obiurgationem etiam ad poenae denuntiationem, cum supra abesse in posterum iusserit puerum, nunc addit tristem poenitentiam ei futuram, ubi se relictum viderit et alium regnare in gremio poetae, qui resolutus fallaci amore palmam dedicabit Veneri pro salute. — Vides dispositionem totam, nec te latuit spero in hac repetita obiurgatione et minatione poenae quam pulchre per gradus procedat crescente affectu explicatio rerum, donec in fine omnia absoluta videas. Nam cum in principio breviter obiurgaverit laesum amorem, mox tribus locis gradatim levitatem, periurii pravitatem, et ingratum animum pueri fuse explicat atque exagitat, ipsum autem factum ab eo admissum in exitu demum clare cognoscimus quale fuerit, decrepito, foedo podagra seni scilicet eum accubuisse, callide poeta ita suspensum tenente lectorem ad finem. Similiter fere poenae denuntiationem tractavit. Divinam quidem ultionem periurii graviorem deprecatur in principio, levioribus contentus, ipse vero in altera parte carminis eam puero poenam imponit ut abesse eum iubeat in posterum, cuius rei tristitiam deinde pluribus explicat in fine; de corruptoris

vero poena in medio tantum carmine dixit. Atque ita patet omnia exhausta esse; satisfactum est affectui et resolutus amore fallaci requiescit animus in cogitatione salutis. Credas hunc finem esse amoris, quem Marathus in Tibullo accenderat, qui deinde ad puellas rediit.

EXPLICATIO.

V. 1-16. **Exordium.** Primo impetu obiurgat puerum de periurio, qui alii amatori se dederat, et licet poenam divinam periurii primum nuntiatam, mox deprecetur maiorem, vel sic tamen iam nunc esse mala ostendit, quae eum premant, denuo ad iram reversus.

V. 1 sqq. si fueras laesurus amores, si propensus eras ad perfidiam. De locutione cf. ad I, 3, 81. — miseros graviter per prolepsin pr. qui nunc miseri facti periurio tuo. Maxime enim dolere poetam, totum carmen ostendit. Vossius et Huschkius *teneros* edit. Vicentinae receperunt; quod exempla desiderabat Wunderlichius, haec quidem monet Bachius non desiderari, ut Ovid. Trist. IV, 10, 1. et alias videas. — Foedera per divos dabas, iurabas per deos. Ovid. Met. II, 757: *contra data foedera*, contra datam fidem, comparante Heynio, qui etiam Drakenb. ad Sil. It. V, 304. laudat. Optime vero posita gravior vox in amatorio affectu. — clam violanda, quae clam violaturus eras. Celaverat aliquamdiu rem puer, nihilominus rescivit Tibullus. — Ah miser, h. e. infelix. Neque enim cum Huschkio perditum, scelestum interpretor; pulchrius alterum. — Poena, sive Furiarum una, cum Poenae vulgo Furiae sint, ut Stat. Theb. V, 59., sive peculiaris dea, ut Valer. Flacc. I, 794. Horat. III, 2, 32., quod hic praeferam, cum Furiae saeviores videantur quam pro hoc loco. Ceterum vide de Poena Vossium ad h. l. Esse autem personam hic intelligendam docet pluralis tacitis pedibus, non probaret singularis: tacito pede, quod mo-

neo propter ea, quae ad I, 8, 48. dicta. Postremo sensus clarus. Magnum cum esset crimen periurium, cf. ad I, 3, 51., dicit: frustra celantur periuria, venit Poena eaque ulciscitur et in lucem profert. Ceterum conf. Iacobs. ad Anthol. Gr. V. II. P. II. p. 345. — V. 5 sq. Parcite, caelestes. Pulchra mobilitate affectus, qualis propria Tibullo, vix locutus de Poena, miseratione tangitur pueri, quem etiamnum amat, et deprecatur poenam divinam. Ac cum omnino graves irae per carmen propositum regnent, etiam propter leges poeseos amatoriae placere debet intelligenti lectori mitior et mollior hic interpositus locus; minus enim probares elegiam totam iratam, nulla suaviore significatione amoris immixta. — Numina laedere vestra, cf. ad I, 3, 79. — V. 7 sqq. Honesta exempla lucri petiti affert, sic excusaturus puerum. Atque ut amat opposita poesis, arationem et navigationem coniungit. — habili, non est levi, quae significatio aliena ab hoc loco, sed idoneo s. quod aptum sit vertendae terrae lucrique parandi consilio. — terrae opus, arationem, et urget est: totis viribus incumbit in id, ut notum, cf. Ovid. Met. IV, 390. Horat. Sat. II, 7, 6. Virg. Aen. IX, 489. — rusticus. Nota subiectum ambobus membris commune in secundo collocatum, ut supra I, 8, 62. Conf. Schmid. ad Hor. Epist. II, 1, 169. De causa collocationis saepe monui. — instabiles, motu incerto, in omnes partes fluctuantes, ut Wunderlichius observat, comparans Ovid. Met. II, 164. Similiter *instabiles cymbae* Virg. Georg. IV, 195., *dubiae rates* Ovid. Art. Am. II, 514. Adiectum est epitheton ad pericula et molestias navigationis significandas, quas non timet mercator lucrum quaerens. — sidera certa, ut ipsum caelum quaestum adiuvare videatur. Intelliguntur vero maxime ursa maior et minor. — V. 11 sq. at deus illa in cinerem munera vertat. Parcite dii puero, supra dixerat, at munera, ob quae fidem laesit iste, nullo modo manere vult, sed ad nihilum verti. Sic paulatim ad iras redit. Ceterum, ut notum, in cinerem, pulverem, aquam ut vertantur, optant veteres quae irrita volunt esse aut deleri. Vide Gebhardum aliosque. Sic Hom. Il. VII, 99: *ἀλλ' ὑμεῖς καὶ πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.* Propert. II, 16, 43. Ovid. Amorr. III, 8, 66. Et hoc quidem loco Tibullus sic evanescere vult munera accepta, ut supra I, 6, 53. cor-

ruptorum opes. — liquidas non otiosum. Diffluant, ait, ut liquida est aqua. Significanter igitur quod iam in nomine per se inest, etiam iuxta posuit peculiari verbo expressum, cf. ad I, 1, 62. — Postremo observabis cum vi repetitum nomen muneribus — munera. — V. 13 sq. Iam mihi persolvet poenas. Redit ad iram. Pedibus comitans in itinere hominem sordide parcum, qui nec curru utitur nec aliis commoditatibus viae, puer turpabit et laedet corpus tenerum, atque ita iam nunc poenas dabit. Recte vero habet *persolvet*, pro quo Vossius et Wunderlichius *persolves* probarunt. Denique avarum fuisse corruptorem pueri Vossius est qui observavit, comparans simul Tillium praetorem apud Horat. Satir. I, 6, 107. Similiter etiam hic noster in rus proficisci voluisse videtur, nec opus ut cum Heynio pro negotiatore eum habeas. — pulvisque. Vides iterum copulam in transitu ad singula, cf. ad I, 5, 11. — urentur sole capilli, flavo crine in fuscum mutato, ait Heynius. Vossius tamen observat asperam fieri comam et rigidam sole et mollitiem evanescere. *Libyco sole perusta coma* Herculis Propertio dicitur IV, 9, 46. Aliud est Horat. Epod. II, 41: *perusta solibus uxor*, quod ad faciei fuscum colorem pertinet.

V. 17-74. Medium carmen. Uberiore obiurgatione exponit omnem iniuriam pueri, tum procul eum iratus abesse iubet, corruptori vero gravissima mala imprecatur.

V. 17-50. videbimus primum *obiurgationem*. Peccasti, ait, immemor admonitionum mearum, immemor iurisiurandi tui, immemor officiorum meorum et carminum tibi dedicatorum. Nempe sunt tres loci. Primum narrat v. 17-30., ut admonuerit saepe puerum, ne auro corrumpi se patiatur. Quod iste *levitate mala* neglexit. Deinde exponit etiam iurasse puerum sanctissimis verbis se nolle violare fidem, v. 31-40. Sic *periurium* accedit. Denique v. 41-50. *ingratum animum* pueri ostendit. De praeclara gradatione horum locorum dixi etiam in Dissert. de Poesi Tibulli cap. II. Nunc explicemus singula. — auro ne pollue formam. Polluitur forma cuius usus et fructus auro venditur. Ceterum comparat Huschkius Aristoph. Nub. 987: *καὶ μὴ παρὰ τοὺς σαυτοῦ γονέας σκαιουργεῖν, ἄλλο τε μηδὲν αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅ, τι τῆς*

Αἰδοῦς μέλλει τἄγαλμ' ἀναπλήσειν. — subesse. Annotat Wunderlichius: Proprie de iis, quae in aliqua re inclusa latent ut non animadvertantur et decipiant, quemadmodum dolus, fraus subest, veluti Tacit. Hist. IV, 16: *subesse fraudem consilio patuit.* Liv. VI, 15. Tacit. Annal. II, 41. — Mox aspera Venus est, idem dicit Wunderlichius, quae malis infelicis amoris punit, difficilis, quae nec precibus nec sacris exorari se sinit ut animum reddat. Ceterum cf. ad I, 2, 29. — V. 21. 22. Malim potius servilia supplicia pati, dicebam, quam periurum te videam. Servi, ut constat, severissimis poenis afficiebantur a dominis crudelibus vel leves ob causas, urebantur admotis facibus aut lamina candente, vulnerabantur ferro, verberabantur flagellis. — intorto verbere, flagello, ut I, 6, 46. — secare de verberibus saepe, ut Horat. Epod. IV, 11. Martial. X, 5, 14. — V. 23 sq. celandi spes sit, diserte defendit Huschkius, nec dubium reiiciendam alteram lectionem: *celanti fas sit*, quam explicant: nec liceat tibi celanti peccare, pro quo potius exspectaveris: nec liceat celare peccanti. — deus hic et in sequentibus Amor est. — V. 25. 26. Ipse deus, ait, vulgo tegens furta amantium, talia tamen periurii peccata permisit ut proderentur. Sed post permisit quid posuerit Tibullus, quaeritur. Legitur *lene* et *leva*, *seva*, *leve*, pro quo Itali *saepe* invexerunt. Lachmannus *nonne* coniicit, sed incommoda interrogatio, cum sequens distichon ea careat. Huschkius cum Statio et Passeratio *lena* defendit, probatum etiam Heynio, quod Vossius certissime alienum esse affirmat; uti puerum servo internuntio in amoribus suis, non lena. Quod tamen Vossio ipsi placet *leva*, h. e. stulte, hoc lingua respuit nec poetae consilium convenit. Equidem cum aliis credo meliorem coniecturam excogitari non posse quam lena. Quidni enim lenae ope amator dives uti potuerit ad corrumpendum puerum? Ac vide commodam oppositionem. Saepe ait factum ut tacente servo, comite heri, lena ebria rem proderet, quas mulieres constat vinosas fuisse maxime, cf. Ovid. Amorr. I, 8, init. Fast. II, 380. Propert. IV, 5, 2. Plaut. Curcul. I, 2. Quod denique collocationem v. *lena* attinet inter *tacito* — *ministro*, confer Wolfium ad Horat. Sat. I, 1, 88., Huschkium hic ad Tibull. et in Wolf. Analect. V. I, 172. et adde nostram annotationem ad

Pindar. T. II. p. 192. 292. 636. Videbimus rem etiam infra II, 3, 14. et III, 4, 49. 6, 3. et 26. Satis frequens hoc genus interpositionis. Atque haec hactenus. — multo mero, sexto casu causam significante, ut Ovid. Trist. III, 5, 48: *lapsaque sunt nimio verba profana mero,* notante Wunderlichio. Add. Propert. II, 34, 22. — V. 29. 30. Dicere poterat: Haec ego dicebam flens et ad genua pueri advolutus; poetica arte invertit. Ceterum claudit hoc disticho antecedentem locum, ut vides. Sequitur nunc nova pars obiurgationis. — V. 31 sqq. divitis auri pondere, ut III, 3, 11. Propert. III, 5, 4: *gemma dives.* Add. infra I, 10, 7. Similiter *opus, munus* dives dicitur. Est quod divitias continet, ut patet, seu pretiosum. *Pondus auri* vero usitatissima etiam prosaicis locutio, ut Livio, Ciceroni, Iustino. Ceterum Aldus ann. 1502. primus edidit: *nullo te divitis auri pondere,* h. e. ne maximo quidem. Lachmannus restituit *nullius* e cod. A., quod non damnaverim. Ut: nullo auro est: ne plurimo quidem, sic *nullius auri pondere* erit: ne copiosissimi quidem auri pondere. Nec opus pronomine *te*, cf. ad I, 3, 27. — gemmis, quibus digitos ornabant. — Campania terra, ut terra Arabia, Hispania, Italia. Africa, vide multa exempla apud Vulpium. Tibullus oppositionis causa adiecit, cum ante de auro et gemmis dixisset, oppositionibus autem nervosior fit oratio. Ceterum fertilitatem Campaniae quis nescit? — Falernus ager, sub monte Massico in Campania, ut constat, ubi vinum post Caecubum pretiosissimum Italiae crescebat. Vide Vossium ad Virg. Georg. II, p. 299. Appositio: Bacchi cura, etiam oppositionis causa placuit poetae, cum antecedens versus de frumento Campaniae agat. — V. 35 sqq. Illis eriperes verbis mihi etc. Talibus iurabas verbis, quibus vel si quid contra oculorum sensum contenderes, credere me cogeres. Verba *eriperes lucere* non bene Forcellinius explicat: extorqueres mihi ut negarem. Sensus manifesto: eriperes mihi opinionem, lucere solem, ut Vulpius vidit. — fulminis vias, ut Senec. Thyest. 358: *Quem non concutiet cadens obliqui via fulminis,* laudantibus interpretibus. — puras, lucidas, usitato epitheto luminis et ignis. Graeci ita *καθαρόν*, ut Pindar. Pyth. VI, 14. ubi conf. annotationem nostram, et *ἁγνόν*, ut ibid. Pyth. I, 21: *ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται παγαί.* — non ego fallere doctus, qui

ipsi a fallendo abhorrent, etiam creduli sunt. — V. 39. 40. *Quid faceres*, qui defendunt, sic interpretantur: Cum ipse amans puellam sic fefelleris fidem, quid faceres si non amares nec metueres idem a puella. Audio, sed non capio. Quid enim faceret amplius quam fecit? Sanctissimum iusiurandum etiam fletu lacrimisque firmatum violavit; quid igitur posset in his rebus gravius committere? Accedit quod non convenit pentametri sententia, quae diversa. Praeterea aliud addo. Cum ad alia venturus sit, requiri videtur clausula quaedam antecedentium. Sit autem post tanti periurii descriptionem nihil aptius quam exclamatio poetae iram exprimens. Est igitur aut *quid facerem* aut *quid faciam* legendum, quarum lectionum haec exquisitior videtur. Quid faciam est poenam agitantis post tantam iniuriam; igitur abreptus ira revera meditatur graves diras, deinde vero subiiciens: *nisi amares*, recordatur adesse quod retineat. Ac si dicam: Qua poena dignus es, nisi tibi alia de causa parcendum esset! quis iure reprehendat hanc constructionem? Iam pergit: Sed nunc unum certe precor, ut eandem a puella perfidiam experiaris. Atque ita defendi mihi posse videtur lectio a LACHMANNO recepta; de altera: *quid facerem, nisi fores in amore*, non est quod dicamus, cum per se clara sit. — V. 42 sqq. Nova pars obiurgationis. Ipse comes lumina tuli, servi ministerio suscepto, cum tu amicam noctu e convivio domum duceres. — venit tibi. De puella e cubiculo obviam veniente amatori, cf. ad I, 6, 59. et II, 1, 76. HUSCHKIUS bene comparat TRABEAE locum ap. Cicer. Tuscul. IV, 31: *Lena delinita argento nutum observabit meum, Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam ianuam: Fores patebunt de improviso, Chrysis ubi me adspexerit, Alacris obviam mihi veniet complexum exoptans meum, Mihi se dedet.* Et PLAUT. Curcul. I, 2, 51. ubi Phaedromus ad fores Phanesium exspectans: *qui me in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet, Palinure.* Clarus igitur sensus v. *venire* in talibus. — insperanti tibi. Stabas ante fores, querelas fundebas, neque tamen apertum iri domum sperabas, ecce puella intus iam aderat. — munere nostro, opera mea et beneficio, obsecuta verbis meis, qui alio tempore rogaveram eam ut te admitteret. De significatione cf. HORAT. IV, 3, 21. OVID. Met. VII, 93. VALER. FLACC.

I, 477. — clausas post fores, intus. VOSSIUS puellam ad amantis aedes venire, ac foribus reseratis intromitti ab insperante statuit. At nemo dixerit, inquit WUNDERLICHIUS, ante fores adstantem *latere post fores*. Idem HEYNIUS monuit, qui veram explicationem loci dudum indicaverat. — adoperta, velato capite, quod male negat WUNDERLICHIUS; nec apud PROPERT. II, 21, 45. adiectum est *caput*, quem locum laudavimus ad I, 3, 30. Venit puella velata e cubiculo et exspectavit amatorem latens intus. Ubi deinde querelas eius audivit, repente necopinanti fores aperuit. Posse *adopertus* pr. absconditus, abditus dici, ut WUNDERLICHIUS interpretatur, non credo. — Tum miser interii, tum interitum mihi ipse paravi, post talia officia qui securus non credebam me a te deceptum iri unquam. — ad laqueos tuos, ad fraudes tuas, qui me sic induxisti. Graeca exempla GEBHARDUS comparat. Et cautus ad vides esse: cautus adversus, cautus ad vitandum. VIRG. Aen. II, 443: *ad tela protecti*. Denique nam refertur ad stulte. — V. 47 sqq. attonita mente, percussus amore. OVID. Art. Am. II, 295: *Sed te, cuicunque est retinendae cura puellae, attonitum forma fac putet esse sua.* Ceterum interierunt haec carmina. — At me nunc pudet. Lectio *et*, si vera, significabit: Atque ita. Cum enim *me* positum ante *nunc* sit, quod pronomen hic non est emphaticum, patet particulam initialem ipsam accentum rhetoricum habere, eique adiuvando subiectam, ut fit, encliticam voculam. Sed nimis debile *et*; probabilius *at me* scripsisse poetam, quod vulgo legitur, licet incerto auctore. Comparandus etiam supr. locus v. 29. 30., ubi manifesto *at* cogitatione supplendum. Ceterum Pieridum pudet, quod donis eorum ad tam indignum puerum laudandum usus est. — Torreat, comburat. OVID. Epist. ex Ponto II, 9, 44: *Quique repertorem torruit arte sua* (Phalaris Perillum). — liquida non otiosum. Aut diluantur, ait, et deleantur aqua. Atque oppositum est *liquida* v. *torreat*. Ceterum igni aut aqua deleri est sors librorum infeliciter natorum. Vide quae PASSERATIUS notavit. — Atque haec quidem *obiurgatio* est. Nunc ad alteram rerum partem pergit, ad *poenarum denuntiationem*, a v. 51-74. —

Ac primum v. 51. 52. vide quam puero poenam decernat: Tu procul hinc absis. Non vult igitur rem habere in posterum

cum turpi puero, renuntiat foedus amoris. Cur Heynius hoc distichon alienum iudicet, cum aliis non intelligo; maxime enim consentaneum etiam puero poenam decerni. Atque agitare poetam discidium etiam in fine videbimus, ubi pluribus explicat rem nunc breviter indicatam. Sed adi Introductionem', ubi poeticam rationem harum rerum docui. — V. 53 sqq. Sequitur corruptoris imprecatio, de qua hoc tene: Vidimus iam saepius in antecedentibus poenas optime accommodatas criminibus, atque hoc etiam nunc factum. Quae enim convenientior poena corruptori pueri, quam ut alius ei similiter uxorem corrumpat? Hinc, adultera, inquit, esto uxor tua nec cedere velit sorori tuae pessimis libidinibus deditae, immo, pergit, iam adest tibi poena haec; constat enim mihi certis signis uxorem tuam iam habere usum furtivum cum alio viro. Haec sententiarum ratio est; ad tractationem quod attinet, in imprecationibus memineris Tibullum etiam turpia non defugere effari, qualia alias non amat castior Musa eius. Sic eleg. V. in imprecatione lenae foeda legisti ab aliis carminibus aliena. Accedit quod in puerum scripta elegia est, quod genus poeseos lascivius. — Rideat inulta, ludat, decipiat impune, te non resciscente. Ad locutionem Wunderlichius confert Terent. Andr. III, 4, 4: *deridere dolis.* — Mox furtivo usu, consuetudine, concubitu. Ovid. Remed. Am. 357. — interposita veste cubet, non admittat amplexus tuos. Est autem *vestis* observante Vossio hic intusium, sive tunica interula feminarum, de qua vide Boettigerum in Sabin. Tom. II. p. 113. Ceterum comparant Vulpius, Heynius, Huschkius Lucian. Dialog. Meretr. XI: *καὶ τέλος διετείχιζες τὸ μεταξὺ ἡμῶν τῷ ἱματίῳ, δεδιὼς μὴ ψαύσαιμί σου.* Addit Heynius Horat. Epod. III, fin.: *extrema sponda cubare*, et Huschkius Propert. II, 15, 6: *interdum tunica duxit operta moram.* — V. 57. externa vestigia sunt alieni viri, ut Lucretia ap. Liv. I, 58. dicit laudantibus interpretibus: *Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo.* Sic v. c. Ovid. Heroid. V, 102: *externo laesus amore*, h. e. adulteri, et Metam. XIV, 380: *Venere externa socialia foedera laedere.* Vide maxime Broukhusium. — pateat aperta, cumulate, in vivida oratione. — cupidis, I, 8, 56. Nunc moechi sunt. — V. 59 sqq. Nec lasciva soror. Imprecatio, ut supra explicui, eo pertinet et pertinere

debet ut uxor corrumpatur; quare quod nunc de sorore dicit, non est imprecatio, sed comparatio sarcastica. Cum enim haec libidinibus pessimis serviret, similem ei vult esse uxorem. Simul discas hinc veram historiam subesse carmini; neque enim haec omnia sic finxerit de nihilo. — Pocula. Erat enim multibiba, vinolenta, ut Damalis ap. Hor. I, 36, 13. — emeruisse, confecisse, veluti Ovid. Amorr. III, 11, 13: *emeritum latus.* Conf. Burmann. ad Antholog. Lat. T. II, p. 509. — Illam, sororem. convivia ducere dum etc. h. e. convivia producere ad ortum Luciferi, et Baccho est: potando. Sed quaeritur quae sit rota Luciferi. Curru vehi Luciferum raro legas, reperias tamen frustra negante Vossio, ut Ovid. Amorr. I, 6, 65. et Carm. in obitum Maecenat. 132., sed vulgo equitem eum finxere veteres, vide Heynium et Wernsdorf. ad Poet. Lat. Min. T. III, p. 509. Hoc loco Vossius rotationem explicat sive circuitum, sed ita *orta* rota dici nequit, uti iam Wunderlichius monuit. Quae vox suadet, ut ad Dousae, Brouckhusii et Vulpii sententiam revertamur, nuper etiam ab Huschkio defensam, qui rotam esse ipsum orbem s. discum planetae censuerunt. Perspicue Lucretius V, 566: *Nec nimio solis maior rota nec minor ardor esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.* Et ibid. 434: *Hic neque tum solis rota cerni lumine largo altivolans poterat neque magni sidera caeli.* Huschkius Aristoph. Thesmophor. 17. comparat, qui ὀφθαλμὸν dicit ἀντίμιμον ἡλίου τροχῷ, et Apollon. Rhod. III, 1229. qui *περίτροχον φέγγος ἠλίου.* Nove Ovid. Met. XV, 192. adeo *dei clypeum* dixit pr. orbe solis. Vossius qui hunc sensum v. *rota* apud Tibullum ieiunum habet, timuisse videtur ne inanis et inutilis sic inferatur circumscriptio. In quo tamen fallitur. Tibullus volvendo moveri Luciferum credebat, quare cum nunc ipsum de motu et ortu eius agatur, bene orbem volubilem planetae memorat. — provocet. Ovid. Met. IV, 629: *dum Lucifer ignes evocet Aurorae, currus Aurora diurnos.* XI, 296: *qui vocat Auroram.* — V. 63 sq. queat, non est optantis, precantis, quemadmodum recte Wunderlichius notavit, sed suspicantis. Illa tua sorore, credo, ait, nulla lascivarum artium peritior. Atque ut *credo*, *opinor*, ἴσως in tali sententia sarcasmum habent, sic hoc loco coniunctivus. — operum varias vices, formas, figuras, modos

operis Venerei, σχήματα τῆς Ἀφροδίτης. Ovid. Art. Am. II, 679. III, 787. Add. Trist. II, 523. Martial. IX, ep. 69. Tibull. infra II, 6, 52. — disposuisse, Ovid. Amorr. III, 7, 64: *quos ego non finxi disposuique modos.* Hoc est quo ordine excipere se debeant. Postremo aut positum est, ut supra I, 4, 48. et Propert. I, 9, 10., in amplificatione eiusdem rei, cum primum indefinitius, tum definitius dicitur. Vide multa exempla disiunctivae particulae, ubi copulativam exspectes, in Heynii editione Virg. mai. a Wagnero curata, T. IV, p. 577. — V. 65 sqq. At tua perdidicit, at tua tamen uxor plane didicit turpes has artes, ut non cedat sorori. — non solita ab arte, insolita arte, cf. I, 5, 4. Sensus: Tu non sentis, cum coram te habitum, gestum, motum corporis ad mollitiem et libidinosam lasciviam componit, quam in rem conf. Horat. III, 6, 21. ibiq. Mitscherl. Tu vero, ait Tibullus, hinc intelligere dudum debebas, eam ceteris quoque omnibus artibus malis esse imbutam. Sic non opus videtur ut de lascivis in maritali amplexu motibus feminae locum cum aliis quibusdam accipiamus. De incessu Ovidius Art. Am. III, 301: *Haec movet arte latus.* — pro te, tibi. — denso dente, pectinis puta dentati, quod elicitur e verbo *pectere.* Nam dens pro compositione varios significatus habet. Porro singularem poeticum *denso dente* pr. densis dentibus et hic illustrat Wunderlichius, et supra I, 3, 28. illustravit. Non est autem otiosum *denso*, ut ipse vides, siquidem raro dente non bene pectitur coma. Nihili vero est quod Bachius epitheton ad materiem pectinis putat referri posse. — V. 69 sq. Ista haec persuadet facies, ironice, ut monuit c. Mureto et Vulpio Heynius. Scilicet, inquit, ista tua deformis et tetra facies persuadet illi, ut armillas aureas gerat et purpura se vestiat. *Ista haec* iunge, veluti Plautus Amphitr. II, 2, 125. dicit: *Scio ista haec facta, proinde ut eloquor.* Notum est *iste* secundam personam significare. Atque *haec* auget vim ironiae. Si contra iungeres: persuadet haec, recte monet Wunderlichius vix abesse posse *ut.* Nunc constructio: *persuadet, vinciat et prodeat,* est qualis apud Sallustium Iugurth. 35: *Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Baestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet quoniam ex stirpe Masinissae sit Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat,*

regnum Numidiae ab senatu petat, laudante Wunderlichio et Huschkio, qui iniuria locum vitii suspectum habet. — auro, Ovid. Heroid. IX, 59: *non puduit fortes auro cohibere lacertos.* — Porro Tyrio sinu quid? Nempe habebat tunica candida mulierum in pectore patagium s. clavum purpureum atque etiam infimam oram obibat purpureus limbus, cf. Boettig. Sabin. T. II. p. 95.-96. Vides igitur Tibullum Tyrium sinum (*purpurnen Faltenschmuck*) dicere pr. tunica purpureo conspicienda sinu. — apta, bene vincta et ornata. Iunge c. *sinu.* — prodeat. Usitatum de mulieribus verbum ut constat, cf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 309. — Devoveat, cuius amore adeo insanit, ut rem familiarem et totam domum tuam eius gratia perdere velit. Iunguntur res et domus saepe quasi ex formula, vid. Bentl. ad Horat. Epist. I, 4, 11. Ruhnken. Dictat. ad Ovid. Heroid. XVII, 159. — vitio, non pravitate animi, ait, sed odio mariti podagrici ac senio decrepiti.

V. 75-ad finem. Exitus. Tertium invehitur in puerum obiurgans, atque etiam de poena iterum dicit, quod supra abesse eum iussit in posterum, huius rei tristitiam nunc pluribus explicans.

V. 75 sqq. accubuit, notus verbi usus, cf. Propert. II, 3, 30. — Venerem iungere. Locutionis exempla sat multa vide ap. Heins. ad Ovid. Remed. Am. 407. — Blanditias meas, mihi debitas, ut mox oscula mea. Sic Horat. III, 7, 11: *ignibus tuis,* ubi cf. Mitscherl. — aliis. Pluralis cum emphasi, veluti tragici Graeci saepe plurali utuntur, cf. Herm. ad Vig. p. 739. Porro puer alter (*ein zweiter*), alius, ubi duo cogitantur. Cf. Schmidium ad Horat. Epist. I, 6, 32. — Mox Et geret in regno regna superba tuo, potest videri cum acumine dictum, ut amat acumen sarcasmus. Tamen simile nihil apud Tibullum reperio, unde probo quod vulgo receptum, *gremio.* Est vero *tuus gremius*, ubi tu regnabas. — Veneri merenti dictum ex formula pr. servatrici, quae bene meruit, ut *merenti* est infra III, 6, 55. Moris autem erat ut qui e periculo aliquo magno servati essent, deo servatori tabellam suspenderent in pariete templi cum inscriptione, interdum etiam pictura, rem indicante, cf. supra I, 3, 28. Nunc compara Horatium I, 5, fin. — aurea palma,

h. e. parma, clypeolus. Scribitur vero hic in libris constanter *palma*, forma rariore, etiam ap. Propertium aliquoties in codicibus obvia. Hoc loco Vossius consulto eam suspicatur praelatam, veluti apud nos differant *das Schild* et *der Schild.* — fallaci amore, in quo perfidiam pueri expertus sum tantam. — grata sis mente, sis mihi memor honoris habiti propitiamque te praestes in posterum.

ELEGIA X.

INTRODUCTIO.

Elegiam propositam ante primam huius libri scriptam esse dubitari nequit. Poeta ad bellum trahitur; militaverat autem ante illius elegiae tempus, ut illic vidimus. Ignorat etiam Deliam hic, de qua nullum verbum legitur, immo ut e v. 43. patet, vult uxorem ducere post reditum e bello, et liberos suscipere in otio rustico, et inter suos consenescere placide; de alio genere amoris nihil legas. Quae cum ita sint, maximopere laudamus Passovii acumen, qui egregie perspexit tum scriptum hoc carmen, cum primum ad stipendia equestria merenda domo avocaretur in militiam Tibullus adolescens. Nam adolescentem in eo loqui patet Lares et focum avitum, ubi educatus erat, nunc primum cum terris longinquis mutaturum. Vide Passovii Commentationem academicam *De ordine temporum, quo primi libri elegias scripsit Tibullus, Vratislav. ann.* 1831. pag. 13 sqq. Posuimus igitur in Vita Tibulli tempus elegiae circ. ann. 712. a. u. c. Est omnium, quas habemus a Tibullo, prima. Vulgo de Aquitanico bello cogi-

tant, ad quod tum profecturus fuerit poeta; sed hoc nunc refutatione uberiore non eget, postquam repertum quod sine controversia verum.

Accedamus nunc propius ad carmen ipsum, quod egregium est, licet ab adolescente scriptum. Nam ingenia vere poetica iam in adolescentia produnt qualia sint, nec dubito formam et rationem carminis iam tum ita compositam ut habemus, etsi postea, cum totus liber primus ederetur, dictio hic illic limari potuit. Vehementer igitur errarunt, qui librum tertium adolescentiae poetae tribuerunt, quasi tunc tam imperfecta et sui dissimilia facere potuerit. Confer quae alio loco disputavi de primo Hymno Pindari, et adde carm. Pyth. X., quod viginti annos natus scripsit Thebanus poeta; ne alia nunc plura in hanc rem disputem. In viam redeo; videamus argumentum. Relicturus Tibullus domum et rusticam vitam a puero sibi caram, effundit statim in principio dolorem, quo commovetur: detestatur enses et bella et bellorum causam avaritiam, laudat contra simplicitatem et securitatem priscae aetatis cum nondum ferro dimicaretur, et queritur nunc ad bella se trahi et obiici hostium telis. Inde vero se convertit ad Lares avitos praedii et preces facit identidem pro salute sua, ut se servent in bellis incolumem, vovetque iis porcum pro reditu ad morem priscum, ut olim contenti fuerint simplicitate sacrorum, quam suaviter describit, militiae vero gloriam aliis relinquere se dicit. Iamque magno cum affectu reversus ad detestationem belli, graviter tristitiam mortis depingit et inferorum locorum, quae tamen praemature arcessantur fata ab hominibus stulto furore. Quanto felicior, pergit, is est, cui domi consenescere licet inter suos in rusticae vitae securitate et simplicitate praeclara; sic ego sim! Transit hinc ad Pacis laudem egregiam, in qua etiam exitus carminis inest: praedicat debitas copias rurales Paci et gaudia iucunda, detestatur denuo bellicam ferociam, et vocat contra almam deam, ut veniat abundantiae signis ornata. Ita poeta. Consideremus nunc compositionem. Est autem manifesto primarius affectus carminis dolor ob discessum a praedio avito, a consuetudine vitae rusticae carissima, quem consolari conatur spe reditus, et redeunt omnia eo, ut prae militia et bello laudetur felicitas idealis rusticae vitae in pace actae. Dividitur vero totum ita, ut in exordio

querela regnet, in medio carmine precatio Larium sit pro reditu, in exitu denique pacis descriptio suavis habeatur, ad quam reverti cupit. Quo ordine et progressu rerum quid aptius? Quid enim magis consentaneum quam querelae succedere precationem pro reditu, requiescere autem animum postremo in pacis cogitatione et bonorum, quae reducem e bello ut exspectent, optat? Non potest fingi pulchrior rerum unitas. Sed habet hoc carmen etiam alias memorabiles virtutes tractationis. Est argumentum totum simul ita adornatum, ut compositione oppositarum rerum constet. Queritur poeta in exordio, ut narravimus, interiisse simplicitatem et securitatem priscae aetatis vitio auri divitis; vide igitur quam suaviter mox inter preces ad Lares huius simplicitatis antiquae imago redeat: stant paupere cultu in atrio Tibulli ut olim, et quibus olim contenti erant sacris, his etiam in posterum eos sperat fore contentos. Sed non minus superest similitudo priscae simplicitatis et felicitatis omnino in universa vita rustica hodierna, in rusticis moribus, festis, voluptatibus: Paterfamilias ipse oves suas sectatur et filius agnos, uxor vero fesso balneum parat; etiam festa rustica cum simplicitate licentiam hilaritatis antiquam servant, calentque certamina Veneris agresti petulantia. Sic per totum carmen aliis atque aliis coloribus felicitas simplicioris vitae depingitur. Similiter vero belli detestatio non solum in principio est, sed repetitur identidem etiam in sequentibus. Vides igitur quid dicam: regnat per omnes partes carminis oppositio belli et rusticae vitae felicioris, et exsistit magna et eximia vis hac perpetua oppositione a principio ad finem redeunte, quemadmodum in antecedenti carmine simile genus tractationis vidimus. Sed hic accedit alia lex compositionis, quam interpositionem appello; nam dividitur ubique alterutra oppositarum rerum in duos locos, quibus interponitur altera. Atque exordium orditur a detestatione belli et redit ad eam, interposita vero est laus simplicitatis et securitatis priscae. Praevalet in exordio, ut par est, querela. Medium carmen explicatius tractare debet ambas res, ut ubique medio carmini disertior explicatio argumenti propria; et hoc nunc fit dum invocantur Lares. Sed fit inverso ordine, quandoquidem nunc felicitas et simplicitas rustica primo et tertio loco laudatur (v. 16-24. et v. 39-44), interponitur vero detestatio belli (v. 29-38).

Restat ut de exitu dicam. Ut exordium fere totum in querela est, sic exitus fere totus in laeta pacis descriptione versatur, belli detestatione redeunte quidem etiam hic in medio, sed nunc quidem brevissime; nam desinit nunc querela et praevalet hilarium rerum cogitatio. Atque ita descriptam habes totam rationem suavissimi carminis.

EXPLICATIO.

V. 1-14. Exordium. Militatum abiturus detestatur enses et bella et bellorum causam avaritiam, praedicat contra simplicitatem et securitatem priscae aetatis, revertitur denique ad detestationem belli et instantis militiae pericula conqueritur.

V. 1 sq. protulit, invenit, veluti Horat. Epist. II, 3, 56. Propert. II, 6, 31. Vide plura apud Brouckhusium et Vulpium. — Ad sequentia Brouckhusius confert Cic. ad Qu. fratr. I, 3: *quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo.* Est igitur proverbialis quidam usus in his, Tibullus autem auxit vim dictionis addita v. vere. — Ad v. 3. 4. cf. supra I, 3, 47 sqq. — V. 5 sq. At nihil ille miser meruit. De figura mutatae sententiae diserte explicuimus in Dissertatione de Poesi Tibulli c. II. Pro *At* libri quidem meliores *An* praebent, quod restituit Lachmannus. Sed ieiuna exsistit sententia nec scribere ita Tibullus potuit. Denique *miser* est infelix, qui perniciosam rem invenit nullo malo consilio. — in saevas feras. Eundem usum Pythagoras statuit primum fuisse ferri apud Ovid. Met. XV, 106. Heynius comparat Rutil. I, 365: *Saecula Semideum ferrati nescia Martis ferro crudeles sustinuere feras.* — Denique dedit scil. hominibus, s. invenit. — V. 7 sq. Divitis, cf. ad I, 9, 31. — Faginus scyphus. Frequens mentio talium poculorum, ut laudante Brouckhusio et Vulpio Ovid. Met. VIII, 669. Fast. V, 522. Virg. Eclog. III, 36. Sil. It. VII, 188. Valer. Max.

IV, 3, 5. Secundum PLIN. XVI, 38. olim etiam in sacra supellectile erant; atque hoc spectat Tibullus. Cum, ait, etiam in re divina adhiberentur fagina popula. — adstabat (*dastehn*); VIRG. Aen. II, 328: *equus mediis in moenibus adstans.* Vide plura hic a WUNDERLICHIO notata et imprimis a LACHMANNO ad Propert. IV, 11, p. 398. — V. 9 sq. erat. Sequitur verbum proximi nominis numerum ut I, 2, 80. ex more poetarum. At ubi statim duo obversantur animo nomina, pluralis requiritur, ut II, 4, 40. *eripiant.* — Mox Securus, non timens hostes. — varias inter oves, albas puta cum VULPIO, et nigras et maculosas. Priscae hoc simplicitatis, monente VOSSIO, cum postea maxime candidae oves probarentur, atque etiam ubi alii haberentur colores, illud caveretur diligenter, ne uno in grege diversi colores essent. Vide VOSSIUM ad hunc locum et ad Virg. Georg. III, p. 629. Sunt igitur *variae* dictae nunc recte et usui verbi convenienter. Nec rem dices non apte memoratam, id ipsum hic agente poeta, ut simplices mores prisci temporis depingat. — dux gregis, vulgo aries, nunc pastor ut in Culice 173., vide locos apud HEYNIUM, quibus HUSCHKIUS addit APOLLON. RHOD. I, 575. Neque enim semper sequitur pastor oves, sed eas etiam ducit. — V. 11 sqq. Tunc mihi vita foret, sunt verba optantis, pr. si mihi tunc vita fuisset, aut: utinam, veluti OVID. Heroid. X, 133: *Di facerent, ut me summa de puppe videres! Movisset vultus moesta figura tuos.* Amorr. II, 16, 15: *Solliciti iaceant terraque premantur iniqua, in longas orbem qui secuere vias; aut iuvenum comites iussissent ire puellas, si fuit in longas terra secanda vias,* pr. utinam facerent, utinam iussissent. Porro dixit *foret* in re praeterita; nam etiam ubi praeteritum tempus cogito, dicere licet: O si in illo potius tempore vita mea haberetur! quod est directiore significatione voti uti, optare intentius, calidius, et minus hypothetice. Dixi de usu Tibulli in Dissertatione de Elocutione eius. — vulgi tristia arma recte explicare videtur VOSSIUS. Sunt cultri, secures, fasces, enses et quidquid saevi instrumenti vulgus in odiis et dissidiis arripit ad vulnera et caedes. Contra tuba militum proelia significat. Porro ista vulgi arma videt, audit vero tubam ad proelia vocantem, quare cum nunc etiam verba sibi opposita sint, recte potuit au-

dissem in principio secundi membri collocari, cf. ad I, 2, 18. In priore autem *vulgi* praeposuit, milites mente opponens, atque acuitur oppositionis vis postposita particula nec, veluti VIRG. Eclog. X, 16. Valet idem ubi aliae particulae praepositivae postponuntur. Vides post haec omnia vehementer eos errare, qui ut BACHIUS v. *vulgus* de militibus gregariis accipiunt. — corde micante, tremente, palpitante, cf. OVID. Art. Am. III, 722. Imprimis vero observa iterum, ut addat quod augeat secundi membri vim. — Mox trahor, producta syllaba finali in caesura, veluti *ingreditur* VIRG. Georg. III, 76. *amŏr* Aen. XI, 323., *pater* ibid. 469. Res apud VIRGILIUM, OVIDIUM, alios non rara. Confer omnino WEICHERTUM doctissimum in Epistol. crit. pag. 73. et SCHNEIDERUM in Gr. Lat. Tom. II, p. 745 sqq. — in latere, noluit *pectore* dicere; nam latus petebant fere pugnantes, cum anteriora scutum tegeret. Vide BROUCKHUSIUM.

V. 15-44. Medium carmen. Preces ad Lares pro reditu. Dum invocantur Lares proponitur nova priscae simplicitatis descriptio, tum repetita invocatione belli sequitur et mortis praematurae Orcique detestatio gravissima, postremo laudatur rusticae vitae felix securitas in simplicitate praeclara, redeunte poeta in tertio loco ad primum, alio licet modo.

V. 15 sqq. aluistis. Stabant signa Larium ex more in foco inclusa larario; in eorum tutela adoleverat puer. — Cursarem ante pedes, ut infra II, 2, 22. de Genio s. Natali inter Lares stante: *ludat et ante tuos turba novella pedes.* — Mox prisco e stipite. Erant signa Larium omnino e ligno aut lapide aut metallo facta. — V. 19 sqq. melius tenuere fidem scil. homines, et meliores, moratiores magisque pii erant, ut WUNDERLICHIUS cum VOSSIO monet. Res ipsa docet non posse *dii* suppleri, ut cum CYLLENIO HEYNIUS facit. Confer potius I, 3, 35. — paupere cultu, non factus ex pretiosa materia neque auro ornatus, ut cum HEYNIO loquar. deus autem est Lar, ut patet ex sequentibus: *Hic placatus erat* etc. quae manifesto Lares spectant. Ceterum de constructione: *paupere cultu stare*, cf. IV, 2, 11: *Tyria procedere palla*, PROPERT. I, 2, 1: *ornato proce-*

dere capillo. — Porro exigua in aede h. e. in atrio parvo, cum nondum tam magnae et magnificae domus essent. Singularem pr. tota domo contra usum non accipio, neque opus hoc perfugio. Est *aedes* pars domus, conclave omne, quare nihil obstat quo minus de atrio cogites, ubi stabant Lares. Ac similiter HORAT. I, 30, 4: *Glycerae decoram aedem* de atrio accipio. — V. 21 sqq. Vides simplicitatem pulchram priscae aetatis. Laudavit STATIUS Sophoclis versus e Polyido ap. PORPHYR. de Abstinent. libr. II. cf. SOPHOCL. Fragment. Brunck. p. 440. Discis autem hic Laribus ruralibus, qui messes et bona vina dabant, ut cum poeta loquar, I, 1, 24., facta messe et vindemia uvam libatam et coronam spiceam impositam capiti. Haec quidem stata festorum sacra. — Atque. Pergit nunc ad peculiaria et maiora. Unde etiam constructio mutata. Atque in graviori causa, dicit, ubi quis votum fecerat eoque potitus paullo maius sacrificium offerre debebat, liba et mel dabant. Attendes igitur ad verba voti compos in principio posita, quia iis oppositio nititur huius et antecedentis distichi. Veram rationem etiam WUNDERLICHIUS viderat. Conferes verba: *resoluta comas*, cf. I, 3, 31. — Mox ipse adiectum vides propter oppositionem filiae in pentametro. Sine ea alienum esset pronomen, cum etiam uvam et serta ipse ferret Lari pater, ut patet. — filia parva favum. Conferunt OVID. Fast. II, 651. in Terminalibus: *inde ubi ter fruges medios immisit in ignes, porrigit incisos filia parva favos.* — Denique purum ad ornatum, ut mel purum. — V. 25. 26. aerata, saeva, perniciosa. Sunt hastae, iacula cuspide aerea. Quod VOSSIUS de Aquitanis cogitat, apud quos aes fodiebatur, alienum est ab hoc loco. Videamus cetera. Disces vero nunc cur antecedens distichon addiderit. Nempe votum et ipse facit. Est autem Tibulli votum pro reditu felici e bello, in qua re HUSCHKIUS egregie monet antiquo ritu porcum voveri et immolari solitum sive Laribus sive aliis diis. Sic ap. THEOCRITUM XXIV, 97. Tiresias Alcmenae praescribit: *Ζηνὶ δ᾽ ἐπιῤῥέξαι καθυπερτέρῳ ἄρσενα χοῖρον, δυςμενέων αἰεὶ καθυπέρτεροι ὡς τελέθοιτε.* L. POMPONIUS ap. Gellium XVI, 6. et Macrobium Saturn. VI, 9: *Mars, tibi voveo facturum, si rediero, bidente verre.* Iam vide nexum orationis: Ego vero, inquit, cum e bello servari cupiam, porcum voveo,

sequens et ipse in hoc priscorum rituum rationem. — Hostia. Vulgo hostia mactatur placandis diis, ut constat, cum supplicatur, victima autem ad gratias referendas post res bene gestas. Peculiari sensu hostia dicta videtur, quam immolabant aut vovebant ut hostes arcerentur. Ovid. Fast. I, 336: *Hostibus a motis hostia nomen habet.* Festus: *Hostia sacrificium quod Laribus immolatur, quod ab illis hostes arceri putabant.* Unde *hostilii* Lares dicti eodem Festo teste. De iisdem Propertius loquitur III, 3, 11: *Hannibalemque Lares Romana sede fugantes.* Atque huc nunc respexit etiam Tibullus, Vossio quoque iudice. — mystica. Dubitari quidem non posse videtur Larium sacra similitudinis aliquid habuisse cum Cereris cultu (confer quae notat Müllerus de Etruscis T. II. p. 94. 102.), sed tamen hic alienum iudico epitheton *mystica* meliorum codicum cum Heynio aliisque, et verum habeo *rustica*, quod confundi in codicibus cum illo monuit Heynius. Promittit Tibullus rusticum porcum ex copiis ruris. Sed obscuriora sunt hic alia. Lectio codicum: Hostiaque e plena, cum verbo carere videatur, Puccius emendavit: *hostia erit plena* etc. quod vulgo receptum. At enim est sic intolerabilis ablativus *plena hara* pr. e plena hara, veluti alias dicitur, Ovid. Amorr. III, 13, 14: *et minor ex humili victima porcus hara*, aut Virg. Eclog. I, 7: *illius aram saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.* Nec Klindworth. verum vidit *porcus plena hara* explicans p. quae est in plena hara; nam et durissima est haec constructio, non confirmata exemplo multo leniore ap. Sil. Ital. XI, 1 sqq.: *Nunc age quos clades insignis Iapyge campo Verterit ad Libyam populos Sarranaque castra Expediam*, nec convenit huic loco, ubi praepositio *e*, *ex* requiritur. Ne multa; teneri debet antiqua lectio et iungi haud dubie sic: *At nobis aerata, Lares, depellite tela, hostiaque* scil. depellat ea *porcus e plena hara*, quam his verbis voveo vobis ad arcendos hostium ictus. In qua constructione ne clames magnam duritiam inesse; significanter credo ita dixit propter notionem hostiae propriam. Ceterum conf. II, 4, 29. Sic omnia clara; simul nunc iterum vides displicere v. *mystica*, siquidem quod porco eam vim tribuit Tibullus, in eo popularem opinionem sequitur, nec de mysticis rationibus cogitat, nec dicere vult se mysticas rationes in ea re sequi. — V. 27 sqq.

pura cum veste, qualis esse debebat sacrificantium, recens lota, sine maculis, et si hoc quoque addendum est, non funesta, neque fulgurata nec polluta ex homine mortuo, cf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 683. XII, 169. — myrto vincta, redimita. Erat myrtus sacra Laribus, cf. Horat. III, 23, 16. ibiq. interprett. — canistra, in quibus tura, liba, far pium. — Sic placeam vobis, pacificis moribus, sacra vestra pie colens ad ritum priscum rusticae vitae, et his similibusque rebus vacans. — Sternat adversos duces, h. e. egregias res gerat et maximam gloriam reportet opimis spoliis captis. — in mensa pingere castra mero, cf. Ovid. Heroid. I, 31: *Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa, pingit et exiguo Pergama tota mero.* — Denique Miles addit post Ut, quemadmodum saepe fit in poesi suaviter et nervose, ut in secundo membro ponatur nomen iam in priori intelligendum. — V. 33 sqq. Poeta post antecedentia crescente affectu ad ampliorem et graviorem belli detestationem pergit. — Quis furor. Solemnis formula in re stulta, ut Ovid. Met. VI, 170. Amorr. III, 14, 7. Art. Am. III, 172. Adde infra IV, 3, 7. — bellis arcessere mortem. Lucan. VII, 252: *Nil opus est votis, iam fatum arcessite ferro.* Non videtur autem persona hic esse mors, sed quae sequuntur: tacito pede, metaphorice dicta sunt pr. tacite, cf. ad I, 8, 48. — Porro tacito clam venit pede, cumulate, usu creberrimo, cf. ad I, 5, 65. Atque praesens locutio saepe obvia, ut Ovid. Art. Am. III, 712. — illa cum vi, ut ὅγε in Graecis. Vossius male *ipsa* intulit. Illa quidem, ait, etiam ultro venit antequam exspectes. — V. 35 sq. Non seges est infra, non vinea culta. Nam has duas res composuit iam ante v. 21. 22. et componet iterum mox v. 45 sqq.; inferorum autem locorum descriptio opponitur vitae rusticae suavitati. De Elysii felicitate pro huius carminis ratione tacet, nonnisi tristem Orci imaginem exhibiturus. Tamen per totum locum etiam illud recordaberis, adolescentem loqui, cui nihil tristius morte. — audax Cerberus, protervus, ferox. — Mox *navita puppis* est antiqua lectio, sed ut potuerit per linguam ita dici, non est tamen probabile a Tibullo hoc scriptum, quia graviorem vocem sententia postulat. Nunc navita turpis, quam emendationem etiam Huschkius cum aliis probat, est: squa-

lidus. Confert Heynius Virg. Aen. VI, 299: *horribili squalore Charon*, Wunderlichius autem et Huschkius *tetrum porthmea* Iuv. III, 265. Aliis in locis *trux* audit et *torvus*, cf. Propert. III, 18, 24. Stat. Silv. II, 1, 186. — V. 37 sq. Illic. Usitatissima cumulatione ad locum aliquem designandum adverbium pronominis demonstrativi componitur cum substantivo sic, ut hoc in appositione sit et pro explicatione pleniore pronominis. Sic Hom. Odyss. II, 317: *αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ*. Plat. Phaedr. p. 229: *ἐνθένδε ἀπὸ τοῦ Ἰλίσσου*. Similiter *αὐτόθι ἐν Μολοσσοῖς*, *αὐτοῦ ἐπὶ τῶν κλιμάκων*, alia, cf. Bähr. ad Plutarch. Pyrrh. c. 1. p. 144. Weiske de Pleonasmo p. 144. Iacob. ad Lucian. Toxar. p. 77. Bornemann. ad Xenoph. Conviv. VIII, 4, p. 186. Idem genus dicendi apud Latinos invenias, ut Propert. I, 19, 7: *illic — caecis locis*. Atque Huschkius etiam hunc Tibulli locum ita explicat. Sed aliena tota res a proposito versu. Sensus enim: in Orco errat pallida turba per tristes regiones h. e. ad obscuros lacus, ubi nec seges nec vinea, quare nulla hic est appositionis structura. Porro male Vossius verba: Errat ad lacus de umbris nondum transvectis capit, quae petant lacus ut transvehantur. Immo in Orco sunt, ut par est, et de Orci regionibus iniucundis agitur. Introitum prius distichon depinxit. Est igitur *errat*, ut vagari, discurrere, *ἀλᾶσθαι*, de umbris in Orco, cf. ad IV, 1, 68. — percussisque genis, corrupta lectio, pro qua Cuiacianus recentior non melius *perscissisque*. Quod Brouckhusius, Heynius, alii intulerunt *exesisque genis* ex emendatione Heinsii est audaciore, licet consilio loci accommodatissima, pr. excavatis, absumta carne per ignem rogi. Ovid. in Ibid. 145: *tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum, insequar et vultus ossea forma tuos*. Similiter est *usto capillo*, adusto ex igne rogi dictum. Credebantur enim a multis tali fere specie umbrae descendere in Orcum, quali moribundae fuissent aut in rogo. Sic Deiphobus *lacer* erat Virg. Aen. VI, 495. Adde aliud exemplum Ovid. Met. XI, 655 sqq. Propertius autem IV, 7, 7 sqq. de Cynthia mortua, dormienti quae apparuerat: *Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos, Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit, Et solitum digito beryllon adederat ignis, Summaque Lethaeus triverat ora liquor*. Vide de hac re praeter Heinsii Adv. IV, 1. etiam

Brouckhus. infra ad II, 7, 21 (6, 39), Meursium ad Lycophr. p. 306. Drakenb. ad Sil. It. XII, 545. Aliter Klindworth. explicat *exesis* de eorum genis, qui lenta morte absumpti ad maciem redacti sunt, comparans Stat. Silv. II, 1, 154. Sil. It. II, 466; sed Tibullus non de uno quodam genere mortuorum loquitur, sed de omnibus generatim. Atque haec quidem de his. Huschkius quod in libris est, *percussis*, tenet, sic explicans ut suppleat *timore;* esse genas pavore informes. Sed non probavit absolute sic poni posse *percussus;* accedit quod pallida praeterea dicitur turba et quod hic talis notio requiritur, quae sequentibus usto capillo conformis sit. Vossius et Bachius *perculsis* receperunt, ille attonitas metu mortis intelligens genas, hic rogi flammis perturbatas, sed neuter dicendi usum probavit. Post haec quid vere scripserit Tibullus, vides dici non posse; illud autem certum habeo turpatas, deformes, absumptas igne genas ab eo hic cogitatas; nam hoc solum nexui convenit. Nam talem hic opinionem sequitur Tibullus, tristem mortuorum conditionem data opera depingens. Quare nullius momenti sunt quae Vossius opponit apud alios umbras aliter describi, quem vero locum ex Quintilian. Declamat. X, p. 140. affert, ibi vides mortuum, qui *totam reliquerat mortem.* Descriptio iam ab Heinsio collata ceteroquin illustrat bene Tibullum. — V. 39 sqq. Redit ad oppositum. Quam potius laudandus hic est. Dicas: prudentior hic, qui procul a periculis belli otio fruitur in eoque consenescit. Sed verte potius: felix praedicandus est, de qua significatione vide interprett. ad Horat. Sat. I, 1, 3. — Occupat senecta, cf. Horat. Epist. I, 20, 18. ubi vide Schmidium. Est: obrepit sensim, non intellecta, nunc quidem, dum feliciter vivitur. Porro cum pigra senectus opponatur morti praematurae in iuventute, vides non otiari epitheton pigra, licet vulgo perpetuum sit senectutis; saepe enim notamus in oppositionibus intendi, acui, augeri solere vim nominis epithetis huiusmodi additis. — Mox filius agnos (sectatur), quippe qui separatim solerent a pueris pasci, cf. Vossium hic et ad Virgil. Eclog. II, 30. Spohnius ad Eclog. V, 12. ap. Wagnerum in Heyn. edit. mai. laudat commode Eurip. Cyclop. v. 27: *παῖδες μὲν οὖν μοι κλιτύων ἐν ἐσχάτοις νέμουσι μῆλα νέα νέοι πεφυκότες.* — calidam comparat uxor aquam, ad balneum. Horat. Epod. II, 42:

sacrum vetustis exstruat lignis focum lassi sub adventum viri, laudante Heynio cum Vulpio. Addit Huschkius Homer. Il. XXII, 442. — V. 43. Sic ego sim. Vides Deliam a poeta nondum visam. Cupit redux e bello uxorem ducere, cum ea ruri vivere et prole parata consenescere feliciter. — liceat caput candescere canis, liceat pervenire ad senectutem. Similis locutio est Propert. II, 18, 5: *canis candescere annis.* — Denique ad v. 44. confer dicta ad III, 5, 26.

V. 45-ad finem. Exitus. Laus Pacis.

Conferre iuvabit Fragmentum eximium Bacchylidis ex paeane ap. Stob. vide Brunck. Analect. T. I, p. 150. Nevii Fragm. Bacchyl. p. 19. Adde praeterea Ovid. Fast. I, 697 sqq. IV, 407. 408. et 726 sqq. Tibullus quae dicit, huius carminis rationi accommodata sunt optime. Postquam enim in antecedentibus transierat a belli detestatione ad rusticae vitae felicitatem praedicandam, nunc quasi coronam imponens huic descriptioni, Pacis laude carmen claudit. Pax est, inquit, cui vitae rusticae copiae et gaudia debentur. Haec arationem docuit et vitium culturam; in pace festorum rusticorum viget hilaritas et Veneris bella calent. In quo suavissime etiam Veneris bella memorat, oppositionem praeclaram bellicis proeliis exhibens. Simul autem inde viam sibi parat ad tertiam et ultimam detestationem Martis, quae cum per omnes partes carminis redire debeat secundum legem compositionis explicatam, debuit esse huiusmodi quid etiam in exitu. Veneris bella rixaeque non vere repugnant Paci, sed iucundam variationem inferunt tranquillitati vitae quotidianae, at ferocia Martia repugnat et vere contraria est Paci. Hanc igitur damnat. Sed nunc quidem breviter loquitur, ut par est. Tum redit ad invocationem Pacis et absolvit carmen. Videamus nunc singula. —

V. 45 sqq. Interea, dum ita agam vitam rusticam. Male Vossius: dum absens ero in bello. — sub iuga panda. Adiectivum Ovidio maxime in deliciis esse ostendit Heinsius ad Art. Am. I, 318. *Curva*, quod pro eo in aliis est, nunc ex emendatione videri potest natum. Ceterum non otiosum est epitheton: Pax domuit boves, ait, ad arationem. Atque haec sententia ostendit porro etiam araturos melius esse quam *aratores.* — succos condidit uvae, docuit reponere et servare in cadis et testis;

nam ut bellum deripit et vastat, pax contra colligit et servat ad usus futuros. — testa paterna. Vina nobiliora, quae diu servare volebant, vasis fictilibus condebant et corticem cera vel pice oblinebant, notabant etiam nomen consulis. Ad totum locum conf. Ovid. Art. Am. II, 695: *Mihi fundat avitum consulibus priscis condita testa merum.* Est igitur hic sensus: ut vinum vetustum et forte haberetur, quod posset laetius exhilarare animos. Attende vero ad pulchram tractationem poetae. Locutus est et loqui debuit de aratione et de vino, plus tamen de hoc dixit quam de illa, suaviter scilicet praeparans sequentem locum de festis ruralibus, rustico male sobrio Venerisque tum nascentibus rixis. — V. 49 sq. Pace bidens vomerque vigent, exercentur, in usu sunt. Ovid. Fast. V, 279: *cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant,* comparante Vossio, qui bene defendit vulgatum. Cum enim in Excerptis Scaligeri sit *nitet*, Gyetus emendavit *nitent*, quod Brouckhusio placuit et Vulpio nec Huschkio improbatur, veluti Ovid. Fast. IV, 927. dicat: *Sarcula nunc durusque bidens et vomer aduncus, ruris opes, niteant, inquinet arma situs,* atque etiam alias saepe nitor et situs s. rubigo opponantur. Sed bene observat Vossius *situm in tenebris* esse inertiam armorum, quae ignava iaceant in remota parte domus et neglecta, velut Virg. Aen. VII, 440: *victa situ senectus* est de inertia. Atque huic inertiae opponitur usus vigens rusticorum instrumentorum, e quibus *bidens*, ut hoc addam, ad vineas pertinet. Quaeras porro quid sit quod poeta, iam ante de aratione et vitium cultura locutus, nunc iterum de iis dicere videatur. Nempe transire vult ad aliam rerum partem, et propter hunc transitum verbo repetit antecedentium summam, ut factum I, 1, 63. Est igitur nexus: Pace tristia militis arma ignava iacent, at vigent rustica negotia, viget festorum rusticorum hilaritas. Denique notabis bene nunc etiam tempora mutata. Ante praeteritis temporibus usus est, ostendens ut olim Pax rudem vitam hominum mutaverit cultura terrae et copiis ruralibus monstratis; sed debemus Paci etiam nunc haec dona et alia, unde iam in continuatione descriptionis ad praesens tempus pergit. — V. 51 sq. Rusticus e lucoque vehit. De nexu cum antecedentibus modo dictum, supplebis igitur *pace.* Ceterum *que*, Vossio hic quod displicuit, ni-

hil offensionis habet. Iungit haec particula, ut passim Graecum τέ, non solum unius commatis partes, sed etiam duo commata, omnino duo membra orationis maiora, ut notum, atque etiam in tali membrorum iunctura reperitur passim remotior ab initio collocatio copulae, cui non praecessit alia in priore membro, at secundo vocabulo annexa, ut hoc loco, plane non potest dura videri. Contra Vossium etiam Huschkius disputavit, sed non explicans Vossii sententiam, exempla tamen nonnulla apta attulit, ut Propert. III, 21, 16. Virgil. Aen. VI, 396. — e luco. Non tantum de nemoralium deorum cultu cogitandum est, ut Fauni Horat. I, 4, 11., Silvani Cat. de Re Rust. 83., sed stabant etiam in agris templa et sacella Cereris aliorumque deorum agrestium lucis circumdata, ad quae conveniebant rustici vicini solemnioribus festis. Ac saepius fit mentio lucorum in epulis festis rusticorum ut Virg. Aen. XI, 740., laudante Brouckhusio et Heynio. — male sobrius, ut Ovid. Fast. VI, 785. Decentius ita dicitur quam ebrius. — Porro Wunderlichius iungit: *vehit ipse*, h. e. non usus servo. Dicas simplicitatem morum agrestium sic describi, ut omnino hoc simplicitatis antiquae fuit. Sic Liv. V, 40: *In eo clivo eas* (Vestales) *cum L. Albinius de plebe Romana homo conspexisset, plaustro coniugem et liberos vehens, virgines sacraque in plaustrum imposuit*, notante Vulpio. At enim Tibullus hoc disticho simul de hilaritate vitae rusticae agit. Quare potius sensus: Rusticus male sobrius domum vehit uxorem liberosque, ipse vero, quod cum *male sobrius* arctius iunges, opponitur uxori et liberis. Ceterum de largo vini usu in talibus festis si opus, compara Tibullum II, 1, 29: *Non festa luce madere est rubor, errantes et male ferre pedes.* Add. Horat. Art. Poet. 224. — V. 53 sq. bella calent, strenue geruntur, ut *fervet opus* aliaque notissima. Contra *frigere* ut ῥιγεῖν est: ignavum esse, cessare, cf. nos ad Pindar. Nem. V. p. 423. — scissosque capillos, etc. Multi de talibus iris et rixis amantium loci, ut v. c. Propert. II, 5, 21 sqq. atque Huschkius, qui ubique imitationes Graecorum somniat, Tibullum hoc loco Menandri fabulam ob oculos habuisse credit (cf. eius Analect. crit. p. 173 sqq. et vide eundem ad h. l.), qui puellam ῥαπιζομένην in scena exhibuerat. Ego vero non credo e Menandro didicisse poetam, quae toties in

Italico solo fiebant. Ac fatetur HUSCHKIUS inter Tibullianam et Menandream puellam hoc interesse, quod illa scissos tantum capillos, haec abscissos vel detonsos, περικειρομένη, conqueritur. Satis de his; aliud noto. Ne mireris ordinem rerum *capillos*, *fores*, *genas*, poeta verba spectavit, non substantiva. Similis actio est scindere et perfringere, aliud tundere genas. Conf. PROPERT. II, 5, 21. — V. 55 sqq. victor et ipse flet, cf. similem locum infra II, 5, 103. et vide OVID. Amorr. I, 7. uberrime hoc argumentum tractantem. — dementes, sic *incontinentes manus* HORAT. I, 17, 26. — At lascivus Amor, petulans, delectatur rixis amantium, inquit, sedet inter utrumque lentus et nihil commotus his lacrimis suggeritque nova semper rixae alimenta, ne subito pax fiat. — mala verba, iurgia. Et lentus ut v. c. OVID. Amorr. III, 6, 60: *Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum, qui tenero lacrimas lentus in ore videt.* — Mox lapis ferrumque, quasi ex formula coniunctis his substantivis, ut toties *silices* et *ferrum* memorantur. — V. 60. e caelo deripit ille deos. Proverbiale dictum de impio aut atroci facinore. Ac VULPIUS a Gigantum impetu id ductum credit, quibus Aloidas addere possis caeli impugnatores. HEYNIUS et VOSSIUS de magicis artibus cogitant, quibus dii de caelo deducebantur, cf. OVID. Fast. III, 317. SENEC. Med. 673. Atque ita *deripere lunam caelo* HORAT. Epod. V, 46. dixit. Quodsi tamen praesentem Tibulli locum consideras, non tam magicas artes quam manu illatam vim significari hoc proverbio credas, ut OVIDIUS laudante HUSCHKIO Amorr. I, 7, 3 sqq. dicit: (Nam furor in dominam temeraria brachia movit, Flet mea vesana laesa puella manu.) *Tunc ego vel caros potui violare parentes, Saeva vel in sanctos verbera ferre deos.* Sensus ergo: similis ille impiis aggressoribus deorum, et potest talis homo etiam deos invadere. Ceterum de vi pronominis ille adi annotationem ad I, 2, 60. et cf. II, 4, 36. — V. 61 sqq. Pro lectione librorum perscindere, quae et violentiae maioris significationem habere videtur quam post antecedentia: Sit satis exspectaveris, nec convenit verbis: e membris, HEINSIUS probabiliter *rescindere* coniecit, quod etiam HUSCHKIUS defendit, comparans CLAUDIAN. XV, 134 sqq. de Africa lugente: *Cum procul insanis quatiens ululatibus axem Et contusa genas mediis apparet in astris Africa.*

Rescissae vestes et spicea passim Serta iacent etc. Quod Heynio placebat *praescindere*, dubiae auctoritatis verbum est. Postremo confer Propert. II, 5, 21: *Nec tibi periuro scindam de corpore vestem.* — Mox ornatus comae hic quidem nihil aliud esse potest quam bene pexa, collecta, disposita coma. Dicit vero pro ornatu nunc *ornatus*, credo propter varias partes capitis. — flere puella potest, cf. Ovid. Art. Am. II, 447. Non intelligo autem Bachium, verbum *flere* cum ablativo personae qui putat iungi posse et hic iunctum esse. Dicit Tibullus: quem tantopere amat puella, ut vel laesa flere eo irato possit. Vides simul non esse superfluum hic *potest*. De pleonasmo quem dicunt v. *posse* est dictum ad I, 7, 3. — V. 65 sqq. scutumque sudemque is gerat, h. e. miles sit et in bellum abeat. Gerebat autem miles Romanus inter arma etiam vallos et sudes praeustas, quas constat in oppugnationibus adhibitas, cf. v. c. Caesar. de bello Gall. V, 40. Lucan. III, 494., ne dicam de alio usu in exercitiis militaribus infra IV, 89. memorato. Quod autem etiam proelia miscebantur sude in agresti certamine, cf. Propert. IV, 1, 28. Virg. Aen. VII, 523., etsi convenire apprime videatur manibus saevis, tamen ab hoc loco alienum iudico, ubi de vera militia et de Romano milite scutum gerente agitur. Tamen cur componit *scutum* et *sudem* ad designandam militiam? Nempe sensus: gregarius miles is fiat. — spicamque teneto, ut saepe in nummis manu tenet fasciculum aristarum, cf. Brouckhusium et Statium ad h. l. et Mitscherlichium ad Hom. Hymn. in Cerer. 13. — Perfluat, abundet, ut in nummis conspicitur dea gremio spicis pomisque onusto. De locutione imprimis Huschkius data opera dixit, etsi nullum plane similem locum afferens. Intelligas autem sinum non capientem copiam pomorum (*überfliefsend von Obst*). Non aeque bene hoc dixeris *profluat pomis*, quod Vossius et Bachius probant. Ceterum confer Horat. IV, 7, 11. —

COMMENTARIUS IN TIBULLI
LIBRUM SECUNDUM.

ELEGIA I.

INTRODUCTIO.

Sacrum ambarvale aliud publicum erat, alia privata. Ac publice quidem d. XI. Mai. fratres arvales ornati infula et corona spicea inter quintum et sextum lapidem agrum Romanum antiquum circumibant, privatim vero rustici arva sua, oleaginis coronis redimiti, fere sub finem Apr., ceterum nullo certo die praescripto, ut videtur. Dicitur solemnitas lustratio, cum hostia lustrandi causa ter agrum circumageretur, publice taurus, aries, verres, quae suovetaurilia maiora, privatim suovetaurilia lactentia (Cato de Re Rust. c. 141.), porcus, agnus, vitulus, aut unus ex tribus: porcus vel agnus vel vitulus; Tibullus nunc agno lustrat cf. v. 15. Pertinebat autem lustratio ad agros, greges, homines, cf. v. 17. et supra I, 1, 21. Sic Cato de Re Rust. l. c. pro universa re rustica preces fieri iubet in hunc modum: „Mars pater, te precor quaesoque uti sies volens propitius mihi, domo, familiaeque nostrae, quoius rei ergo agrum, terram fundumque meum suovetaurilia circumagi iussi. Ut tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas averruncesque, utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire beneque evenire sinas; pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi, domo familiaeque nostrae." Harum igitur rerum causa circumagitur hostia, tum immolatur. Diis autem rurale hoc festum consecratum erat pluribus. Quod enim Virgilius Georg. I, 339. Cererem solam nominat, causa

haec est quia in primo Georgicorum libro de segete tantummodo sermo est, non de vitium arborumque cultu et pecuaria re; ipse cum Cerere Bacchum componit Eclog. V, 79. ut in hoc carmine Tibullus, qui tamen deus non potuit interesse his sacris antequam coli in Italia coepisset. Praeterea in partem veniebant ceteri agrestes dii, inter quos Lares rurales, de quibus vide I, 1, 19 sqq. et Voss. ad Virg. Eclog. V. p. 265., nec non alii plures a maioribus familiae invocari soliti; Cato praeter Ianum et Iovem ad Martem patrem maxime preces dirigit. Appositae his dapes, ut pulchre Tibullus in fine carminis etiam Amorem ad dapes vocat, et libatio iis facta est et vota nuncupata, si annus felix fuisset. Atque haec hactenus; disputavit de Ambarvalibus etiam Vossius ad Virgil. Georg. I, p. 156 sqq. et Eclog. V. p. 265., quem conferes. Nos his praemissis propius accedimus ad propositum carmen. Tractatur igitur in eo sacrum ambarvale. Neque tamen narratio hic habetur aut descriptio generalis talis solemnitatis, quod non conveniret lyrico et elegiaco poetae, sed celebrans ipse aliquando haec sacra in praedio suo Tibullus, sic carmine festum praesens persequitur, ut ipsam rem dum agitur ante oculos ponat. Quodsi hinc de divisione et dispositione rerum quaerimus, ita rationem elegiae adornare debuit ut potiora tempora solemnitatis complecteretur, conderetque totum expressis praecipuis actibus rei pulchre absolutum. Atque ita factum esse nunc ostendemus. Igitur primum *indicitur sacrum.* Iubetur silentium, vocantur dii, praecipitur requies terrae hominumque, arcentur a sacris qui non casti. Est hic primus et praevius actus, ut ita dicam, in omnibus sacris. Sequitur nunc *divina res ipsa*, ubi duos actus distinguo. Primum enim fit *circumductio*, *immolatio*, *precatio.* Atque hic observa iudicium poetae. Non describit pluribus circumductionem hostiae et immolationem aut ante oculos nostros agi voluit, quae res nisi illatis ornamentis ieiuna fuisset, sed hanc quidem partem rerum breviter et summatim adumbrans *cernite*, ait, *fulgentes ut eat sacer agnus ad aras, vinctaque post olea candida turba comas*, quibus verbis quis non sentit dictum quod satis et quod aptissimum? Alterum vero, preces inter sacrificium, explicatius tractat et pluribus persequitur; nam hoc est maxime lyricum argumentum. Neque tamen in ea re nimius est, sed modum iustum

servat; et conferre cum Tibullo iuvabit verba e Catone supra allata ut intelligas, quanto etiam elegantius poetica ars haec tractaverit, quam usus vulgaris talium precum ferebat. Add. Festum s. v. *Pesestas*. Sed pergendum est. Immolationem hostiae sequebantur *epulae cum ludis*, quam alteram partem rei divinae dicimus. Hunc locum poeta imprimis pulchre ornavit. Ac de dapibus quidem tacet, iure etiam hoc transiens, sed cum exta inspecta felicem annum significassent, laetus ab hac re viam ad sequentia parans statim ad vina convertitur; poscit Falernum Chiumque ut libetur diis et potatio fiat. Iamque, ut amant cantum pocula, ad laudes ruris et ruralium deorum praedicandas accedit. *Agrestibus diis*, ait, *vitae cultioris ratio debetur*. Quod argumentum tribus locis divisit. Primum enim alimenta meliora docuerunt pro glandibus herbisque feris, et victus copias rurales monstrarunt; ortae porro artes rure, et musicae et earum simpliciores, quae ad corporis cultum et ornatum pertinent; tertio loco etiam Amorem rure natum discimus, qui et greges auget et hominibus bona malaque affert. Quibus quidem tribus locis quis non sentit pulcherrime complexum poetam quae dici debebant omnia. Nam victus, artes, amoris gaudia et aerumnae, haec sunt profecto fundamenta vitae, et praeclare proposuit poeta ideam partibus suis absolutam. Nec vereor ne cui digressio hic esse videatur longior a themate carminis, cum non digrediatur poeta nec aliena attulerit. Sacri enim ambarvalis solemnitas cum implorandis pro successibus anni diis instituta sit, quomodo quis melius honoret eos et propitios reddat, quam praeter sacrificium etiam laudes offerens, et praedicans pia mente beneficia eorum? Siquidem non sacrificiis tantum placantur dii sed etiam laudibus, ut *coniuncta utraque re* vel maxime satisfacias consilio festi. Poetam vero decet amplificato rerum campo magnificentius tractare deorum laudes, ritusque a maioribus traditos sic novis luminibus illustrare. Et hoc fecit egregie Tibullus, cum haec sacra pro flore rei rusticae instituta nunc appareat pro summorum conservatione bonorum celebrari, quae primordia olim et fundamenta cultioris vitae fuerunt. Ita vero dignissime celebrantur dii, celebratur hic dies. Iamque carmini imponit *finem*. Nuntiat noctis adventum et iubet interim ludos iocosque continuare turbam, donec nox cum somno amplectatur orbem. De tempore

elegiae praeclarae nihil constat, nisi quod post annum 727. scripta est, cum triumphus Messalae de Aquitanis laudetur hoc anno actus. Suspicor autem antequam Nemesim cognovisset, eam scriptam, cuius alioquin mentionem credo fecisset v. 79 sqq., quemadmodum in elegiae quintae exitu fecit. Unde eam circ. 731 aut 732 pono, cum vacaret amore Tibullus.

EXPLICATIO.

V. 1-14. **Exordium. Sacrum ambarvale indicitur.**

V. 1 sq. **Quisquis adest, faveat.** Coniectura Dousae: *quisquis ades, faveas*, opus non est, cum etiam tertia persona in hac re uti potuerint et utantur, ut Eurip. Bacch. 70: στόμα τ' εὔφημον ἅπας ὁσιούσθω, Aristoph. Thesmoph. 39: εὔφημος πᾶς ἔστω λεώς, στόμα συγκλείσας, Ovid. Fast. II, 623: *Innocui veniant, procul hinc procul impius esto.* Ceterum notissima res et formula est praecipiens, ut silentium sit et male ominatis verbis quisque parcat s. linguis faveant omnes, et saepe illustrata, vid. Cerd. ad Virg. Aen. V, 71., Heins. ad Sil. It. XVI, 295. Mitscherl. ad Horat. III, 1. init. Nunc quidem Tibullus pronuntiat eam et silentium praecipit, paterfamilias in agris suis; ad immolationem vero hostiae puta haruspices Tuscos adhibitos ex more, conf. Voss. ad Virg. Georg. II, 193. p. 347. Müller. libr. de Etruscis T. II. p. 15. — **Ritus a prisco traditus avo.** Nam morem maiorum in sacris summa religione servabant. — V. 3. 4. Nunc a tertia ad secundam personam transit aptissime. Ut fit in talibus ubique, vocantur dii ut praesentes adsint. Praeter Cererem et Bacchum etiam aliis diis vidimus in Introductione dedicatum fuisse hoc festum, sed non opus est in poesi omnia nomina ciere; nominat duo maiora numina instar omnium. — **tuis e cornibus.** De cornibus Bacchi nota omnia, unde deus κερασφόρος, ταυροκέρως, cf. Interprett. ad Nemes. III, 36. Spanhem. de Usu et Praest. Num. Dissert. VII. Brouckhus. ad h. l., ne Creuzeri Celeberrimi libros memorem. Sed cur nunc tribuit poeta cornua Baccho?

Nempe alludit ad copiae cornu quod dicitur, de quo videsis inc. Horat. Od. I, 17, 16. et Epist. I, 12, fin. Hinc nunc uva pendet e cornibus dei; nec frontem ea ornatam habet, ut ap. Ovid. Met. III, 666: *ipse racemiferis frontem circumdatus uvis*, aut crinem, ut Stat. Theb. V, 269: *nec crinem flava distinxerat uva.* — et spicis tempora cinge, et veni cincta spicis tempora. Ornate vos frugibus vestris, ait, atque ita pignus afferte largae futurae messis. — V. 5 sqq. A diis ad homines conversus, imperat ut opus omne mittant. Ac primum ad tertiam personam redit. Ad verba requiescat humus, requiescat arator, Ovid. Fast. I, 667: *Villice, da requiem terrae, semente peracta, da requiem, terram qui coluere, viris*, confert Huschkius. — Solvite vincla iugis, h. e. lora iugorum demite, quibus illa collis boum alligantur. *iugis* cum Wunderlichio pro ablativo habemus, ut *littore puppim solvere* est Valer. Flacc. I, 628, *corde metum* Virg. Aen. I, 562. alia. Solemnis autem boum iugo solutorum mentio in rusticorum feriis, notante Mitscherlichio ad Horat. III, 18, 10. Ceterum colligit ex his verbis Vossius sacrum mane non esse factum, sed matutino tempore familiam Tibulli operibus solitis occupatam fuisse, nunc autem adveniente sacri tempore quietem imperari. Ac constat alias quoque non semper dies totos fuisse festos. Tibulli praedium cum parvum esset, circumductio hostiae non multum temporis postulabat. — coronato capite, Ovid. Fast. I, 663. Ceterum constat etiam alia animalia coronata in quibusdam festis, ut quod Brouckhusius affert repetitum etiam a Golberyo, canes in Dianae festo, cf. Stat. Silv. III, 1, 57., asini panibus in coronae formam curvatis in Vestae sacro, cf. Propert. IV, 1, 21. Ovid. Fast. VI, 311 sqq. — V. 9 sq. Omnia sint operata deo, omnia, omnes agrestes operari, feriari debent. *Operari* est omnino rei divinae operam dare, observare ritus religiosos festi, observare ipsum diem sacrum sacrificando, precando, convivando, omnino feriando et intermisso vulgari opere. Porro *deo* h. e. numini. Vulpius interpretatur *diis*, quod si voluit Tibullus, cur non scripsit? Nempe ieiunus fuisset hic pluralis positus. Singularis cum etiam generalem notionem rerum exprimat, saepe gravior est et magnificentior, ut hic. Nam sententiose dicit: Est abstinendum

vulgari opere; divinae rei omnes operam dent. Ceterum utitur nunc hac sententia propter transitum a viris ad feminas, ut saepe ab uno genere ad aliud, ab una specie ad aliam per interpositam sententiam generalem transeunt, cf. aliud exemplum PINDAR. Nem. VIII, 36. — non audeat lenior hortatio est, *ne audeat* fortior. Similiter *non* cum imperativo iungitur, ut OVID. Art. Am. III, 129: *Vos quoque non caris aures onerate lapillis.* Exempla utriusque constructionis non rara, vide HEINDORF. ad Horat. Sat. II, 5, 91. p. 374. et WOLFII Mus. Antiqu. Stud. T. I. p. 581. WUNDERLICHIUS quod comparat HOM. Il. II, 250: *οὐκ ἂν ἀγορεύοις*, alienum est. — pensis imposuisse manum, conferunt OVID. Heroid. IX, 76. de Hercule nente: *rasilibus calathis imposuisse manum.* — V. 11 sq. Vos quoque. Confer de iunctura ad I, 2, 15. Cum autem in sacris non solum silentium imponatur iis, qui intersunt, sed etiam arceantur solemniter qui abesse debeant, poeta etiam hoc loco in hanc rem nonnulla addit. Ac primum generaliorem ponit formulam, Vos abesse iubeo, deinde specialiora et definitiora verba subiicit: discedat ab aris, *cui praeterlapsa nocte Venus gaudia tulit.* Quo genere dicendi quid efficiatur, apertum est: dum sic cumulate loquitur, gravius loquitur, et hanc vim etiam in sequentibus continuatam vides: *casta* placent superis, *pura* cum veste venite, *puris* manibus sumite aquam. Quod denique a plurali ad singularem progressus est, *vos iubeo* — *discedat* etc., amant omnino veteres progressum a plurali ad singularem in designanda re aut persona, quo pertinent maxime talia: *Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos, et fluit effuso cui toga laxa sinu,* I, 6, 39. Graecis et Latinis quae in usu. Suspicetur quidem aliquis ad hanc ipsam normam etiam hic a Tibullo scriptum *discedite, cui*, quemadmodum in Wittiano legitur et aliis, sed nolim mutare *discedat* propter auctoritatem librorum, qua nititur. — pura cum veste, cf. ad I, 10, 27. — Et manibus puris sumite fontis aquam, h. e. et sumite aquam ut manus purae sint, s. manibus purgandis. Est igitur *manibus* dat. et *puris* per prolepsin dictum. Ut OVID. Fast. V, 435: *Terque manus puras fontana proluit unda.* Ceterum patet haec iis dici, quibus interesse licet sacris; ad hos igitur oratio redit, transitum vero ab antecedente

disticho ad hoc munit interposita sententia: casta placent superis, de quo artificio modo monui.

V. 15-86. Medium carmen. Res divina ipsa. Ac primum quidem immolatio et preces tractantur a v. 15-26.

V. 15 sq. Cernite, ut eat agnus ad aras, postquam ter circumductus erat agris, quod nunc praeterit poeta. Ducebatur autem laxo fune, ut sponte ire videretur nec reluctans. Ceterum agnum offert, non vitulum, pro modo praesente agelli sui, vid. I, 1, 22. *Arae* exstructae in agris, immolationi vero addita libatio fuit in ignem ex lacte, melle, vino, cf. VIRG. Georg. I, 344. — Vinctaque post olea candida turba comas. Sequuntur agnum comitantes agrestes candida veste et oleis coronati. VIRG. Georg. I, 345: *terque novas circum felix eat hostia fruges, omnis quam chorus et socii comitentur ovantes.* — V. 17 sqq. Dii patrii. Praeter Cererem et Bacchum cum etiam alii multi dii tutores praedii simul honorentur hoc festo, uno verbo patrios deos generatim appellat Tibullus, quos iam maiores coluerunt, praedii huius possessores. In qua appellatione hoc inest, ut pergant nepotibus favere quemadmodum patribus. — purgamus agrestes, qui his caerimoniis simul lustrantur. Fiunt enim haec sacra et preces simul pro horum salute, cf. Introductionem. — Mox usum verborum pellere et *depellere* pr. averruncare illustrat exemplis HUSCHKIUS, ut Horat. Epist. II, 1, 166. OVID. Art. Am. III, 379. — herbae sunt calami virentes, spicis adhuc in vaginis latentibus, tempore veris; fallaces, si promittunt largam messem, sed mentiuntur. — eludat messem, exquisite dictum. Cum enim vulgo agricolae, coloni seu spes et vota colonorum decipiantur, vide si tanti est, VIRG. Georg. I, 226. OVID. Epist. ex Ponto II, 9, 29. Fast. IV, 643., hoc loco messis eludi dicitur, quae promissa non redditur. — Neu timeat agna lupos, nam etiam pro pecore fit lustratio, cf. I, 1, 21. tardior autem WUNDERLICHIO monente est imbecillior ceteris, quae non aequiparat ceteras celeritate. — V. 21 sqq. Tum, si messem non eluserit seges, novis honoribus vos iterum ornabimus.. Intelligit autem VOSSIUS solennia auctumnalia mens. Octobr. aut Nov. (neque enim definitum tempus erat) messe vindemiaque peracta celebrari per Italiam solita, cum Baccho caper, Cereri sus vel porca immolare-

tur, simulque primitiae frugum his offerrentur et ceteris agrestibus diis, cf. Voss. ad Virg. Eclog. V, p. 265. Etiam HEYNIUS de sacrificio post messem factam cogitat, quemadmodum olim HEINSIUS cum GYETO, qui *horreis* emendabant, et SCALIGER, qui *areis* recepit pr. *agris*. Sed recte monet WUNDERLICHIUS intelligi debere sacrum illud ante messem faciendum, de quo VIRGILIUS dicit Georg. I, 347: *neque ante falcem maturis quisquam supponat aristis, quam Cereri torta redimitus tempora quercu det motus incompositos et carmina dicat*, ubi vide interpretes. Nam verba plenis confisus agris non possunt ad collectas et conditas copias referri, sed dicuntur manifesto de rustico, qui maturam videns in agris segetem laetissimam, sperat et confidit largam messem futuram, eaque de causa hilarius festum et solito copiosiores epulas parat grandibus lignis foco iniectis. Hoc igitur, ait, facient rustici mei *tum* ubi seges largam messem ostendet. nitidus s. bene ornatus, ut in laeto festo, cf. de voce infra II, 5, 7. Add. PLAUT. Aulul. III, 6, 4: *Aliquanto facies rectius, si nitidior sis filiae nuptiis.* — Mox saturi bona signa coloni, qui hilaritate sua arguunt saturum herum, largas epulas heri. Pascebantur enim vernae *dapibus libatis* heri, quem cingebant, ut HORATII verbis utar, Sat. II, 6, 66. 67. Vide etiam Epod. II, 65. HEYNIUS inter alia plura ad nostrum locum confert CALPURN. Eclog. IV, 125: *ut quoque turba bono plaudat saginata magistro, qui facit egregios ad pervia compita ludos.* — Haec igitur turba Ludet, iocabitur, saltabit, canet, aliisque ludis se oblectabit, cf. VIRG. Georg. II, 527-531. Eclog. V, 69-75. ibiq. interprett. — casas, umbracula, pergulas, trichilas, vide HEYNIUM hic et infra ad II, 5, 97. et ad Virgil. Cop. v. 8. — Porro exstruet ex virgis HUSCHKIUS defendit, cum VOSSIUS *construet* receperit. Sic supra I, 2, 82: *deripere de focis.* In eo autem fallitur cum GEBHARDO, VULPIO aliisque HUSCHKIUS, quod *ludet et exstruet* pr. ludendo exstruet accipit, quae ieiuna esset sententia, quasi nunc nihil faciant quam ut exstructionibus casarum se oblectent, collat. HORAT. Satir. II, 3, 247 sqq. Immo ludent, ait Tibullus, et in hunc finem umbracula ante focum exstruent, sub quibus ludant. Est eadem forma dicendi infra II, 5, 99: *At sibi quisque dapes et festas exstruet alte mensas.* Indicaverant verum sensum loci

iam HEYNIUS et VOSSIUS. Denique ante h. e. ante focum. — V. 25 sq. Eventura precor. Supra I, 5, 57: *evenient; dat signa deus.* — viden ut; plures nunc hac formula alloquitur, ut CATULLUS LXI, 77. LXII, 8. ac cum apud alios indicativus fere ponatur post hanc formulam, cf. BENTL. ad Horat. Epist. I, 1, 91. HUSCHK. ad h. l., Tibullus coniunctivo est usus, ut SIL. ITAL. XII, 713. Nam etiam alias ubique uno excepto loco coniunctivum praetulit in oratione obliqua, cf. ad I, 7, 22. — extis, iecore, ut fere ubique in divinatione. — fibra, quam maxime observabant. Est autem, ut VARRO dicit de Ling. Lat. V, 79. ed. Müller. *in iecore extremum fibra.* Similiter SERV. ad Virg. Aen. X, 176. et Georg. I, 120: *fibrae sunt iecoris extremitates.* Adde MÜLLERUM nostrum in libr. de Etruscis Tom. II, p. 182. Adhibet vero haruspices Tibullus, ut iam supra dictum.

V. 27-86. Epulae et inter epulas cantatae laudes deorum agrestium.

V. 27 sqq. Nunc mihi proferte. Immolationem sequuntur epulae et cum libatione potatio; sed de dapibus exponere non erat aptum, unde statim ad alterum poeta pergit; ac quid suavius, postquam modo de felicibus extis dictum? — fumosos Falernos scil. cados, quod ostendit sequens versus. Quamquam enim *Falernus* mascul. gen. de vino dici potuit ut *Tmolius* et *Phanaeus* VIRG. Georg. II, 97., ubi conf. WUNDERL., tamen et rarior hic usus, a Graecis petitus, a Tibulli oratione alienus, nec pluralem ego tunc, sed singularem exspectassem. Porro vina in superiore aedium parte, fumo quae pervia, collocata esse ut vetustescerent celerius, notum, vid. COLUM. I, 6, 20. Atque etiam illud nosti, annos vinorum a consulibus computari solitos, notato in cado nomine consulis eo, quo conditum esset vinum, cf. interprett. ad HORAT. III, 8, 12. Quid autem veteris Consulis hic sit, docebit PLINIUS XXIII, 20: *Falernum nec in novitate nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media eius aetas a quinto decimo anno incipit.* Conf. CIC. Brut. 83. — Chio solvite vincla cado, corticem adstrictum pice, cf. HORAT. III, 8, 10. Miscebant autem cum Falerno, quod austerius, Chium, quod dulcius, cf. HORAT. Sat. I, 10, 24. ibiq. interprett. Ac ne mireris rusticis cognitum Chium, monet VOSSIUS ad Virg. Eclog. V. p. 268. iam

tum satis frequens in Italia hoc vinum fuisse, ut etiam rusticus emere potuerit cadum, solemnioribus festis quo uteretur. In talibus enim generosiore vino libabant, cf. Voss. l. cit. p. 267. — Vina diem celebrent, in prosa oratione dicas, vino dies celebretur. — non festa luce madere est rubor, cf. supra I, 10, 51. Adde cum VULPIO iudicium Demetrii apud LIV. XL, cap. 14: *Non est res qua erubescam, pater, si die festo inter aequales largiore vino sum usus.* Ceterum *rubor est* ut OVID. Art. Am. III, 167. TACIT. German. 13. Adde locutionem *pudor est* III, 2, 7. — madere autem significat, ut etiam WUNDERLICHIUS monet, proprie largius se invitare vino, unde nunc de ebriis est. — male ferre pedes. Cumulate addidit errantes, vacillantes, ut poetica fiat phrasis; nam *male ferre pedes* etiam in prosa oratione dicas. — V. 31 sq. Sed inter pocula meminerit quisque etiam *Messalae*, cuius patrocinio videtur tutam possessionem praedii relicti debuisse Tibullus. bene Messalam scil. precor valere. Est formula convivalis nota e PLAUT. Stich. V, 4, 27: *bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium*, et OVID. Fast. II, 637: *Et bene vos, patriae bene te pater optime Caesar, Dicite.* — absentis, qui in urbe erat. — singula verba. Singulis propemodum verbis redeat eius mentio. Qui explicant: cuiusque s. singulorum verba, non vident sic ieiunam repetitionem inferri antecedentium quisque dicat. Plane hoc intolerabile; debet necessario pentameter addere quod maius et fortius sit. — V. 33 sqq. Iam orsurus deorum agrestium laudes tamquam ad numen ad Messalam convertitur, ut his conatibus favens adsit. — triumphis h. e. *triumpho* de Aquitanis acto ann. 727. Pluralis poetice pr. singulari ut I, 7, 5. — intonsis avis. Quis Valerios ignorat inde ab initio liberae reipublicae claros? Ceterum tonsores in Italiam ex Sicilia venere post ann. 454. ab urb. cond. conf. VARR. de Re Rust. II, 11; antea barbati erant Romani, cf. Voss. ad Virg. Eclog. I, p. 25, et locos ap. RUPERT. Iuv. p. 268. — magna gloria victor, victoriis suis. —

V. 37 sqq. Sequuntur laudes ruris et ruralium deorum, veluti OVID. Fast. II, 658. in Terminalibus inter dapes canuntur laudes Termini. Totus locus tribus partibus constat, quem-

admodum in Introductione monuimus, ad unum summum consilium pulchre conspirantibus. *Agrestibus diis cultioris vitae ratio debetur.* Ac primum quidem *de victu monstrato meliore* dicit v. 37-50. primum generatim proponens thema verbis: his vita magistris etc., tum per partes exsequens. — vita, homines, genus humanum, cf. Burm. ad Phaedr. I, Prolog. 4. Imprimis apud Senecam et Plinium ita dici observatum est, quemadmodum Graece *βίος*, cf. Casaubon. ad Athen. XV, 5. Ad nostrum locum exempla Vulpius attulit. — V. 39 sqq. compositis tigillis. Sunt tigna parva s. perticae, quibus pectinatim positis intexuntur frondes, alias arundines aut stramina, atque ita fit tectum tugurii. Describit casas agrestes s. tuguria (*ländliche Schoppen*) Vossius ad Virg. Eclog. I, p. 41. Nam ab his initiis profecta domorum exstructio, cum primum in antris habitassent homines. domum vero poeta nunc casam talem appellat honestiore vocabulo usus, ut Horat. III, 1, 22: *somnus agrestium lenis virorum non humiles domos fastidit.* — Mox in verbis: Illi tauros docuisse servitium et plaustro rotam supposuisse feruntur, aegre exputes quid ambiguitatis insit, quemadmodum Vossius et Bachius opinantur, qui *domuisse* — *servitio* posuerunt, quod commendaverat Gebhardus. Quisquamne tam ineptus sit ut construat: *docuisse supposuisse?* Gebhardus praeferebat *domuisse* e quibusdam, quia modo praecessisset *docuere*, et mutabat sic *servitium* in *servitio*. Sed consulto potuit Tibullus repetere v. *docere*. — plaustro, quo domum vehuntur copiae ruris. — Denique cur omnino orsus sit Tibullus descriptionem ab his duobus distichis ipse vides. Habitatio rustica et animalium domatio sunt prima initia cultioris vitae, emendatum victum quae praecesserunt. His igitur primum indicatis, iam ad v. 38. redibit et data opera de victu dicet. — V. 43 sqq. tunc consita pomus. Cum ante nonnisi silvestres et ferae arbores fuissent sponte natae, nunc plantata sunt ab hominibus in culto solo poma et curata diligenter. Sic defendas lectionem *consita*, pro qua Lipsius *insita* emendavit, probatum Brouckhusio, Vulpio, Vossio. Vulgatum Heynius tuetur, recte monens arbores silvestres primum satione, translatione, cura feritatem exuisse. Accedit Huschkius. — Tunc bibit irriguas hortus aquas. Amabant paullulum declives hortos in aprico solo

cum rivo a superiore parte defluente, cf. PALLAD. I, 34. Porro *irriguas* active, ut VIRG. Georg. IV, 32. Denique vides sensum pentametri esse: tunc olera horti culta. Nam loquitur de variis ciborum generibus, et primum quidem de iis, quae proxime absunt a priore victu. Cum enim ante glandibus vescerentur et herbis agrestibus, nunc poma et olera substituta. — Aurea. Sensus: tum primum *aurea* vina parta. pressos, h. e. expressos, ut LUCAN. IV, 317: *palmite crudo arboris aut tenera succos pressere medulla.* Simplicia multa pro compositis apud poetas poni vidimus ad I, 2, 80. — Mixta, inventio etiam alias laudata, ut constat, v. c. VIRG. Georg. I, 9. — sobria lympha. Hinc illud PINDARICUM *ἄριστον μὲν ὕδωρ*. Denique securo, quod curis exsolvit et sobrietatem eximit, nisi aqua additur. Unde recte vides est collocatum post hoc adiectivum, cf. dicta ad I, 1, 34. Male alii in finem reiecerunt copulam contra optimos libros, alii plane eiecerunt. — V. 47 sqq. Rura ferunt messes. Mutat nunc orationem, ne diutius eadem continuetur forma. Neque vero praesentia pr. praeteritis posita, ut WUNDERLICHIUS censet, sed cum ante narraverit ut poma sata, horti culti, vina expressa rure sint primum, nunc pergit: rus est, cui frumentum debes, ubi apes mellificant. — annua terra h. e. quotannis. comas, aristas, veluti OVID. Amorr. III, 10, 11: *Prima Ceres docuit semen turgescere in agris, Falce coloratas subsecuitque comas.* — Porro levis apis, mobilis, agilis. — verno alveo, cum ab aequinoctio verno apes mellificare inciperent, ut COLUMELLA de Re Rust. IX, 14. docet. Similiter Graeci vernum mel commemorant, cf. annotationem nostram ad PIND. Fragm. Dithyr. p. 618. Adde GEBHARDUM h. l. Ceterum VOSSIUS cum GEBHARDO *rure verno* iungendum contendit, comparans *aestiva tellus* SENEC. Med. 759. et *iuga verni Hymetti* VALER. FLACC. V, 343. Sequitur BACHIUS. Frustra. Vox rure carere hic debet epitheto, ut v. 47. 59. 61. factum. Verum dicis, ut recte vernus dici possit alveus, status alvei simul necesse est alius sit vere quam hieme et aestate. Audio; atque ita est. Nam vere vacuus est et inanis, quod ipsum probat poeta in sequenti versu dicens Compleat ut favos, et COLUMELLA de Re Rust. IX, 14. FRUTERIUS *vernos* coniecit, sed *vernum florem* poeta paullo post v. 59. laudat. — flores. Vul-

garis fuit opinio veterum e florum succo ceram fieri, mel autem rorem esse caelo delapsum, quem colligant apes e foliis florum arborumque, cf. Aristot. Hist. Anim. V, 22. Cels. ap. Colum. IX, 14. Plin. XI, 12. Voss. ad Virg. Georg. IV, p. 730 sqq. Quodsi hoc loco flores pr. succo e floribus ducto accipis, veluti vox usurpatur Virg. Georg. IV, 39. et ceram intelligis cum Vossio, exsistit haec incommoda sententia: Apis ceram colligit, ut melle favos compleat. Immo nonnisi de melle collecto sermo, poeta de cera plane tacente, ut par erat, et illud solum cogitante quod maximum. Ac *flores* videntur esse particulae florum decerptae, veluti Virgilius dicit Georg. IV, 54: *purpureosque metunt flores*, et Columella de Re Rust. IX, 14: *idoneos decerpunt flores atque intra tecta comportant.* Has nunc ingerit alveo apis ut mel abstergat e caelo delapsum, nisi dicas succum extrahi, et hunc pro melle habitum a Tibullo contra communem opinionem. Atque haec hactenus. — Sed perlectis singulis postremo etiam ordinem attende, quem poeta in hac descriptione secutus est. Cum ante feri victus fuissent, h. e. cum ante homines glandes, arbuta, corna comedissent et herbas feras, bibissent vero aquam, Tibullus his primum opponit consita poma et olera hortorum et vina, tum exquisitiora ciborum genera commemorat, frumentum et mel, simul suaviter etiam anni tempora varia significans; nam cum vindemia auctumno fiat, deinde messem laudat aestu solis et mellificium vernum. — V. 51-66. In laude ruris tractat nunc secundam rerum partem, quae de artibus est. Rure, ait, artes musicae inventae nec non simpliciores earum, quae ad corporis cultum et ornatum pertinent. — V. 51 sqq. Agricola, ait, post laborem, post coenam ad musicos lusus conversus, has artes invenit; peperit eas studium recreationis ex opere et hilaritas saturi in victu meliore. Verba: assiduo satiatus aratro si de taedio molestiae accipimus, veluti Huschkius Cicer. pr. Sulla c. 32. laudat: *te ipsum iam Torquate expletum esse huius miseriis par erat*, sic igitur, inquam, dissimile est sequens *satur*, quod tamen cognatum, nec placet in laude ruris de molestia laboris rustici dici; potius gratum est rusticis aratrum, ut bene observat Wunderlichius comparans Virg. Aen. VII, 635: *huc omnis aratri cessit amor.* Quare ita

ego explicuerim: Ubi assidua opera expletum esset studium arandi (*wenn er sich satt gepflügt hatte*), ut Homerus dicit Odyss. IV, 541: αὐτὰρ ἐπεὶ κλαίων τε κυλινδόμενός τ' ἐκορέσθην, cum expletum esset studium luctus. His positis respondet in sequentibus satur h. e. expleta cupiditate edendi, s. post coenam. Ac dicimur proprie satiari rebus, ut bene Heynius monet, quae nobis gratae et iucundae sunt vel videntur. — certo pede, certis numeris. — Mox modulari carmen est, ut constat, modis certis sonorum canere. Vides cum primum de vocis cantu dixerit, nunc secundo loco de fistulae invento cantu dici. — ut ornatos diceret ante deos, ut quae primum aliis diebus post laborem, post coenam canere didicisset, postea festo die ante deos caneret. Nam *ornatos* est de *coronatis* imaginibus deorum agrestium, ut fiebat festis diebus. In templis etiam veste meliore induebantur lignea signa, quod tamen a rusticae religionis simplicitate dicas alienum. Huschkius *ornatos* male pr. *laudatos* accipit, quod per prolepsin pr. *laudandos* dictum sit. Ac quis non clara et luculenta festi diei significatione hic opus esse sentit? — V. 55 sqq. Deducta ad festa ruralia oratione tertium etiam choros Liberalium addit cantus et fistulae inventioni. Nunc igitur specialiter de Bacchicis festis dicet. — minio suffusus. Faciem in Liberalibus ut minio inficerent factum, quia ipse Bacchus eo illinebatur, ut aliorum olim imagines deorum, cf. Voss. ad Virg. Eclog. X, p. 514. et cum Cyllenio Brouckhusium h. l. Verbum *suffundere* proprium de iis quae sub cute conspiciuntur, nunc omnino est: inducere, veluti Lucretius de nebulis dicit VI, 448: *suffunduntque sua caligine caelum.* Porro ab arte pr. arte, ut I, 5, 4. duxit autem choros, collecto choro, cuius ipse praesultor esset. Ceterum de scenicae rei primordiis non est quod hic disputemus; multa a multis de ea re dicta sunt, Tibullum autem vides subsistere in primis initiis saltationis choricae agrestis incompositae ante signum Bacchi, quo pertinet hic vocativus et apostrophe dei. — Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili Dux pecoris. Ut fit in ludis agrestium etiam alias, e pecore, ait, praemium datum, et dux quidem pecoris hircus ductori huic chori. *A pleno ovili* cf. ad I, 10, 26. *Ovile* autem est de caprearum stabulo, quod Bentleius illustravit ad Horat. Od. I, 17, 9.

Claudebantur oves et capreae plerumque uno septo. Denique *memorabile munus*, quod dignum esset laude viri et nomen haberet. Sed pentametri pars maior manca vel corrupta, nec sanari potest vel restitui certis coniecturis. Bonum quidem *dux pecoris*, dubium vero metri causa statim *hircus*. Quid enim de productione litterae *h* statuendum sit, ad quam etiam Huschkius provocat, exposuit Schneider in Grammat. Lat. Tom. I. p. 180. et Tom. II. p. 746. Tibullum credas *dux hircus pecoris* scripturum fuisse. Ad sequentia multae coniecturae allatae sunt, sed nihil quod satisfaciat. Quod enim Bachius Mureti emendatione omnia peracta putat vulgo recepta: *duxerat hircus oves*, comparans Ovid. Amorr. III, 5, 27 sqq.: *Utque procul vidit carpentes pabula tauros, Carpebant tauri pabula laeta procul, Illuc se rapuit* etc., sunt alieni a Tibulli poesi huiusmodi lusus. Verius iudicabis maiorem partem pentametri olim ab alia manu suppletam esse, cum excidisset, quemadmodum etiam aliis visum. — V. 59 sqq. Cum musicae artes ad animum pertineant, pergit nunc ad alterum genus artium, quod corporis cultum et ornatum spectat, ostenditque etiam hoc originem cepisse inter agrestes. Nominat vero coronas et lanificium. Collocavit hanc partem rerum secundo loco, ut inde post puellas memoratas commode transiret ad amores, praemonstraverat vero eam iam ante v. 54., *ornatos* deos memorans, quae res nunc explicatur. Observabis igitur iuncturae genus exquisitum, ubi duo loci ita nexi sunt, ut secunda simul explicationem contineat rei in priore positae, atque *hoc solo modo fieri potest, ut etiam minus post maius collocetur recte, si exspectationi id satisfacit ante motae.* — puer coronam fecit. Suaviter puero hanc inventionem tribuit, ante pedes Larium qui toties cursavit et lusit. Omnino nullum genus praeterire voluisse videtur in his laudibus, quare ut ante de viris maxime dixit, nunc pueros memorat, et mox feminarum artes laudabit. — verno cum flore iunges, quod non monerem, nisi essent qui ad rure traherent epitheton. Ceterum magnae erant coronae, quibus Lares ornabantur, ut Festus docet s. v. *donaticae coronae.* — V. 61 sqq. curam exhibitura puellis, iucunde et iocose dictum. Ceterum observabis mutationem temporis; post praeterita ante usurpata nunc praesentia infert. — Hinc — labor est, quod nunc per

partes explicat reliquo disticho. — Fusus versat opus, versato fuso nentur fila, fit opus. Ovid. Heroid. XIX, 37: *tortaque versato ducentes stamina fuso.* Denique apposito pollice, ut Ovid. Met. VI, 22. dicit: *sive levi teretem versabat pollice fusum.* — V. 65 sq. Atque aliqua, collective haec et illa. Res nota. Mutat autem orationem suaviter et ornatius conformat pr. simplici: hinc textura. — assiduae textrix operata Minervae. Est hic Minerva metonymice pr. lanificio dicta, ut ap. Virg. Aen. VIII, 409: *femina, cui tolerare colo vitam tenuique Minerva impositum*, et Ovid. Met. IV, 32: *solae Minyeïdes intus Intempestiva turbantes festa Minerva, Aut ducunt lanas aut stamina pollice versant.* Porro *assiduae* ut supra v. 51. *assiduo aratro.* Atque *operari* est incumbere, ut constat, veluti Ovid. Amorr. II, 7, 23: *Adde quod ornandis illa est operata capillis*, et Met. VII, 746: *studiis operata Dianae.* Sed vulgo *textrix* in *textis* mutant de coniectura Fruterii; ita placuit Brouckhusio, Vulpio, Vossio, Wunderlichio, Bachio, Huschkio, Golberyo, qui *assiduam* dicunt operosam esse, ut Horat. III, 12, 5. sive Ἐργάνην, de quo nomine confer Bergl. ad Alciphr. III, 40. Abresch. ad Aristaenet. p. 128. Vossius autem texta Minervae vult esse subtilia, artificiosa maxime. At enim non opus his omnibus, immo mirum est non sensisse viros doctos locutionem totam *textis assiduae Minervae operari* esse longe ornatiorem, quam pro simplicitate Tibullianae elocutionis. Quare unice laudo quod Lachmannus revocavit. Est autem accentus primarius sententiae in voce *textrix*, cum Minervae etiam eae operentur, quae colo fila deducunt et stamina pollice versant. Atque haec hactenus; ad cetera pergo. Cum simpliciter dicere posset: hinc textrix operatur Minervae, praeterea admiscuit suaviter etiam *cantus* mentionem, quo se oblectabant feminae lanificae Graecae et Latinae ut hodiernae, cf. Hom. Odyss. V, 61. X, 221. Theocrit. XXIV, 75. Leonid. Tarent. LXXVIII, 3. et Virg. Georg. I, 293. ubi vide Vossium. — et applauso tela sonat latere, h. e. tela sonitum edit, dum latus eius pulsatur pectine, ut recte explicat Huschkius. Pectine enim feriente subtegmen, pulsatur latus telae. *Applauso* h. e. leviter pulsato ut sonitus fiat, veluti Sil. It. XVI, 357. de equo dicit: *ipse asper, nec qui cervicis amaret applausae blandos*

sonitus. Heynius latus textricis intelligebat, quod recte damnavit Vossius, ipse tamen *pectine* recipiens ex interpolatis duobus libris, quo non opus. Secutus tamen est Bachius. Denique quod sonitum telae attinet, Huschkius comparat Eurip. Iphig. Taur. 210. (21.): *Οὐ τὰν Ἄργει μέλπουσ' Ἥραν Οὐδ' ἱστοῖς ἐν καλλιφθόγγοις Κερκίδι Παλλάδος Ἀτθίδος εἰκὼ Καὶ Τιτάνων ποικίλλουσα.* —

V. 67-78. Post explicatam artium originem sequitur denique tertius locus, qui est de Amore ruri nato. Sunt suavissimi de hac fabula versus in Pervigilio Veneris v. 76: *Ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur. Hunc ager, cum parturiret ipsa, suscepit sinu, Ipsa florum delicatis educavit osculis.* Videamus Tibullum. — V. 67. Ipse interque greges etc. Vim Amoris per omnia genera animalium regnantem saepius describunt veteres. Sic Sophocl. Antig. 785. 786: *φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος ἔν τ' ἀγρονόμοις αὐλαῖς.* Et Fragm. inc. XXIII: *εἰςέρχεται μὲν ἰχθύων πλωτῷ γένει. ἔνεστι δ' ἐν χέρσου τετρασκελεῖ γονῇ.* Imprimisque Euripides Hippolyt. 1272: *Ποτᾶται δὲ γαῖαν εὐάχητόν θ' Ἁλμυρὸν ἐπὶ πόντον. Θέλγει δ' ᾧ μαινομέναν κραδίαν Πτανὸς ἐφορμάσῃ, χρυσοφαὴς φύσιν, Ὀρεσκώων σκυλάκων, πελαγίων θ' Ὅσα τε γᾶ τρέφει.* Hinc Tibullus suavissima fictione rure natum deum primum in pecore figendo artem sagittandi exercuisse, deinde maiora aggressum homines domare coepisse narrat. — indomitas inter equas. Infra II, 4, 57: *indomitis gregibus Venus afflat amores.* Ratio loci satis docet ad libidinem equarum insignem et indomitam pertinere epitheton, quam Virg. Georg. III, 266. describit: *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum*, et quae sequuntur. Atque ita iam Vulpius intellexit. Est igitur epitheton ex eorum genere, quae perpetua dicimus, minime tamen hic otiosum. Saepe enim moneo vigorem orationis eximie adiuvari et augeri oppositionibus nervosis, quibus res et genera rerum significanter distinguantur; atque ita etiam hic illatum in tertio membro proprium equarum epitheton denuo erigit vim orationis, quae nisi novis subinde additamentis aucta, in enumeratione rerum facile decrescit. Hinc est quod placent talia. — V. 72 sqq. audaces. Cum gradatione. Atque etiam virorum audaciam domat. — detraxit opes; neque enim parcit iis iuvenis amore captus. Sic evanescunt antequam sentiat. —

iratae absolute, ut *securae* II, 4, 50., *tenero* I, 8, 51., ubi vide HEYNIUM. Ipsum verbum *irata* similiter positum habes ap. PROPERT. I, 9, 22. III, 8, 28. — ad iratae. Notanda etiam positura praepositionis, illustrata a WUNDERLICHIO ad Virg. Aen. IV, 257. Adde VIRG. Eclog. VI, 19. OVID. Trist. V, 2, 75. atque habetur res etiam in prosa oratione hic illic, ut CORNEL. NEP. Conon. II, 2. ibiq. BREM. Conf. RUDDIM. Gr. II, p. 335. RAMSHORN. p. 380. — verba pudenda, cum senem non deceat amor, cf. I, 2, 95. — V. 75 sqq. Puella e cubiculo veniens per atria et porticus, transgressa custodes dormientes, hoc enim est iacentes, iuvenem foribus reseratis recipit, cf. ad I, 9, 43. — praetentat iter. OVID. Ib. 261. SENEC. Oed. 657. — Explorat cui manus vias, h. e. explorante simul manu vias. Nervosa haec copulatio per pronomen relativum, ubi aliquid *simul* est, vid. ad II, 3, 43. Ceterum conf. OVID. Met. X, 455: *altera* (manus) *motu caecum iter explorat.* VIRGIL. Moret. 6: *Sollicitaque manu tenebras explorat.* Ad totum locum comparat VULPIUS ambulantem caute in tenebris amatorem ap. OVID. Fast. I, 425: *Surgit amans animamque tenens, vestigia furtim suspenso digitis fert taciturna gradu.* — Perlectis singulis de compositione totius loci, quem vidimus, restat ut moneam. Nempe descripsit vim Amoris scite per gradationem. Amor post pecudes coepit homines domare, et puellas et fortiores puellis viros. Observa nunc, ut hinc inverso ordine pergat descriptio per gradus. Domat deus iuvenem fervidum ut opes profundat, et haec quidem facilior opera; sed domat etiam senem, ut ad humilia verba descendat ante ianuam amatae; postremo impellit ipsam adeo timidam puellam, ut noctu per custodes obviam veniat amanti. Vides quam suaviter haec adornata sint. — V. 79 sq. Ah miseri, quos hic graviter deus urget! De vehementia amoris MITSCHERLICHIUS capit verba ad Horat. I, 19, 9. ut VALCKENARIUS ad Hippolyt. 443. aliique. Sed bene HEYNIUS: „*urget* potens verbum et efficax aut de maiore vi, cui resisti nequit, ut si Phoebus urget vatem, si furor Bacchicus ingruit mentibus, aut de malis, a quibus respirandi nullus locus nec tempus est, petitum illud a vento graviter incumbente et ingruente.“ Quare ego hoc loco explicui: miseri, quibus asper est deus et dolores graves affert ex

fastu aut perfidia puellarum; hoc enim, si Tibulli universam poesin considero, necesse est voluerit dicere, qui ubique aerumnas non secundi amoris tractat, nusquam nimium affectum per se queritur. Sic conferas ad locutionem propositam SENEC. Octav. 257: *gravi deorum nostra iam pridem domus urgetur ira*, et quae similia. — placidus leniter. De hoc genere cumulatae orationis vide ad I, 5, 65. Porro leniter afflat est: lenem et secundum ventum praebet felicemque cursum. Sic infra II, 3, 71: *quibus adspirabat Amor* est: quibus propitius erat. Omnino comparatio venti secundi et adversi frequens, ubi de amoris fortuna agitur. Sic HORAT. I, 5, 6: *aspera nigris aequora ventis* dicit et *auram fallacem* ibid. v. 11. Vide etiam PROPERT. II, 25, 27. et 12, 7. ne plura laudem in re notissima. Atque haec quidem nunc res est, ut vidit etiam HEYNIUS. Distinguamus vero alium usum v. *afflare*. Dicitur Amor, Venus etiam sensus amatorios et cupiditates afflare, inspirare, ut HEYNIUS notat. Huiusmodi est locus infra II, 4, 57: *ubi indomitis gregibus Venus afflat amores*. OVID. Met. X, 313: *Stipite te Stygio tumidisque afflavit Echidnis E tribus una soror*, h. e. tibi amorem hunc tuum excitavit. Quemadmodum alias saepe poetae spiritu divino dicuntur afflari. Idem usus in Graecis. THEOCR. XVII, 51. de Berenice: *πᾶσιν δ' ἤπιος ἅδε βροτοῖς μαλακῶς μὲν ἔρωτας προσπνείει, κούφας δὲ διδοῖ ποθέοντι μερίμνας*. APOLLON. RHOD. III, 936: *ἔῤῥοις ὦ κακόμαντι, κακοφραδές, οὐδέ σε Κύπρις οὔτ' ἀγανοὶ φιλέοντες ἐπιπνείοσιαν Ἔρωτες*. — V. 81 sqq. veni dapibus festis, veni ad has dapes praesentes et tuam etiam partem recipe. Suaviter sic Tibullus pertractata laude ruris ad praesens festum cogitationem revocat. — faces Cupidinis notissimae, cf. OVID. Amorr. III, 9, 8. Remed. 140. — procul hinc precor abde. Recte. Inepta nunc, quae legitur in quibusdam, repetitio *procul — hinc procul abde*, nescio quem repentinum affectum inferens. — celebrem, plurimum cultum et invocatum ab hominibus. HORAT. II, 12, 20: *Diana celebris* est religiose culta. OVID. Met. I, 747. Isis *dea celeberrima* audit. — pecorique vocate voce, ut feturam copiosam det. Ac *vocare voce* est: palam vocare, non tacite et tecte, sed quod vulgo dicunt: clara voce. VIRG. Aen. IV, 680. VI, 217. XII, 638. Adde cum HUSCHKIO *voce precari* Virg.

Aen. IX, 405. qui etiam Graecum καλεῖν βοᾷ comparat. — palam pecori. Repetit alio verbo quod modo dixerat, propter sequentia, quae addere vult. Ergo sensus: palam, inquam, pecori vocate, clam vero sibi quisque. Hoc ultimum vero bene observat Heynius nunc ad pudorem amantium pertinere, vota sua non palam fatentium nec in vulgus efferentium, cf. IV, 5, 18. ibique dicta. Cum tamen dii imprimis palam invocati audirent, vid. Voss. ad Virg. Georg. I, p. 159., statim suaviter addit: Aut etiam sibi quisque palam; etiam sic non poterit audire alius praesentium aut contrario voto nocere, cum turbae iocosae strepitus et cantus tibiae obstrepat. — Phrygio tibia curva sono est tibia Phrygia e buxo facta cornuque curvum, κώδωνα, affixum habens, cum aliae rectae essent. Laudat Heynius Gronov. Observatt. I, 17, p. 142. Burm. ad Ovid. Met. III, 533. Vulp. ad Catull. LXIII, 22. et h. l. Brouckhus. Adde Voss. ad Virg. Eclog. VIII, p. 402. Georg. II, p. 348. Utebantur ea Romani in sacrificiis et in epulis ut hic. Sonus erat gravior. — Iam praeparatus est exitus.

V. 87-ad finem. Exitus carminis. Ludite dum nox veniat iamiam imminens.

V. 87 sqq. Nox dea vulgo bigis vehitur notante Brouckhusio, ut ap. Virg. Aen. V, 721. Valer. Flacc. III, 211. Lygdamus tamen infra III, 4, 17. quadrigas laudat. Currum sequuntur sidera, Theocrit. II, fin.: ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοί, et Eurip. Ion. 1150: μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ, ubi quod funibus non alligati sunt equi, ad picturae rationem refer, quae talia ut πάρεργα omiserat. Porro liberi Noctis sunt sidera apud posteriores maxime, ut in Orph. Hymn. 6, 5: Ἀστέρες οὐράνιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης. Ceterum notarunt haec Brouckhusius, Vulpius, Heynius, nec non ad Aeschyl. Choeph. 658. Stanleius. — fulva. Suave hoc epitheton additum post Noctis mentionem, quae nigra. De vi poetica oppositionum saepe moneo. Ceterum sic *fulvus Olympus* Valer. Flacc. VII, 158. — choro. De choreis siderum, ut dicebant motus eorum caelestes, nota omnia, cf. Soph. Antig. 1146. Lucian. de Saltat. c. 7. et alios locos a Dousa hic et Livineio et Vulpio notatos. lascivo autem est

de laeto, agili motu saltantium veluti OVID. Met. III, 685. notante HEYNIO. — Porro Somnus alatus fingebatur, ut SIL. IT. X, 345. 356. Vide plura apud BROUCKHUS. h. l. et PASSERAT. ad Propert. I, 3, 45. et HEYN. h. l. — fulvis alis. Aut *furvis* aut potius *fuscis* legendum patet. — Somnia nigra, ut OVID. Fast. II, 662. EURIP. Hecub. 72: *χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων*, laudantibus aliis. — incerto pede, propter inconstantem, levem, lubricum, lapsabundum motum imaginum animo obversantium in somniis ad deos hosce translatum. Ac cum Somno alas tribuerit, quod noluit idem hic tribuere etiam Somniis, in eo variationem suavem agnosces. Postremo HEYNIUS totum locum eo nomine reprehendit, quod cumulatae sint personae symbolicae. Sed consulto, credo, dedit poeta ornatum exitum festo diei. Quare quod lusus feriatorum excipiunt siderum Noctis currum comitantium choreae, appropinquatque Somnus tacitus cum Somniis, orbem ipsamque praesentem turbam amplexurus, quid fingi potest pulchrius dictum? Nimirum cumulatio inepta est ubi aliena, at pulchra ubi aptus est ornatus maior. Ac cumulationem aptam vide etiam in epithetis ultimis, *tacitus*, *furvis* s. *fuscis*, *nigra*; nam silentium tenebrarum, ait, opprimet mox lucis festae strepitum.

E L E G I A II.

INTRODUCTIO.

Cerinthus, amicus Tibulli, cuius verum nomen ignoratur, idem fuisse videtur, quem in quarto libro a nobili puella Sulpicia amari videbis, ubi in Introductione ad illa carmina iterum de eo diximus. Et nunc quidem iuncto cum Sulpicia, ut videtur, matrimo-

nio, primum suum post nuptias natalem celebrat, Tibullus autem, qui haud dubie aderat festo, attulit amico hanc elegiam, quemadmodum alio tempore Messalae solemnia natalitia cecinit. Est elegans carmen etsi breve, et discas hic quod quartus liber pluribus te exemplis docebit, etiam a minoribus carminibus boni poetae non abesse concinnitatem compositionis. Dividitur elegidion tribus partibus. Primum enim indicit poeta sacra et advocat deum festi Genium, quod exordium est, secundo loco vota Cerinthi tractat, quae pro fido amore coniugis esse non dubitat, postremo ex omine fausto rata fieri vota nuntiat et ipse etiam felix coniugium prolemque precatur amico, qui exitus est carminis. Vides indictione sacri, votis, eventu votorum nuntiato pulchre ita absolvi cursum carminis, ut nihil addi possit quod desit.

EXPLICATIO.

V. 1-8. Exordium. Indicitur sacrum.

V. 1 sq. Dicamus bona verba. Male GRONOVIUS ad Liv. XXXVIII, 43. iunxit ut MURETUS: dicamus bona verba ad aras, quod etiam HEYNIUS secutus est; sed solemnes hae formulae: *favere linguis*, *bona verba dicere*, notante etiam HUSCHKIO absolute et sine tali additamento usurpantur. Editiones fere omnes: venit Natalis ad aras, quod revocavit LACHMANNUS postulante etiam VOSSIO et HUSCHKIO. Ac comparat BROUCKHUSIUS infra II, 5, 6. et OVID. Heroid. XXI, 157. Tu vide maxime infra IV, 5, 11. ubi die natali Cerinthi Sulpicia Genio: *Quodsi forte alios iam nunc suspirat amores* (Cerinthus), *tu precor infidos, sancte, relinque focos.* Putabis autem nunc *aram* cespitiam in atrio factam. OVIDIUS Trist. V, 5, 9. sacra natalitia dominae suae describens, *Araque*, ait, *gramineo viridis de cespite fiat*, *et velet tepidos nexa corona focos.* IUVENAL. XII, 1: *Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux, qua festus promissa diis animalia cespes exspectat.* Collat. MITSCHERLICHIO ad Horat. IV, 11, 6. — Porro

Natalem non differre a Genio recte contra HEYNIUM monet WUNDERLICHIUS; manifesto promiscue usurpatur utrumque nomen et in hoc carmine et infra IV, 5. ut supra I, 7, fin. — vir mulierque. Familiae plures amicae venerant ad hoc festum. — V. 3 sq. urantur odores. Praeter tura, quae legitima in his sacris, solebant illo tempore, ait HEYNIUS, etiam aliae res odorae in ara adoleri, ut croci flos v. c. OVID. Fast. I, 76., cinnamomum et casia, quae diis per singulas micas dantur, ut dicit PLIN. XII, 18, 41., porro nardi folia et spicae, alia. Adde VULPIUM. — Quos mittit Arabs. *Mitti* dicuntur merces peregrinae ut constat, cf. HEYNIUS ad III, 2, 23. et BURMANN. ad Ovid. Art. Am. III, 213. — e terra divite, copiosa et feraci rerum optimarum. — tener, h. e. mollis, ut vulgo audiunt Arabes, cf. VIRG. Georg. I, 57. CATULL. XI, 5. MANIL. IV, 652. aliosque locos a BROUCKHUSIO allatos. Neque vero otiosum est epitheton, sed cum pretiosos, eximios odores significare velit, ex Arabia divite advectos dicit, ubi molles homines bonitate soli, suavissimorum odorum feracissimi. — V. 5 sqq. Ipse suos adsit Genius etc. Supra adventantem deum praesagiens dixerat: *venit*, *veniet Natalis;* nunc paratis donis praeclaris precans ut ratum fiat quod praesagiverat, pergit: ipse agedum adsit. Quare nulla hic est repugnantia. Non assentior vero WUNDERLICHIO, qui sic explicat: Poeta postquam dei adventum supra praesagiverat, hic optat ut sit ornatus. Hoc enim in sequentibus demum additur; hexameter nihil de ornatu habet. Denique lectionem quod attinet, codicum auctoritas *Genius adsit* praebet, quod HUSCHKIUS exemplis defendit. Vide maxime SCHNEIDER. Gramm. Lat. Tom. II, p. 745 sqq. laudatum iam supra. Nihilominus mirum quod non scripsit: *adsit Genius*, si ratio sententiae est ut supra explicui. Sic enim vis potior erit in verbis: *ipse* — *adsit*. — Cui decorent etc. Similia haec et sequentia iis sunt, quae supra I, 7, 51. 52. legimus, sed tamen non plane eadem, quod nolim te fugiat. Illic sensus erat: venias laetus, laeto ornatu, hoc autem loco: veniat Genius festo ornatu, atque huc revocata epitheta sunt atque alia diversa in his locis. Igitur cum supra dixerit: *et capite et collo mollia serta gerat*, nunc maluit: Cui decorent sanctas florea serta comas; neque enim dubito hic *florea*

praeferre, ut illic *mollia* rectius positum. Sic illi loco melius convenit *collum cum capite* redimitum sertis, huic vero *sancta coma*. Atque haec hactenus. — purum nardum post Is. Vossium ad Catull. p. 267. observante Spanhemio ad Callimach. Hymn. in Apoll. 38. est tenue et simplex oleum nardinum, cum contra unguentum crassum esset et mixtum. Assentiuntur Brouckhusius, Heynius, Huschkius. Quod enim Bernardinus Cyllenius genuinum, non adulteratum oleum explicat, inutilis maxime et ieiuna haec esset poetae observatio, quia per se intelligitur non convenire deo aliud. Illud autem epitheton naturam olei nardini indicat, et ex eorum genere est, quae perpetua dicuntur. Simul tamen observa ut minime hic otiosum sit; nam respondet optime consilio loci etiam hoc, quod pretiosum, nobile genus olei designatur. — destillent, tam large delibuto capite ut guttae cadant. Sic Callimach. l. cit.: *αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια*, et quod praeterea Heynius addit ex Hymn. Hom. in Vest. 3: *Αἰεὶ σῶν πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον*. — Denique Vossius mavult: *illius et* e quibusdam, ut mollior sit iunctura et versus. Difficile est in talibus ubique verum eligere, quamquam hic quidem meliorum librorum auctoritate copula respuitur, et asyndeton ut gravius praelatum videtur. — V. 8. Atque satur libo sit etc. h. e. atque honoretur epulis largis et sint omnia digna festo. — libo, cf. ad I, 7, 54. — madeatque mero. Non de ebrietate cogitandum, sed de largo haustu vini, notante Wunderlichio ad II, 1, 29. Ceterum de Genii cultu dictum ad I, 7, 51.

V. 9-16. Media pars carminis. Quae sint vota Cerinthi.

V. 10 sqq. En age, quid cessas? Nisi fallor, adumbratur ille pudor modestus Cerintho proprius, quem in quarto libro amplius observabimus. — annuit, praesens in re certa pr. haud dubie annuet. — uxoris. Brouckhusius, Vulpius, Heynius futuram uxorem intelligunt, ut Virg. Aen. IV, 35. 536. *mariti* sunt proci, et Aen. II, 344. *gener*, aut Pindar. Ol. VII, 4. *γαμβρός* dicitur qui futurus. Sed hoc recte refutavit Vossius: primum enim mulieres et viros amicos venisse ad haec natalitia concelebranda v. 2., deinde in fine progeniem largam expeti votis, quibus rebus plane constet uxorem habuisse Cerinthum. — Iam reor etc.

h. e. tam saepe enim et ardenter expetis hanc rem tacitis precibus a diis, qua nihil magis tibi cordi est, ut ipsi dii memoriter teneant votum. — V. 13. Nec tibi malueris etc. Observabis iterum διχοτομίαν adhibitam ut toties; nam arva et gemmas nominat. valido bove, explicante Vossio, non malueris quaecunque pinguia arva arantur per orbem; talia enim validum bovem requirunt et fortem aratorem. — gemmarum quicquid felicibus Indis nascitur etc. Est *felicibus* pr. divitibus. Porro monet Vossius Oceanum orientalem circa Indiam et Arabiam intelligi, qui ruber esse credebatur ex vicinia orientis ibi solis. In littus autem eiici putabant undis lapides pretiosos, margaritas, gemmas, smaragdos, quos Indi colligerent. Vide locos notatos supra ad I, 1, 51. Sic Curtius VIII, 9, 19. dicit: *Gemmas margaritasque mare littoribus infundit.* Confer de gemmis (*Edelsteinen*) etiam infra ad IV, 2, 19. —

V. 17-ad finem. Exitus. Rata fore vota.

V. 17 sqq. Vota cadunt, h. e. eveniunt, cf. ad I, 6, 85. Unde vero, dices, novit hoc nisi signo dato? Veluti supra I, 5, 57. ait: *Evenient, dat signa deus.* Add. II, 1, 25. Recte. Videamus ergo sequentia. — utinam strepitantibus advolet alis etc. Ita habet lectio librorum. Sed quid hoc est? Rationem requirimus, unde concludat poeta rata fore vota, nunc autem novum votum facit, quod cui non praeter exspectationem venit sic repente subiectum? Deinde ieiune dicitur: utinam celeriter strepitantibus aut trepidantibus alis advolet Amor. Ne multa; pulchra videtur coniectura Gyeti et Heinsii *viden ut*, probata Brouckhusio, Vulpio, Heynio, Vossio, Huschkio et omnino plerisque omnibus. Legitur infra II, 1, 25. et satis nota est formula. V. *strepitantibus* Itali in *trepidantibus* mutarunt, quod est notissimum agilitatis et festinationis verbum, cf. Gronov. ad Liv. XXVII, 1. Et placuit hoc vulgo etiam propter *viden ut*. Sed defendi potest lectio, ut mox dicam. Usus est voce Tibullus etiam II, 5, 73. Et habet nescio quid praeter solitum laeti locutio (*mit rauschendem Flügelschlag*). Denique Flava vincula sunt ardentis et constantis amoris symbolum. Nam quod satis constat, flavus color ut omnino laetitiae, ita nuptiarum erat, notantibus interpretibus vulgo. Hinc croceo amictu velatur Hymenaeus Ovid. Met. X, 1., ubi cf.

Gieric., et socco luteo idem utitur Catull. LX, 10., sponsae vero flammeum gerebant. Adde Plin. XXI, 8. — Sed dicendum nunc de phantasmate ipso. Secundum Vossium aderat in domo Cerinthi prope Genii signum Amoris volantis simulacrum, vinculum flavum gerens. At enim primum permira est compositio Genii et Amoris ad focum, qualem vix aliunde probaveris, deinde ominis notio postulat, ut aliquid nunc fiat; nunc autem hoc signum iam ante stetit isto habitu ad focum. Ne multa; tota res est visum, phantasma poetae, veluti supra I, 5, 57. dicebat: *dat signa deus.* Gerit autem nunc Amor taeniam flavam; nam taeniam etiam eroticum fuisse ornamentum docuit Welckerus in Ephemeridd. scholasticc. Darmstadt. 1831. Part. II. nr. 84. Et quidni simul strepitum sibi visus sit audire volantis, veluti Catull. XLV. *sternuit Amor?* Non obstabit *viden ut*, quod ad totum phantasma refertur. — V. 21. 22. Cum in libris sit *hic*, *huc*, *haec*, tum *veniat* vel *veniet* et *avis*, Lachmannus edidit: *Hic veniat Natalis avis,* comparans Anthol. Lat. III, 260, 6. ubi de Venere: *constituat patres et cito reddat avos.* Sed ita displicet quod sequitur: *prolemque ministret*, et iniucundum hysteronproteron exsistit. Quare redeo ad elegantem coniecturam Heinsii: *Hac avi*, ceterum cum Huschkio *veniat* et *ministret* retinens, quae verba idem sine necessitate in *venias* et *ministres* mutavit. Igitur dicit Tibullus: Hoc fausto omine veniat Natalis, suaviter ad Amorem advolantem alludens, ac falsus est Wunderlichius censens repugnare his verba: *viden ut* v. 17. pro quibus propterea *utinam* revocavit. Non dicit vero Tibullus: hac avi ventura, quemadmodum Wunderlichius accepit, sed hac avi praesente. — Ad ultimum versum: Ludat et ante tuos turba novella pedes Huschkius comparat Hom. Il. V, 408: *οὐδέ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.* Est enim *tuos* ad Cerinthum referendum procul dubio, quod Heinsius *venias* et *ministres* scribens de Genio intelligendum putabat. Sed Huschkius proponit *ludat ut*, de quo ei assentior. Suavior et magis poetica est alias altera iunctura, de qua Huschkius supra dixit ad II, 1, 64; sed in hac mutatione subiecti durior copula *et*, nervosior finalis particula *ut*.

ELEGIA III.

INTRODUCTIO.

Dolendum est elegiam non infimam inter Tibulli carmina lacunas habere, quamquam vel sic non obscura est eius ratio. Nemesis, alter amor Tibulli, cum homine divite, qui cum olim servus fuisset, deinde libertatem nactus magnas opes ex praeda bellica sibi paraverat, verno quondam tempore, circa ambarvalia credo, in agros discesserat, ut in villis eius aestatem degeret; quo facto Tibullus adspectu et usu puellae carissimae privatus graviter doluit et hoc carmen scripsit, dedicatum amico Cerintho, compositum vero haud dubie ad Nemesim commovendam. Accipe singula. Querens abiisse puellam, ipse etiam in agros virentes properare vult, ubi iam Venus et Amor versantur, et labores rusticos paratus est ibi ferre etiam duros, si modo dominam sic adspicere possit. Nam olim etiam Apollo boves Admeti pavit amore devictus et ad infima negotia descendit. Ipse deus vaccas stabulis expellebat nec erubescebat vitulum per agros ferens relictum; fertur coagulationem lactis docuisse et fiscellas detexuit. Nec cultus corporis manebat pulcherrimo deo, et pro templis splendidis in casa parva pastoritia habitabat. Isto enim tempore felici nihil maius amore habebatur, nec ipsos deos pudebat aperte Veneri servire. At nunc, pergit poeta, ferreum saeculum est, nec amor sed praeda laudatur, licet res multa mala habeat. Inde enim bella orta sunt terra marique. Redux autem domi miles praedator latifundia coemit ovibus pascendis, ubi melius homines viverent, et in urbe domos magnas exstruens transvectione saxorum immanium vicinos terret ne corruant, mare autem molibus septum pisces servare cogitur gulae. Atque etiam puellae, eheu, captae sunt luxuria et opes Venus cupit. Nec Nemesis mea frugalitatem amat et sim-

plicem cultum, at Coas vestes et mancipia Aethiopica et colores selectos si praebeam, gratior sim. Talia enim amant, talia qui offert, regnum tenet, etsi vilis homo sit, uti nunc Nemesim homo cepit ex praeda dives, saepe olim inter mancipia venditus. Vobis autem, rustici dii, qui nunc copiis vestris allectam abducitis ex urbe puellam in ditem villam, devota sunto munera vestra et pereant potius, ne rure puellae sint; meliora olim tempora fuerunt, cum glandibus et aqua viverent homines in pellibus, at amoris gaudia libere Venus praeberet, nec custos et ianua excluderet amantem. Nunc autem quid prodest mihi toga elegans, si non video puellam? Immo mitto haec; abducite me in servitutem, opus rusticum faciam in agris dominae, ut interdum saltem fruar eius adspectu. Ita Tibullus. Apparet ex hac enarratione argumenti apte et pulchre cohaerere omnia et vere poeticam esse compositionem elegiae. S e r v i r e v u l t a p u d d o m i n a m: hoc est thema carminis, enuntiatum statim in e x o r d i o et repetitum in e x i t u; nam inter formas suaves elegiarum etiam haec est, ubi summa sententia, posita in exordio, redit in fine. In m e d i o autem c a r m i n e videmus *tres partes rerum. Primum* laudat mythicae aetatis morem, cum amor primas ubique teneret, atque etiam dii honores et domos suas relinquerent et ad infimam conditionem descenderent propter amorem. *Tum* opponit et exagitat praesens saeculum et hodiernam luxuriam et avaritiam, ubi pretio venditur amor et is puellam habet qui maxima dona fert. *Postremo* ad priscae simplicitatis laudem redit ab alia tamen parte nunc tractatam et amoris liberum usum praedicat in tenui tum victu cultuque. Nimirum amore nihil est maius atque praestantius; huic honores, divitiae, gulae voluptates, alia omnia posthabenda, pro hoc molestiae, labores omnes tolerandi: ita res fuit in mythicae aetatis simplicitate, atque ita etiam nunc Tibullus sentit. Cum igitur servire velit apud dominam, in medio carmine illustrat et exornat hanc ipsam ideam amoris pro summo fine omnia tolerantis, qua ductus et ipse paratus est tolerare omnia, nec potest reperiri melior unitas rerum. Simul magna est concinnitas structurae. Ut enim exitus ad exordium redit, sic in medio carmine tertia pars ad primam; haec igitur est forma carminis exquisita: A B C B A, de qua etiam in Dissertatione de Poesi

Tibulli dictum ut de aliis. Habes rationem elegiae. Quaero nunc, quid hac tractatione argumenti sit aptius, quid insit quod alienum iure dici possit? Mirari igitur satis non possum, qui factum sit ut de unitate elegiae dubitaretur. De Scaligero non dicam, Heynius autem ad v. 33. scribit: „Dissident haec prorsus a superioribus sententiis et numeris. Antea de puella in rus abducta, nunc de avara agitur et ab amatore divite abducta. Non itaque unius carminis partes esse potuere.“ Non indicavit Vir summus quomodo haec sibi repugnent. Si mores diversos Nemesis putavit exhiberi, non est hoc factum, nec quod in principio breviter poeta dixit ruri teneri puellam, deinde vero innuit amatorem divitem esse qui abduxerit, ullam offensionem habet, sed bene et recte est institutum et factum sexcenties similiter in poesi, fecitque alias ipse Tibullus, ut in Explicatione monui. Sin ironiam et sarcasmum in media parte regnantem pugnare Heynius credidit cum reliquarum partium tractatione, etiam hoc breviter refutavimus in Annotatione, et oblitus est Vir egregius toties alias a se laudatam in Tibullo pulchram varietatem affectuum. Tamen haec res nuper Vossium eo audaciae adduxit, ut primam et tertiam partem elegiae iterum continua serie coniungeret ut Scaliger, mediam vero a v. 33-60. eximeret et aliud novum carmen esse decerneret. In quo secutus est Bachius. Quid igitur? Unum non est carmen, quod oppositionem pulcherrimam habet mythicae aetatis et hodiernae, amoris et avaritiae ac luxuriae? Divellamus igitur etiam carmen XIII. libri III. apud Propertium, ubi similiter de avaritia hodierna puellarum dicitur et de simplicitate prisca agrestium, atque ut Propertius unde orsus est in principio, eo in fine redit, sic Tibullus de mythica aetate in principio dixit et in fine, in medio autem collocavit locum sarcasticum de hodiernis moribus. Quae variatio suavissima est, cum contra ex Vossii ratione eodem usque themate nos fatiget poeta. Sed quid multa? Mythici temporis amores propterea data opera praedicantur, quia opponitur hodiernae pravitatis reprehensio, dempta vero hac opposita parte etiam ceterarum rerum vis minuitur, et pessumdatur elegia, quae nunc ex diversis apte composita partibus placet. Satis de his. Restat unum ut moneam. Etenim quamquam compositionem elegiae omnino egregiam dico et vere poeticam, insunt tamen aliquot

loci, qui non videntur ultimam manum poetae experti, cum hic liber post mortem Tibulli editus sit. De his dictum in Explicatione; ad unitatem vero carminis convellendam talia non pertinent.

EXPLICATIO.

V. 1-10. Exordium. Cum Nemesis in rus abierit cum amatore divite, Tibullus non sustinet manere in urbe, sed servire vult apud dominam in agris.

V. 1 sqq. Rura villaeque. Non inutilis cumulatio. Recte disertius designat causam carminis. Ceterum abductam puellam a praedatore divite infra demum significatur; in principio brevius loquitur, ut fert poeseos ratio, quae non ab ovo initia sua ducit. Sic eleg. I, 1. in principio simpliciter recusat in bellum ire, versus finem autem carminis discimus a Messala poetam invitatum. — Ferreus est etc. Explico: Heu, non sustineo manere in urbe; ferreus est qui in tali casu remanere in urbe possit. Pro quisquis Vossius scripsit *si quis;* sed loquuntur hyperbolice, qui in affectu sunt. — Ipsa Venus etc. Interpretantur: Absente Nemesi etiam Venus cum Amore abest, abiit cum puella omnis gratia et venustas. Perperam. Quid enim est iam nunc? Tu ita mecum intellige: Vernum tempus erat, Aprilis opinor mensis; constat autem vere in agris Venerem versari, cf. Horat. I, 4, 5. et quae ibi Mitscherlichius laudat. Iam quid suavius hoc sensu: Quis in urbe maneat procul ab amata, cum ipsa Venus iam excesserit in agros et Amor inter rusticos versetur? Nam Amor rustica aratoris verba discens est qui degit inter rusticos et hos etiam loqui sermones et susurros amatorios docet ipsorum lingua, quam discit. Quis igitur ab agris abesse possit, ubi omnia iam amorem spirant? latos quod dixit agros, Vossius ita explicat, ex angustiis urbis in amplos Venerem discessisse agros, nec repugno et mutabo lectionem, quamquam eximie placet *laetos* a Mureto repositum, h. e. non ut ille voluit inepte, exhilaratos

praesentia Nemesis, sed virentes, quales sunt verno tempore. Ac virentes etiam Huschkius interpretatur, quamquam non cogitans de nostra totius loci interpretatione. Notum vero *latus* et *laetus* solemniter confundi in libris, vid. Burm. ad Ovid. Epist. XII, 46. Atque haec quidem de epitheto. Ad v. 4. ab Heynio comparatur Amor arans apud Moschum atque etiam in gemmis passim; at non hic sensus ibi subest, sed potius ad amatorem alluditur qui, ut mox Tibullus faciet, rusticos labores non recusat propter puellam. Postremo ad totum locum cum aliis confer imitationem, quam elegans poeta Hercules Strozza habet libr. I. Amorr. eleg. 1. „Rura peto valeatque forum valeantque sodales; Et Venus et Veneris cessit in arva puer. Pascit Amor pecus, at numerum Cytherea recenset; Vomere dura gravi iugera findit Hymen. Et dominam mirantur oves, dominumque volucrem, Vicinasque rudis combibit agna faces. Plus solito petulans aries salit, ictaque tellus Sentit aratori numen inesse suo.“ — V. 5 sq. cum adspicerem. Temere Vossius *ut* scripsit, nec arridet *dum* etiam ab Huschkio aliisque repositum, immo rarior iunctura huius particulae cum imperfecti coniunctivo, scriptoribus ubi fieri potest fere *cum* praeferentibus. Igitur teneamus *cum*. Nempe non sic ad unum idemque momentum temporis pertinere vult Tibullus verba *adspicerem* et *versarem*, quasi nonnisi inter labores, inter calores solis adspicere ruri cupiat dominam, quod esset *dum adspicerem*, cf. Virgil. Georg. IV, 457., sed latior est necessario sensus. Cum ruri versans, ait, adspicerem subinde dominam, quam fortiter pro hac felicitate durissimos labores subirem (*während ich zu Zeiten schaute die Herrin, wie tüchtig wollte ich übrigens arbeiten*). Atque hoc praestat particula *cum*, differens hoc ipso nomine a *dum*. Sic Tib. I, 10, 15: *aluistis et idem, Cursarem vestros cum tener ante pedes*, non poterat bene dici: *cursarem vestros dum tener ante pedes*, quasi puerum nonnisi inter cursum aluerint. Nec v. 7. ibid. dixit: *nec bella fuerunt, Faginus adstabat dum scyphus ante dapes*, quod ineptum fuisset, sed *cum*. Recte vero *dum* hic statim paullo post v. 19. legitur. Haec hactenus. — Versarem solum ad vineas traham cum Vossio, quae saepius vertebantur bidente, a multis ter, ab aequinoctio verno, a Vergiliarum exortu sub initium Iunii, et Canis ortu nigrescente

acino PLIN. XVII, 22, s. 35, 17. COLUM. IV, 27. 28. XI, 2, 44. 55., ab aliis etiam pluries, cf. Voss. ad Virg. Georg. II, p. 406 sqq. Quod vero idem Vir doctus hic de solis Canicularibus diebus cogitat, aestate demum Nemesim rus discessisse censens, in eo fallitur; abiit vere. Denique pingue solum optimum vino, cf. COLUM. III, 1. Voss. ad Virg. Georg. II, p. 358 sqq. — V. 7. 8. sectarer aratrum. Iterum male VOSSIUS nonnisi de auctumnali circa aequinoctium aratione cogitat, tu etiam vernas arationes intelliges, ut cum post Aprilem ager iteratur. Sequi vult poeta Nemesim ipso vere. — curvum propter burim, ut constat, cf. VIRG. Georg. I, 170. At uncum, aduncum aratrum dicitur propter vomerem. — steriles boves, testiculis demessis, et si feminae erant, vulva extracta, ut notat VULPIUS. At enim nonne otiosa sunt haec epitheta *curvus*, *sterilis*, et solius ornatus poetici causa posita? Non credo. Addita sunt, ut ipsa vulgaris harum rerum ratio describeretur. Plane ut agricola vulgo curvum aratrum suum sequitur, quod steriles boves trahunt, sic ego, ait, si modo dominam interdum viderem. *curvus*, quod VOSSIUS recepit et BAUERUS, sperne. Quid enim? Crassius ita poeta exprimeret hoc ipsum, quod explicata modo epitheta elegantius innuunt et quantum satis. — Dum subigunt, suaviter pr. dum subigerent. Constructionem particulae *dum* cum praesenti tempore, ubi alterum verbum praeteritum, exemplis illustravit VOSSIUS ad Virgil. Georg. IV, p. 620. HEINDORF. ad Horat. Sat. I, 5, 72. et quos hic laudat. Adde maxime HEINRICH. ad Ciceron. Orationum Partes ineditas p. 75 sqq. Suavissimum hoc etiam hic, ubi rem ut fit quasi ob oculos atque in conspectu nostro ponere vult. Atque hinc nunc etiam indicativus est à poeta positus ut in viva imagine rei, licet hypothetica sit cetera constructio, ubi coniunctivum exspectaveris, quemadmodum is in obliqua oratione vulgo ponitur post *dum*. Sed etiam in hac TACITUS quidem indicativum habet, cf. ERNEST. ad Hist. III, 38. Frustra igitur VOSSIUS *subigant* scripsit omnibus libris invitis. Nec HUSCHKIO assentior qui explicat: agricolae modo, s. sicut agricola aratrum sectatur dum subigunt boves, callide sic hypotheticam constructionem summovens. Pulchrius vero haud dubie ad ipsius Tibulli arantis speciem quam ad agricolam comma revocatur. Ceterum cum GRONOVIUS ad Liv.

I, 40. et XXXV, 8. et Heindorfius ad Horat. l. cit. male contendunt *dum* pr. interim dum semper et ubique cum indicativo praesentis iungi, bene exemplis hoc refutavit Huschkius ad v. 19. infra. Adde Heinrichium l. cit. —

V. 11-32. Medium carmen. Pars prima. De Apolline serviente apud Admetum.

Descriptionum nulla apud Tibullum, quotquot sunt, sine lege composita est; diximus de his legibus in Dissertatione de Poesi Tibulli cap. II. Quaeritur igitur etiam hic, qua divisione rerum usus sit poeta, nec sine causa nunc hanc quaestionem movemus. Habet descriptio sequens introitum v. 11-14. antequam ad singula descendat, et epiphonema v. 29-32. Quaenam vero in ceteris lex compositionis? Neque enim satis est varias res narrare; debent eligi quae totum suaviter efficiant. Videbis autem primum dici de negotiis rusticis dei, deinde afferri habitum corporis neglectum, inornatum caput crinesque solutos, denique habitationem in parva casa commemorari. Sunt igitur manifesto tria momenta vi paria, quibus descripsit pastoritiam conditionem Apollinis, ac liquet eum commode sic complexum esse totum. Reliquit deus munera divina, deposuit formae decorem, incolit humilem casam, in templis illustribus qui habitare posset: quis neget haec esse potiora discrimina, quae distinguerent pastoritiam vitam a divina? Hactenus igitur bene factum; sed non dicam hoc de singulis omnibus. Initio descriptionis lacuna est, non sane poetae culpa; tum vero sequuntur quattuor disticha v. 17-24. ubi bis anaphoram miro modo usurpavit. Cum enim anaphora accuratam divisionem rerum postulet, quonam iure vitulum gestatum et carmina rupta mugitu, quo iure oracula et capillos composuit? Volebat pastoritiis negotiis memoratis contra munera divina dicere omissa aut turbata: rumpunt cantum boves, oracula plane tacent: sed cum has res coniungere deberet una anaphora, male eas divulsit et totum locum perperam divisit. Dico igitur ultimam manum his rebus non esse admotam.

V. 11 sq. Admeti. Locos de servitio hoc Apollinis notissimo indicavit Brouckhusius. Principes sunt Heynio notante Hom. Il. II, 763 sqq. Callimach. Apoll. v. 47 sqq. Ovid. Met. II, 680 sqq. Apollod. I, 9, 15. Tibullum ante oculos habuit Ovid.

Epist. V, 151. et imitatus est Valer. Flacc. I, 447. Adde Lygdam. III, 4, 67. infra. — tauros. Masculinum genus de grege usurpat, ut amant Latini, veluti etiam Propertius III, 12, 29. fecit notante Huschkio ad III, 4, 67. infra, ubi tamen vide quae addo. — profuerunt, puta ad animum Admeti conciliandum, cf. I, 8, 9. II, 4, 15. Ceterum confert Heynius Ovid. Met. X, 170 sqq. et Albinov. II, 79. — V. 13. 14. De medico Apolline disputat Müllerus in libr. de Doriens. I, p. 407. Ad sententiam Tibulli vide cum Brouckhusio Ovid. Met. I, 521. Heroid. V, 149. Attende denique ad collocationem verborum cum Vulpio et Huschkio. Ille confert Ovid. Amorr. I, 6, 58: *Quam face sustineo tecta superba petam*, h. e. face quam sustineo. Horat. Sat. II, 1, 83: *Esto, si quis mala: sed bona si quis Iudice condiderit laudatus Caesare?* Et Lucret. VI, 174. Alia Huschkius addit hic et ad I, 9, 25. ubi iam diximus de hoc genere traiectionis. Ubi duo sunt commata, non raro unam vocem in id comma transpositam videbis, cuius non est pars sensu et constructione, sed conflantur ambo membra in unum. — V. 15 sqq. Ipse deus stabulis etc. Sequitur locus suavissimus, quem dolemus lacunosum esse. Ad verba: *stabulis* expellere Huschkius confert Odyss. IX, 227. 312: *σηκῶν, ἄντρου ἐξελαύνειν.* Virg. Cul. 44. dicit: *Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas pastor*, nam ibi additur locus ad quem. — Pentameter varie in libris suppletus est, et non inepte quidem ab Aurispa sic: *Et potum pastas ducere fluminibus*, quem versum Huschkius factum observat ad exemplum Virg. Eclog. IX, 23: *Tityre, dum redeo brevis est via, pasce capellas, et potum pastas age, Tityre.* Quae vero vituperat in Aurispae verbis, partim inauspicato scripsit, veluti non duci boves sed agi, ac ne agi quidem, sed sponte ire sequente pastore, quod iucunde ex Homero probat Il. XVIII, 575 sqq. Ne multa; non contendo cum Vossio ab ipso Tibullo profectum esse versum, at per se non ineptum dico, ac sententiam similem posuisse hic poetam maxime probabile. Quod tamen Aurispae, non Tibulli fetum nos tenere dixi cum aliis, causa haec est: Cum verbis: *stabulis expellere vaccas*, ad pascua agi armenta non expresse sed implicite, non directe sed indirecte significetur, in sequentibus aut additum fuit aliquid in hunc sensum,

aut collocatio certe verborum scita in novo commate supplere debebat quod deest; dicendum igitur saltem erat: *et pastas potum* pr. et potum pastas. Nam sic demum distincta oppositio rerum erit et recte conformata sententia: Deus stabulis expellere vaccas solitus est ipse, et cum pavisset, etiam potum ducere ad flumina. Nunc autem imitator Virgilii etiam ordinem verborum Virgilianum retinuit, apud Virgilium quidem optimum, quia illic praecedit *pasce*, cui oppositum recte est *potum*, apud Tibullum vero falsum, cum alius sit antecedens versus. Bene senserat quod volo Pontanus, qui scripsit: *Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas In nemora et pastas inde referre domum*, ubi certe oppositionem rerum claram non desiderabis. Atque haec hactenus. Exin cum nova lacuna sequatur, Pontanus quod coniecit: *ipse et spumanti fertur mulctralia succo Implesse expressis primus ab uberibus*, in eo mentem poetae recte divinatam non dubito, qui nunc etiam de lacte et caseo dixisse videtur amans rusticarum rerum descriptiones. Iam convenit versus: Et miscere novo docuisse coagula lacte. Constructionem v. *miscere* cum ablativo vide Ovid. Met. IV, 14. Fast. VI, 170. Add. Ruhnken. Dictata ad Ovid. Heroid. p. 43. Ad *coagula* porro conf. Varron. de Re Rust. II, 11, 4: *In lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleae, ut coeat, quod melius leporinum et haedinum quam agninum. Alii pro coagulo addunt de fici ramo lac et acetum, adspergunt item aliis aliquot rebus, quod Graeci appellant alii ὀπόν* (Hom. Il. V, 902.) *alii δάκρυον.* Plin. VII, 23. s. 63: *fici succus lacteus aceti naturam habet. Itaque coaguli modo lac contrahit.* Atque hanc rem docuisse tum Apollinem non inepte dixerit Tibullus, ut sententia non habeat quod displiceat. Praeterea e sequenti loco de fiscella contexta patet huiusmodi quid a Tibullo hic scriptum. Sed qui sequitur pentameter, quamquam acute a Lachmanno nostro emendatur sic: *Lacteus et mixtu subriguisse liquor*, Muretus *mistis* coniecerat, vix probabitur, iunctus ut fieri debet cum antecedente versu. Vide sententiam: Fertur Apollo coagula miscere docuisse cum lacte et lac revera riguisse mixtu: num quaeso tam magna, tam mirabilis haec res est, ut tali affirmatione pentametri opus fuerit? Ego dubito et ieiunum habeo pentametrum; alienum est in levioribus, tenuioribus

rebus huiusmodi genus dicendi. Quae cum ita sint, apparet quid de toto loco censeam. De sententiis quae hic a Tibullo positae sint, non videtur dubitari posse, versus ad summum duos tenemus veros. — V. 15 sq. fiscellae erant calathi in usum cogendi lactis, cf. COLUM. VII, 8, 3. Isto tempore, ait poeta, etiam fiscellae primum factae. Vide praeterea laudante BROUCKHUSIO Nemesian. Eclog. II, 33. CALPURN. Eclog. III, 68, VIII, 1. VIRGIL. Eclog. II, 72. X, 71. cum annotatione VOSSII, ne GEBHARDUM addam. Erat res inter negotia pastorum. — Raraque etc. Confertur OVID. Fast. IV, 770: *dantque viam liquido vimina facta sero.* — V. 17 sqq. Observa ante omnia in his distichis usum anaphorae perversum (O quotiens — O quotiens, Saepe — Saepe), cum componantur quae dissimilia nec debebant sic componi. De vera ratione anaphorae diserte explicui in Disputatione de Elocutione Tibulli. — vitulum gestante, cf. supra I, 1, 32. — occurrens soror, Diana, dum venatui operam dat et huc illuc per agros discurrit, ait VULPIUS. — Sententiam denique distichi expressit paullo aliter VALER. FLACCUS I, 447. laudatus a BROUCKHUSIO aliisque: *Ah quotiens famulo notis soror obvia silvis Flevit, ubi Ossaeae captaret frigora silvae, Pecteret et pingui mersos Boebeide crines.* — Mox valle sub alta, cf. BURMANN. ad Ovid. Met. I, 689. — De v. dum, quod hic verum, cf. supra ad v. 5. et v. 8. dicta. — trepidis rebus, in magno periculo publico, ut notum. — Venit, rediit, ut saepe. Similiter ap. Graecos ἀφικέσθαι, μολεῖν, ἐλθεῖν, cf. SEIDL. ad Eurip. Electr. v. 6., HEINDORF. ad Platon. Protag. p. 462. — turba, dux cum militibus numerosis. — V. 23 sqq. Latona doluit, propter maternam affectionem. Matres de forma et ornatu filiorum maxime sollicitae. — crines solutos, cum alias in nodum eleganter collecti sint, ut vel in Vaticano Apolline videmus. — quaereret, desideraret, requireret. Vide BROUCKHUSIUM et VULPIUM et ad Ovid. Met. II, 239. BURMANNUM. Graeci ζητεῖν dicunt, cf. GRAEV. Lectt. Hesiod. p. 45. Postremo observa imperfecta posita in sententia, ubi vulgo plusquamperfecta ponunt. Sed hoc fit non raro suaviter, ubi vividius animus praeteriti temporis imaginem sibi ob oculos ponit, cf. TERENT. Adelph. I, 2, 27. PLAUT. Mil. Glorios. I, 1, 52. HORAT. Sat. I, 3, 4. 5. et II, 8, 59.

CICER. Verrin. V, 65. Alia multa afferunt qui hodie de talibus scribunt. Imperfectum et Plusquamperfectum coniungit PROPERT. I, 17, 21. 22. II, 13, 50. — ille. Non sine vi est pronomen sic positum in apodosi, cf. ad I, 4, 68. et vide infra II, 4, 36. III, 2, 2. IV, 13, 8. Et nunc quidem affirmationis vim adiuvat, in laudatis vero locis hortationem, exsecrationem, querelam. — V. 27 sq. Delos ubi nunc tua est? Genus dicendi notissimum in exprobratione aut desiderio boni amissi. Laudat STATIUS Eurip. Phoeniss. 1682, ubi vide VALCKENARIUM. HUSCHKIUS Virg. Aen. V, 391. comparat. Adde copiam exemplorum ap. HEINS. ad Ovid. Heroid. IV, 150. Non autem hic cum ironia dicit, sed miserans. Quamquam enim laudat consilium Apollinis pro amore omnia tolerantis, ipsas singulas res, quas passus est praeclarus deus, non potuit non flebiliter narrare. Habet igitur formula hic alterum sensum, ut OVID. Heroid. IV, 150. — Delphica Pytho, cum templum illud proprie Pytho, ἡ Πυθώ, diceretur. Vide adumbrationem Delphorum a MÜLLERO factam in PINDARI editione nostra. — Nempe. Confer ad I, 2, 59. Hoc loco ἦθος dolentis inest ex insolita re. — casa, pastoritia, cf. Voss. ad Virg. Eclog. I, 79. II, 29. Ceterum conf. OVID. Art. Am. II, 240: *Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraeas Fertur et in parva delituisse casa.* — V. 29 sqq. Felices olim scil. mortales. De formula WUNDERLICHIUS comparat Ovid. Heroid. XIX, 111. — Veneri servire, locutio etiam alias obvia ut IV, 5, 13, coll. MITSCHERL. ad Horat. I, 33, p. 301., nunc cum respectu ad servitium Apollinis dicta, significat hic: pro amore facere, tolerare omnia. Magnopere enim errat BROUCKHUSIUS de concubitu aperto cogitans, quae res ab hoc nexu rerum plane aliena est et ne uno quidem verbo praeparata in antecedentibus. — aeternos, immortales deos non puduit ad infimam mortalium conditionem descendere. — Fabula nunc ille est. Nunc ridetur deus ob tale servitium. Locutio lecta supra I, 4, 83. — cui sua cura *puella est*, h. e. qui puellam amat, omnia pro amore perpeti et fabula sic fieri mavult, quam deus esse non amatus. Vox puella emphasin habet adiutam copula est, de qua re vid. ad I, 1, 34. De ceteris HUSCHKIUS confert OVID. Met. VIII, 727: *Cura pii dis sunt*, et aptius WUNDERLICHIUS Ovid. Heroid. XVI, 96: *Sed*

Nymphis etiam curaque amorque fui, et VIRG. Eclog. X, 37. Aen. IV, 347. —

V. 33-60. Medium carmen. Pars secunda. Aetati mythicae omnia pro amore tolerare paratae hodiernum saeculum opponitur, praedae, opum, luxuriae studiosum. —

V. 33 sqq. At tu. Poeta plenus cogitatione priscae aetatis, ubi amor pulchrius vigebat, et in se quoque sentiens nobiliores ignes et paratum ad omnia pro amore subeunda animum, at vos, ait, qui amorem iniquum experimini, apud me discite et in mea domo amatoriam militiam, ut studio, officio, servitio fidissimo capiatur amor formosarum; nam vulgo ridetur Apollo apud Admetum serviens, vulgo alieni nunc homines ab his rebus alia castra sequuntur, nec Venerem sed praedam laudant armis consequendam. Tenebat enim ista luxuriosa aetate prae aliis omnibus divitiarum cupiditas animos, dives quisque fieri volebat, cuius rei spem cum militia ex praeda ostenderet, hanc plurimi tum sequebantur. Huc igitur, ait, conversa praesens ferrea aetas pro amore servire non vult, quo tamen nihil videtur pulchrius. Quodsi haec est vera mens poetae, ut vix dubitamus, apparet quo transitu ab antecedentibus ad sequentia oratio procedat. Illa vero alia quaestio est, num optimum transitum Tibullus elegerit. Certe nemo necessariam causam indicaverit interpositae inter descriptiones aetatum sententiae de suis castris, qua quid carmen lucretur non apparet. Simplicius et nervosius dicerem, si continuo a mythica aetate ad hodiernam per oppositionem transiisset. — cui tristi fronte Cupido imperat s. imperitat, h. e. cui dura puella est et aspera, qui non secundo gaudet amore et capere animum formosae cupit. Pro Imperat ut autem iam olim *imperitat* emendatum est, quod vulgo receptum legitur. Utitur autem tali verbo hic et *imperatorem* facit Cupidinem, ut statim de castris dicit Amoris; opponit enim in sequentibus bellicam militiam vulgo probatam, cui rei nunc respondet metaphorica huius loci dictio. Confer ad I, 3, 33. — nostra sint tua castra domo, h. e. apud me disce militiam amatoriam, quibus officiis, ministeriis, laboribus suscipiendis favorem puellae tibi conciliare possis. Ducta inde est locutio, quod in castris milites Romani exercitationibus

plurimis ad militiam instituebantur, cf. IV, 1, 88 sqq. ibique annotata. — Post haec *lacunam* esse dicas non extra omnem dubitationem positum, si vera sint quae supra de nexu loci disserui; adesse revera quibus opus, si pro *imperat ut* recte emendatum sit *imperitat.* Nam u t s i n t hic quidem pr. *sint* non est dictum, ubi non votum sed hortatio habetur; sin hoc comma a sequenti quodam verbo pependisse statuis quod exciderit, veluti *fac, cura ut sint*, apparet quam parum hoc placeat; poeticum enim nonnisi simplex *sint* est in tali loco. Quodsi denique *ut* dictum hic fuit pr. *eum in finem ut*, quemadmodum ἵνα Graeci usurpant, scire cupias quae sententia excidere in sequentibus potuerit talis, ut commodus sensus loci exsistat. Ne multa, finita constructio visa est vulgo v. *domo.* Quod si verum, nihil fortasse inter haec duo disticha excidit. Verum enim vero prima: A t t u n u n c carebunt verbo, quod utcunque explices, sine exemplo est apud Tibullum; nec repugnes iure si quis disertius ab eo sua castra laudata credat, cum breviora videri possint quae adsunt. Quare lacuna statuenda. Omnino suspicor *etiam hunc locum ultimam manum Tibulli non expertum*, quem credo alio tempore directum transitum praelaturum fuisse, ut iam supra significavi, ab una aetate ad alteram, omissa inutili sententia de suis castris sive brevius sive disertius enuntiata. — V. 35 sq. F e r r e a s a e c u l a, a mollioribus sensibus aliena, belli et praedae cupida. Suavis oppositio, cum ante de mythica aetate dixerit. — e s t o p e r a t a m a l i s, commisit mala. Confert HEYNIUS in Aetna v. 381: *magnis operata rapinis flamma micat latosque recens exundat in agros*, et WUNDERLICHIUS *operari commodis* ap. EUMEN. de restaurat. schol. c. 4. — V. 37 sqq. f e r a s a c i e s, d i s c o r d i b u s a r m i s. Epitheta magis etiam tibi placebunt, si memineris Veneri, amori oppositas res describi. Hinc etiam cumulata dictio. — H i n c c r u o r, h i n c c a e d e s. OUDENDORPIUS ad Lucan. I, 301. laudat OVID. Trist. I, 10, 32: *Quam cruor et caedes bellaque semper habent.* Fast. VI, 599: *hinc cruor, hinc caedes;* et PETRON. in Specim. Belli Civ. c 123: *Arma, cruor, caedes, incendia totaque bella;* unde satis patet has voces legitime coniungi. At SCHAEFERUM ad Soph. Oed. R. 827. adi, si πρωθύστερα quaeris. — m o r s p r o p i o r, h. e. matura, iusto ci-

tius accelerata, I, 10, 3. 4. — geminare pericula, periculo ex mari cum addat periculum ex proeliis navalibus, ut pentameter significat. — vago ponto, undis vagis iactato. Idem epitheton infra II, 6, 3. — dubiis ratibus, fluctuantibus. Ovid. Art. Am. II, 514. 558. — V. 41 sq. Praedator, redux e bello postquam praeda se ditavit. Quamquam enim quod sequitur, omnium avarorum et divitum erat, poeta tamen nonnisi de milite praedatore loquitur e bello reverso, et loqui hic debet, quod non reputaverat Heynius. Talis enim erat rivalis Tibulli. — cupit obsidere, coemit. Notum vero studium pravum istorum temporum latas agrorum possessiones coemendi ad pascua aut arationes. Plin. XVIII, 6: *latifundia perdidere Italiam, iam vero et provincias. Sex domini semissem Africae possidebant, cum interfecit eos Nero princeps.* Vide plura ap. Gebhardum, qui cum alia tum Quintilian. Declamat. XIII. affert. Add. interprett. ad Horat. I, 1, 9. III, 16, 40. et Iuven. IX, 54. — Ut pascat, ad pascua, cf. Horat. II, 3, 17. ibiq. interprett. Ubi igitur melius homines viverent cum uxoribus et liberis, oves iste alit. Etiam clientes pauperes ab avaris istis pellebantur, vide pulchrum locum Horat. Od. II, 18, 26. ibiq. Mitscherl. — multo iugere, innumeram ovem, vide de singulari ad I, 3, 28. Scriptum enim a Tibullo credo cum aliis non: *Ut multa innumera iugera pascat ove*, sed: ut multo innumeram iugere pascat ovem, quamquam librorum auctoritas illi lectioni magis favere videatur. Sed cum, observante Heynio, pro *iugere* scriptum forte esset *iugera*, ut mos librariorum, exinde mutata reliqua. Quod sequor, etsi nonnisi hoc loco habetur forma ablativi singularis *iugere*, cf. Zumpt. ad Cicer. Verrin. p. 475. Nam ut taceam nondum exemplis probatam locutionem: *pascere ove iugera* pr. depascere, sententia manifesto incommoda est et aliena. Non dicere vult poeta: praedator immensos saltus coemit ut eos depascere possit innumeris ovibus, sed: ut alere possit et habere plurimos greges ovium, quod ipsum in altera lectione inest. Contra apud Demosthenem de Corona p. 278. bene dictum est *τὴν ἱερὰν χώραν βοσκήμασι κατανέμειν*, ubi de invasis ab Amphissensibus agris sermo. Hoc autem loco aliena est locutio; at recte potuit dicere etiam sic: ut multa iugera pascat ovis, h. e. ut multa iugera habeat praeda-

tor, in quibus oves pascantur. Atque ita transtulit Vossius Germanice, in textu autem posuit: *ut mille innumera iugera pascat ove*, quae nunc vides satis diversa esse. Ceterum de ovium gregibus in latifundiis Romanis confer etiam Horat. III, 16, 35. 36. — V. 43. 44. Simul domos magnas in urbe exstruunt. Pronomen Cui nervose copulat membra, et inepte Vossius coniecit *quin*. Ubi enim aliquid simul est aut fit, sive personae duae adsint, sive res duae de eadem persona dicantur, utitur poesis saepius hac iunctura, ne particulae *simul, atque etiam*, similes adhibeantur aut *casus absoluti*, quae genera iuncturae in poesi fere laxa sunt et ieiuna; neque enim omnes copulationes, quas prosa oratio habet, etiam in poesi sunt bonae, et si quibusdam in locis admitti possunt, displicent in aliis multis. At pronomen relativum usurpatum vide supra II, 1, 78. Porro Virgil. Aen. IV, 138. XII, 65. quos locos laudat Huschkius ad I, 6, 40. ceterum diversa miscens. — lapis externus, marmor peregrinum, quale Synnadicum ex Phrygia, Hymettium ex Attica, Taenarium e Lacedaemonia, Carystium ex Euboea, Numidicum ex Africa, alia, cf. infra III, 3, 13. 14. Plin. Hist. N. XXXVI, 2 sqq. 7 sqq. Horat. II, 18, 3. 4. Plura de marmoribus Romae usurpatis vide in *Descriptione Germanica urbis Romae a* Platnero, Bunsenio, Gerhardo, Roestellio edita T. I, p. 335 sqq. — urbisque tumultus. Sic optimi libri pr. *urbique*. Portatur, ait, marmor per vicos terror urbis s. terrorem iniiciens civibus, ne intrementibus vicis aedes sibi ruant. Sic recte Forcellinius, quem sequitur Wunderlichius. Vulgo minus bene tumultum intelligunt strepitum aedificiorum concussorum dum columnae transveherentur. (Nam columna, ut ipse vides et Vulpius notavit, est pr. columnae; errat vero Heynius dicens etiam *mille* cum *columna* a Vulpio iunctum.) mille iugis, *longo vehiculorum ordine* Senec. Epist. 90. Praeterea de tota re confertur Martialis V, 22: *Vixque datur longas mulorum vincere mandras, Quaeque trahi multo marmora fune vides*. Plin. Panegyr. 51: *Itaque non ut ante immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur; stant securae domus*. Memineris autem permagnam fuisse altitudinem aedificiorum Romae, unde aliquoties cohibita fuit ab imperatoribus, ut tamen etiam sic nostrarum domuum modum multum superaret. Atque Augustus pedes 70 tollere

permisit, aliam legem rei Nero ut videtur scripsit, tum Traianus, nonnisi pedes 60 concedens, cf. Lips. ad Tacit. Annal. XV, 43. Et superiores quidem partes fere ligneae erant. Quodsi addideris vias angustas fuisse, plane senties quam vere Tibullus dicat. M. Seneca Controv. 9: *Tanta altitudo aedificiorum est tantaeque viarum angustiae, ut neque adversus ignem praesidium neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium sit.* — V. 45. 46. Claudit moles mare. Loquitur de piscinis marinis, quae molibus in altum iactis condebantur, ut exquisitorum piscium marinorum quovis tempore suppeteret copia nec tempestatum pericula adiret gula. Locus classicus est ap. Varron. de Re Rust. III, 17. Praeterea vide Horat. III, 1, 33. et II, 15, 3. quaeque ibi Mitscherlichius laudat, et Brouckhusium Vulpiumque ad Tibullum, illum quidem ad II, 6, 27. Dixit de hoc loco etiam Gebhardus. Ceterum ex hoc genere etiam Lucrinus erat, de quo in portum Iulium converso vide Heynium et Vossium ad Virg. Georg. II, 161 sqq. Abundabat maxime ostreis, Strab. V. p. 374. et Horat. Epod. II, 49. ibiq. Mitscherl., quem etiam ad II, 15, 3. confer. — lentus, animo nil commoto, securus. — Negligat adesse, pleniore oratione pr. simplici negligat. — hibernas minas, cf. Horat. I, 12, 31: *minax unda.* Virg. Aen. VI, 113: *pelagique minae caelique.* — Haec hactenus. Forma loci antecedentis suavis est; nititur tota oppositionibus, ut saepius fit in descriptionibus. Opponit enim primum sibi terrestria et navalia bella. Addit deinde ut praedator campos immensos coemat et in urbe domos magnificas exstruat, quibus terrestribus rebus denique piscinas in mari conditas opponit. Sunt igitur primum duo disticha sibi opposita, ultimum vero distichon est duobus antecedentibus oppositum. Atque ita haec descriptio bene absolvitur. — V. 47 sqq. Minus fortasse clara primo adspectu sequentis loci est compositio, de qua statim hic praemonendum video, antequam ad singula descendamus. Dixerat de viris huius saeculi magis ad praedam quam ad amorem propensis; nunc procedente oratione etiam puellas queritur opum et luxuriae esse studiosas. Quam rem ita adornavit ut, quo maiorem vim loco inferret, mutatione sententiae uteretur. Simulat igitur primum contrarium se credere, quasi puellae certe melius adhuc sentiant. Alloquens Nemesim, at tu,

inquit, non eris his similis; tibi frugalis coena placeat fictilibus vasis apposita. Sed heu! non assentiri Nemesim sentit. Quare iam mutata sententia tristis pergit: heu, heu! divitibus amatoribus video gaudere puellas, h. e. heu, video etiam puellas laborare communi saeculi morbo. Iamque ipse etiam, ut videtur, eo adducitur ut cupiat, quas contemserat, opes ex militia. Age iam veniant, ait, praedae etiam mihi, volo et ipse militare et praedari, ut vestes pretiosas Nemesis mea habeat et cetera omnia luxuriae hodie usurpata genera. Sed observabit lector quid agat poeta; non serio loquitur hoc quasi facturus revera, sed ironice et sarcastice, quemadmodum etiam exitus loci acerbus de rivali pessimo luculenter probat. Sarcastice, inquis, qui tantopere amat puellam? Quidni? In sequenti carmine etiam graviora dicet in Nemesim, quam simul significat ardentissime sibi amatam. Satis noti hi affectus in amore, fluctuante in varias partes. Atque haec hactenus. Tot verba praemittenda fuerunt de duobus distichis. Neque vero dices, spero, intulisse nos quae non insint, at poeta fortasse tibi videbitur brevius dixisse. Atque hoc negari vix potest. Satis de his. — V. 47. 48. At tibi laeta trahant sqq. Ad Nemesim haec verba fieri apertum vel ex sequenti disticho. Sic I, 8, 27: *Nec tu* de Pholoe, quae v. 69. demum nominatur. Vult autem nunc hoc: Tu vero aliena es, opinor, a divitiarum et luxuriae amore, saeculi nostri morbo. Cum autem in antecedenti disticho piscinas memorasset et gulae vitium, commodo transitu nunc de conviviorum frugalitate dicit, sic pro generaliori sententia specialem substituens formam, cf. ad I, 3, 33. Mensarum luxuriam, ait, et vasa argentea, patinas, lances sibi habeant, qui praedam consectantur, ut Vulpii verbis utar, tu nobiscum frugali convivio delecteris. Interfuisse puellas conviviis amantium vidimus I, 5, 65. — trahant, h. e. trahas laeta convivia testis etc. Vidimus de hoc similibusque verbis ad I, 4, 5. In malam partem dicta vox, sed constructione eadem Senec. Hercul. Oet. 647: *vigilesque trahit purpura noctes.* — Sed frugalitatem conviviorum poeta Samiis testis designat et *Cumanis vasis.* Ac *Samia vasa fictilia* memorantur ab auctore Rhetoricorum ad Herennium IV, 51: *Aedes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur.* Et a

Lactantio Div. Inst. I, 18: *Cur autem figulinae repertori honos non habetur? An quia isti divites vasa Samia contemnunt?* Vide etiam Plin. XXXV, 12, 46. Exposuerunt de his Brouckhusius et Vulpius et Panofka in libro cui titulus: *Res Samiorum* p. 17. — Porro Cumana vasa memorantur a Plinio XXXV, 12: *Nobilitantur iis oppida quoque, ut Rhegium et Cumae.* Vide Brouckhus. et Heyn. Erant haec Campanae supellectilis, quae modicam fortunam testabatur, cf. Horat. Sat. I, 6, 118. Egit de iis nuper etiam Müllerus in libr. de Etruscis Tom. II, p. 245. — lubrica terra. Erant fictilia rubri coloris. *Tellus Osca* Propert. IV, 2, 62. — rota, in re figlina, cf. Horat. Art. P. v. 22. Postremo de ratione loquendi Wunderlichius confert Stat. Silv. IV, 9, 43: *Cumano patinas in orbe tortas* (collat. Bentl. ad Horat. Sat. I, 3, 91.), et Horat. I, 20, 9. qui pro vino Caleno dixit *prelo domitam Caleno uvam.* — V. 49. 50. De sensu disstichi supra expositum. veniant autem est contingant, ut saepe. — V. 51 sqq. luxuria fluat, ut sunt notissimae locutiones *luxu, luxuria fluere, diffluere.* — Incedat, de gressu ad gravitatem fastumque composito usurpari constat. — conspicienda, ornata, conspicua. Ovid. Fast. V, 170: *Cum satus est forma conspiciendus Hyas.* Wunderlichius confert Horat. Epist. II, 3, 37: *spectandum nigris oculis nigroque capillo.* — Mox *vestes tenues, quas femina Coa texuit*, sunt vulgo simpliciter Coae vestes dictae, tenuitate infames, ut notum, quarum inventrix Coa Pamphile perhibetur fuisse, cf. Plin. Hist. N. XI, 22. et Aristot. Hist. Nat. V, 19: *πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη.* Erant bombycinae, e lanugine bombycis, ex Seribus per mercatores allata, textae in hac insula. Loci classici sunt ap. Plin. XI, 23. s. 27. VI, 17, s. 20. Vide praeter Heynium ad hunc locum Vossium hic et ad Virgil. Georg. II, 121. cum Turneb. Advers. I, 15. Notissimum etiam *ταραντίνιον* s. *ταραντινίδιον*, cf. Lucian. Dialog. Meretr. VII, 2. Boissonad. ad Aristaenet. p. 559. Bentl. Ep. Phalarid. p. 347. ed. Lips. Bergl. ad Alciphr. I, 36, 12. Gerebantur autem Coae vestes isto tempore a solis libertinis, postea etiam a matronis libidinosis. — auratas disposuitque vias, h. e. ut videtur, virgas aureas, quae inter telas procurrerent imprimisque oram ornarent (Vossius: *durchwirkte sie mit*

Streifen, Ranken von Goldlahn). Sic interpretantur BROUCKHUSIUS, VULPIUS, VOSSIUS, favetque SERVIUS ad Virgil. Aen. VIII, 660. verba: *virgatis lucent sagulis* sic explicans: *quae habebant in virgarum modum deductas vias.* HUSCHKIUS confert v. *οἶμος* ap. HOM. Il. XI, 24: *τοῦ δ' ἤτοι δέκα οἶμοι ἔσαν μέλανος κυάνοιο.* Idem vero egregie errat PINDARI Pyth. IX, 22: *ἱστῶν παλιμβάμους ὁδούς* huc trahens. HEYNIUS *vias* omnino de subtemine cepit, vix recte, nec probanda est SALMASII opinio in Epist. Sarrav. 139. cf. eundem ad INSCRIPT. HERODIS ATTICI p. 271. qui vestem reticulato opere contextam intelligit et fila aurea reticulatim ac fundatim intexta vias hic dici. — V. 55 sqq. Illi sint comites fusci etc. Comitentur, ait, per urbem incedentem servi ex Aethiopia, qui iam ante Romae inter instrumenta luxus feminarum erant. Sic enim esse notant TERENT. Eunuch. I, 2, 85: *Nonne ubi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quaesivi?* Laudant praeterea VIRGIL. Moret. 32., et vide PETRON. c. 102. Plura de talibus servis delicatorum virorum et mulierum habet RUPERTI ad Iuven. V, 53, pag. 218. — India nunc est Aethiopica, cum etiam hi populi Indi dicerentur latiori sensu, vid. HEYNIUM et VOSSIUM ad Virgil. Georg. II, 116. — fuscum autem colorem a vicinia solis repetebant veteres, ut notum, cf. PROPERT. IV, 3, 10. ibiq. interprett. Comparat cum Tibullo THEODECTIS carmen CASAUBONUS ad Strabon. XIII, p. 1019. et hoc loco SCALIGER et HEYNIUS: *Ἧς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν Σκοτεινὸν ἄνθος ἐξέχρωσε λιγνύος Εἰς σώματ' ἀνδρῶν, καὶ συνέστρεψεν κόμας Μορφαῖς ἀναυξήτησι συντήξας πυρός.* Annotat HEYNIUS: „Solem, ait, imbuere corpora nigrore. At *μορφὰς πυρός* vix explices et inest ultimis stribligo, sed de sensu constat: causa crispae comae est idem sol, qui radiis suis omne incrementum tollentibus contabefacit adeoque impedit quominus promittatur coma. Conf. Tib. infra IV, 2, 19. PROPERT. III, 13, 16. IV, 3, 10. ibiq. BROUCKHUS. SENEC. Thyest. 603.“ — selectos colores. Cum libertinae versicoloribus vestibus uterentur, pretiosissimos denique colores promittit puniceum et purpureum. Disputat de utroque genere SALMASIUS Exercitt. Plin. p. 1331. Ac coccina Africana, qualia Meninx et Gaetulia habebant, rubra erant vegeti et fulgentis coloris, collat. VITRUV. VII, 13. Tyriae autem purpurae,

gratiores illis, cruoris crassi colorem habebant subnigrum (*braun*). Distinguit etiam Plaut. Menaechm. V, 5, 18. Lucret. II, 830. Atque haec hactenus. — Post haec lacunam ponendam cum Lachmanno certissimum. Wunderlichius quidem nexum restituere sibi videbatur sic, si v. 59. Nota loquor explicaret: quae amatores loqui et optare in vulgus notum est, h. e. vana loquor. Quemadmodum in prosa oratione dicitur: Quamquam quid loquor? Sed ne moneam nimis breviter et rapide sic uno disticho totum locum absolvi, nullo exemplo probavit hanc explicationem vocis *nota*. Immo contrarius sensus inest. *Nota loquor* significat hic: vera loquor, constat inter omnes quod dico, pertinetque hoc non ad antecedentia, sed ad sequentia verba, cum sit paene incredibilem rem dicturus, hominem nunc regnare apud Nemesim, qui pessimus olim servus fuerit. Quae cum ita sint, apparet clare ante hoc distichon excidisse aliquid. Talia enim, perrexerat, credo poeta, amant nunc puellae, talia qui offert, eum sequuntur, etsi vilis homo sit. Qualis etiam Nemesim meam nunc cepit. Nam vera loquor, ait, et nota; servus fuit et nequam, qui nunc regnat apud puellam. Ceterum quod nunc demum discimus quis abduxerit Nemesim, cum initio simpliciter dixisset: rura villaeque tenent puellam, inde frustra argumentum petas contra unitatem carminis; nam recte et poetice ita factum est, ut iam supra ad v. 1. significatum. Sexcenties similia videas apud poetas. — regnum tenet, usitata de amoribus phrasis nunc magnum sarcasmum habet de homine olim servo. — ipse. Heynius *iste*. — catasta, tabulatum sive pegma (*Bühne*), ubi venales exponebantur emturis, vide quos Brouckhusius laudat, Casaubon. ad Pers. Sat. VI, 77. Raderum ad Martial. VI, 29. Barthium ad Stat. Silv. II, 1, 27. Scaligerum ad Propert. IV, 5, 52. Dicebatur etiam *lapis*, unde *emti de lapide* sunt Cic. in Pison. 15. Conf. etiam Pollux III, 78. ibiq. interprett. — Barbara, ut Stat. Silv. l. cit. *barbaricam catastam* dixit, cum servi barbari in ea exhiberentur. — gypsati pedes, quia venalium servorum trans mare advectorum pedes creta vel gypso signabantur. Vide Plin. XXXV, 17. s. 58. et Propert. IV, 5, 51. cum annotat. Brouckhusii et Kuinoelii et Ovid. Amorr. I, 8, 64. Hinc *albi pedes* Iuven. I, 111, ubi confer Rupert. — saepe coegit, cum homo

nequam esset, saepe redhibitus et venditus est, ut bene vidit Scaliger. Atque idem hic postea libertatem nactus militiam capessiverat, et ex praeda opibus paratis, nunc agros et villas possidebat. — Postremo ad totum distichon Scaliger fragmentum Anacreontis comparat ap. Athen. XII, p. 533. F. —

V. 61-78. Medium carmen. Pars tertia. Exagitata luxuria Nemesis iam deorum agrestium copias rurales accusat, et periisse malit, quae nunc allexerunt puellam, et contra laudat prisci aevi simplicitatem, ubi glandibus et aqua contenti homines in valle umbrosa libere amoris gaudiis fruebantur, nullo custode, nulla ianua excludente amantem.

V. 61 sq. At tibi dura Ceres. Transitus clarus, lacuna hic nulla. Etiam dii agrestes adiuvant saeculi hodierni mores allatis lautioris vitae subsidiis. Ac nunc Nemesim abduxerunt, ut divitem praedatorem in rus sequeretur. Dicit igitur: Vobis autem, qui cum messe vestra maxime auctores estis huius discessus, pereant istae copiae. Vox *Ceres* est emendatio Heinsii pr. corrupto *seges.* Addit Vulpius: „Epitheton *dura* quamquam hoc loco significat *crudelis*, perpetuum esse potest. Ceres enim semper occupata in opere rustico dura dea est et laboriosa. Opponit autem poeta durae Cereri Bacchum tenerum." Minime vero, nam nec dici solet laboriosa Ceres nec aptum est tale epitheton in hoc affectu elegiaco. Igitur prius tene. — nulla fide, non persolvat cum fide. Accipit vero terra semen, ut cum usuris reddat sortem, notissimo genere dicendi. *Tellus infida* Lucan. Pharsal. I, 647. dicitur. Add. infra II, 6, 22. Wunderlichius confert Plin. II, 63: *Quam bona fide terra creditum foenus reddit!* — Restant verba: Nemesim quae abducis ab urbe. Male Vossius ex malis codd. nervosam locutionem: *abducis ab urbe* fregit substituens: ducis ab urbe. Refutavit etiam Huschkius. Imprimis vero illustravit usum verbi Drakenb. ad Liv. XXVII, 29. et Heinsius in Syllog. T. II, p. 349. Inest nunc hoc: quae Nemesim mihi eripis. Porro errare eundem manifestum, qui Nemesim in altera parte Augusti in rus venisse statuens semina intelligat instante auctumno condenda; permirum enim sit, si Ceres puellam ut sementi interesset, abduxerit in rus. — Postremo de alia totius

distichi explicatione dicendum. Etenim Lachmannus reduxit et probat lectiones librorum *dura seges* et *qui*, pr. *terra* autem *certa* emendat cum Puccio, ut omnino non sermo sit de Cerere, sed de amatore, cui malam messem imprecetur poeta. At enim Bacchi quae sequitur mentio, docet ante de Cerere dictum; Cererem et Bacchum pariter accusat et punitos vult, minime vero amatorem istum et Bacchum in hac re componit. Sed obiicias aliud. Nempe amator Nemesim abduxit et tamen nunc Ceres eam abducere dicitur; quid hoc est? Commovit credo iam olim haec res eos, qui hic de amatore tantum dici voluerunt, sed difficultas non videtur magna. Vere rus ivit Nemesis; allexerant vero eam virentes agri laetam messem ostendentes, ut comitaretur amatorem in villam suam. Vidimus enim Nemesim luxuriae deditam; non contenta Samiis testis et Cumanis vasis divitem hominem secuta erat ad amoenitates lautioris vitae. Huc igitur discessum puellae revocat tanquam ad primariam causam; amator per se non traxisset eam, nisi dives fuisset et pulchrum praedium habuisset. Hunc poeta ridet et contemnit maximopere, nec tantum ei tribuit ut accuset directe tamquam auctorem rei. Quae cum ita sint, non dubitandum vere emendatum esse locum ab Heinsio. — V. 63 sq. tener, iuvenili, puellari forma, ut constat. Quod dixit: iucundae consitor uvae, pro eo Ovid. Met. IV, 14. scribit: *genialis consitor uvae*, notante Wunderlichio. Mens vero Tibulli haec: Et tua quoque munera, Bacche, licet tener suavisque deus sis et dulcis uvae dator, devota sunto. Atque huc pertinet etiam repetitum Tu quoque; iure enim iterata affirmatione utaris in devotione rei tam iucundae, et quam vulgo longissime absumus ut contemnamus. — devotos, diris a me defixos ut corrumpantur vina. — relinque, discede et mitte lacus, ληνούς, tuos; frustra, ubi vindemia venerit, bonum vinum parare studebis; devoti sunto, ut segetem devovi. — V. 65 sq. Haud impune licet etc. Vel deos, ait, damnum pati par est et poena affici, si formosas ex urbis luce eliciunt et in agrorum solitudine abscondunt, ubi gloria earum pereat necesse est. Abdere est enim: e luce et frequentia hominum removere et in solitudine ac tenebris collocare, ut *latet abditus agris* de nobili gladiatore Horatius Epist. I, 1, 5. dixit. Notavit hunc usum Vossius ad Virg. Georg. III, 96, p. 551.

et HUSCHKIUS ad h. l. — Iam tristibus vides non esse *ingratis* amatori, ut cum VULPIO HEYNIUS censet, sed ad obscuritatem rusticae vitae pertinere. — non tanti sunt tua musta, scil. ut venustas et gloria puellarum propter ea delitescat et pereat in agris. — pater, notissimo usu, hic vero additum ut leniatur paullulum duritia verborum antecedentium. — V. 67 sqq. ne sint modo, h. l. malo valere fruges, quam esse rure puellas. — prisco more, sensu haec verba etiam ad prius membrum pertinent, posuit tamen in secundo ea demum, veluti II, 5, 54. factum et alias saepissime, de quo ubique moneo. — passim, promiscue. PLINIUS laudante BROUCKHUSIO V, 8: *Garamantes matrimoniorum exsortes passim cum feminis degunt.* Addit VULPIUS Ovid. Art. Am. I, 44: *Dum licet et loris passim potes ire solutis, Elige cui dicas, tu mihi sola places.* — V. 71 sqq. adspirabat, propitius erat, cf. ad II, 1, 80. — aperte, sub divo, cum non turpis esset res in ista simplicitate temporis. Adiecit tamen Tibullus: in umbrosa valle, quod noli negligere, monente etiam HUSCHKIO. — Mitis, non aspera ut nunc saepe. — si fas est, bene et sapienter additum in tali voto. — Mox Horrida corpora sunt inculta, hirta, ut OVID. Met. I, 514. comparante VULPIO: *non hic armenta gregesve horridus observo,* αὐχμηρός. Tum villosa veste h. e. pellibus, ut mos agrestium et silvicolarum hominum est. Vides squalorem agrestis vitae praeferri a poeta, ubi amore fruatur, ornatui hodierno vestium delicatarum, si clausa puella sit, ut nunc villa istius amatoris. — laxam togam, qualis delicatorum, vidimus I, 6, 40. —

V. 79. 80. Exitus. Valeat igitur elegantior vita; fiam servus et in dominae agris ad imperium eius opus rusticum faciam, ut sic interdum saltem frui adspectu eius liceat. Ergo Ducite est: abducite in servitium, quem usum verbi VULPIUS illustrat. Non me nego etc. est: non recuso. Rarior locutio. vincla vero compedes sunt, monente SCALIGERO. Faciet opus etiam in his, quoties talis ei poena decernetur. Postremo vides redire poetam ad exordium et repetere quod ibi dictum: paratum se esse servire apud dominam, atque etiam dura pati.

ELEGIA IV.

INTRODUCTIO.

Nemesis ita ceperat Tibullum, ut indissolubili vinculo se devinctum sentiret. Sed servitium triste erat, nam admittebat eum puella superba pariter et avara rarissime nec nisi pretio allato, et quavis occasione arrepta, si quid deliquisse posset videri, aditum interdicebat ut nova munera eliceret. Sic laborans maximis aerumnis in summa vi affectuum scripsit hoc carmen vehemens et iracundum. Videamus singula. Primum dicens de servitio Nemesis, graviter et flebiliter queritur duritiam eius et servo misero se comparat; esse tantos dolores ut tolerari vix possint. Nec carmina, pergit, movent eam, sed pretium usque flagitat; valete Musae quae nihil prodestis, mihi per caedem et facinus postremo munera paranda sunt, ut satisfaciam avaritiae, aut rapiam donaria templorum. Iamque progrediens longius exsecratur auctores luxuriae puellaris qui lapillos pretiosos legant et purpuram Coasque vestes in medium afferant, unde orta sit avaritia cum malis artibus puellarum, et postremo etiam ipsius Nemesis avaritiam exsecratur, laudans contra bonas et non avaras. Verum quid prosunt haec? pergit. Legem scripsit Nemesis quomodo coli velit amorem, huic obtemperandum est. Affirmat igitur nunc vel sedem avitam carissimam, si iubeat Nemesis se venditurum, nec recusat venena Circes, Medeae, Thessaliae bibere quodque ex inguine equae stillet, aliaque multa, si modo placido vultu eum adspiciat amata. Ita Tibullus. Explicabimus compositionem. Primarius affectus elegiae est manifesto sensus acerbus servitii duri, quod incumbit, et versatur consilium poetae in eo, ut tollatur haec duritia servitii, si fieri possit, et mitior fiat Nemesis. Atque in e x o r d i o ut fit, ipsum statum rei proponit; describit et queritur miseriam et dolores quos

patitur. Tum in medio carmine id agit affectus, ut fontes et causas miseriae impugnet, ac cum avaritia et luxuriae malas fecerint puellas et maxime Nemesim, in has res invehitur iratus. Ac primum quidem avaritiam insatiabilem Nemesis magna cum indignatione ostendit et exagitat, tum crescente affectu exsecratur, ut narravimus, omnino auctores avaritiae puellaris et Nemesi ipsi poenas imprecatur graves. Quo loco moneo, ne his rebus magnopere offensam credas Nemesim. Non sunt alieni tales affectus ab amantium consuetudine sub meridionali caelo, testes luculenti amoris ardentissimi, quibus fieri non poterat quin saepe moverentur, terrerentur puellae et mitiores fierent. Neque tamen his solis confidit Tibullus, nec finiri carmen hoc modo poterat; sed mutatur postremo sententia. Revocat se nunc ab ista iracundia et agnoscens voluntatem puellae summam sibi legem esse debere, submittit se denique huic penitus, paratum se affirmans ad omnia quae postulet, si modo favore eius fruatur. Quibus verbis quemadmodum consilium elegiae absolvitur, cum nihil esset ad flectendam Nemesim efficacius, ita exitus iustus adducitur, sedatis poetae iris. Tamen vis affectus magna etiam in ultimis. Nempe valedixerat libertati, ut iam nihil restet quam perire in hoc amore, quod factum. Mortuus est enim Tibullus in amore Nemesis, nec mirum in tali motu animi valetudinem fractam. Magnopere vero miror Vossium, qui etiam hic iterum annotat, quod saepe repetit, non nimis serio loqui poetam, sed lusum inesse verbis. Ubi tandem verum affectum agnoscis, si hic non est?

EXPLICATIO.

V. 1-12. Exordium. Queritur servitium triste Nemesis et dolores, quos patitur, describit.

V. 1 sqq. Hic, δεικτικῶς, in his amoribus, in hac rerum conditione ubi versor. Alii de tempore pronomen capiunt, quod si voluisset poeta, *iam* dixisset. — servitium cum emphasi

dictum puta. paterna. OVID. Met. III, 590: *moriensque mihi nihil ille reliquit Praeter aquas, unum hoc possum appellare paternum.* — Puta vero hoc dicere poetam, cum in tantum crevisset nutritus aliquamdiu amor Nemesis, ut iam firmissime se devinctum sentiret. — Servitium sed triste datur. Compara *mite* servitium, quod PROPERTIUS laudat II, 20, 19 sqq. Nemesis autem fastu ex avaritia cruciabat Tibullum, semper difficilis et nimis cupida munerum. — teneorque catenis, h. e. dure mecum agitur, ductum a comparatione servi male habiti, qui compede vinctos pedes habet. — Et nunquam vincla remittit Amor, h. e. et nunquam mitis est Amor et benigne me tractat, sed semper saevit. Nempe non admittebatur Tibullus a puella, sed ante ianuam iacebat exclusus. Bene vero et poetice etiam deo partes in ea re tribuit, quia tam magna et continua duritia iure creditur deum socium habere. — V. 5 sq. Et seu quid merui seu quid peccavimus. Est *merere* admittere quod poena dignum, ut constat. *Peccare* vero est imprudentem aliquid admittere, ut recte haec verba distinguit VOSSIUS, cui assentitur HUSCHKIUS comparans laudatum etiam a BACHIO locum TERENT. Andr. I, 1, 112: *Quid feci, quid commerui aut peccavi, pater?* Ubi DONATUS: „αὔξησις a maioribus ad minora. Et *feci* quasi facinus dixit, facere enim quis et homicidium dicitur. *Commerui* minoris culpae est. *Peccavi* multo minoris et levioris." Dicit igitur Tibullus: in quavis culpa commissa sive maiore sive minore urit, h. e. sic punit, ut si maximum esset delictum. Urebantur enim servi lamina candente aut facibus, cf. ad I, 5, 5. Vides puellam maxime superbam et iracundam fuisse, quae vel in minimis dissidiis, qualia innumera inter amantes, saeviret, frontem aspera contraheret, aditum interdiceret. Nempe ante omnia avara erat et utebatur quavis occasione, quovis praetextu, qui pecuniam promitteret; neque enim dubium favorem imprimis pecunia debuisse redimi. Poeta suaviter et poetice tropica dictione utitur in his rebus significandis. Cum autem tum saeviret maxime, pulchre subiicit continuo: Uror io, quasi quis distentus in equuleo nunc ipsum, et flammam sentiens admotae facis. Igitur remove faces est: desine irasci, fias placida. Quamquam enim fax etiam de amoris ignibus, quos excitant puellae, saepe dicitur, ut HORAT. III, 9, 13. conf. LACHMANN.

ad Propert. II, 7, p. 126., hoc tamen loco de poena agitur, ut vides; postulat ut tormenta irae removeat Nemesis. — V. 7 sqq. ne possim h. e. utinam fieri possit ut non sentiam, quemadmodum infra III, 4, 82. dictum: *ah ego ne possim tanta videre mala.* Non est igitur inanis circumscriptio. — in gelidis montibus esse lapis. Suaviter *gelidis* adiuvat sententiam. Ceterum VULPIUS confert OVID. Epp. ex Ponto I, 2, 31: *Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit, Quae posuit sensum saxea facta mali. Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem Cortice velavit populus ora novo. Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum, Ille ego sum frustra qui lapis esse velim.* — Porro Stare scil. immobilis, quod latet in verbo. — insanis, ut VIRG. Eclog. IX, 43: *insani fluctus*, OVID. Met. XII, 510: *insanis viribus Austri*, et STAT. Silv. I, 566: *insanus turbo*, OVID. Heroid. I, 6: *insanis aquis*, PROPERT. III, 7, 6. SENEC. Hippol. 700. Med. 765: *insanum mare.* — Mox Naufraga unda, vehemens, qualis est causa naufragiis. Sic *naufraga tempestas* VALER. FLACC. I, 584. laudante VULPIO et WUNDERLICHIO, *naufragum mare* HORAT. I, 16, 10., *naufragum fretum* OVID. Met. XIV, 6. laudante VOSSIO. Ceterum non opus graviori voce *ira* pr. *unda*, quam VOSSIUS cum BROUCKHUSIO postulat. — vasti est perpetuum quidem, quod dicunt, maris epitheton, minime tamen otiosum hic, cum cautes describatur in medio mari ab omni parte expositus undis. Comparantur scopuli et saxa marina apud poetas vel ad constantiam intrepidam et statum immobilem designandum, ut HOM. Il. XV, 618. et SENEC. Vit. Beat. 27., vel ad surditatem aut sensus expertem animum, quemadmodum HORAT. III, 7, 21. Epod. XVII, 53. ibiq. MITSCHERL. Similis est hic res ut vides; sensu et animo carere se malle dicit, si fieri posset, quam ferre diutius has aerumnas amoris adversi. Postremo attende etiam ad temporum coniunctionem: ne possim — Quam mallem. Ac *ne possim* dicit directo voto et optans quod a sola voluntate Nemesis pendet, *mallem* autem dicit hypothetice, loquens de eo, quod minime est verisimile et fieri nequit; sed tantummodo ad magnitudinem doloris declarandam hoc est dictum, se lapidem aut cautem fieri malle, non autem revera fiet. — noctis umbra, tenebrae, VIRG. Eclog. VIII, 14. Aen. II, 621. Saepe vero dicunt

amaras noctes, ut PROPERT. I, 1, 33. II, 17, 3. IV, 3, 29. OVID. Heroid. XII, 169. Denique observa quam apte etiam hic est positum sit post *umbra* in oppositione diei et noctis. — Omnia nam tempora felle madent, h. e. amara sunt et plena tristitia. Ne mireris locutionem, ut OVIDIUS Amorr. I, 6, 55. dixit: *vitreoque madentia rore tempora noctis eunt*, sic Tibullus tropice *felle madentia* potuit dicere *tempora.* Est autem *madere* saepius de magna copia et ubertate dictum in variis locutionibus, cf. v. c. MITSCHERL. ad Horat. III, 21, 9. notante etiam BACHIO. Denique tristi, ut I, 5, 50.

V. 13-26. Medium carmen. Prima pars. Causa miseriae principalis est avaritia insatiabilis Nemesis: Musae et carmina nihil prosunt, sed per caedem et facinus postremo erunt dona quaerenda. Regnat per totum locum magna indignatio.

V. 13 sqq. Nec prosunt elegi. Accuratius nunc cognoscimus unde fastus puellae: avara erat. Finitum est exordium, redit querimonia ad fontes miseriae et hos exagitat. — cava manu, qui gestus pecuniam poscentium, cf. CASAUBON. ad Sueton. Aug. c. 91. et h. l. VULPIUM. Igitur ad preces Tibulli Nemesis cavam manum ostendebat, quasi illud χρήματα, χρήματ' ἄνηρ (PIND. Isthm. II.) usque laudans. — Ite procul, Musae. Vim loci inde aestimes, quod Musae dilectissimae sunt poetis, quas quis nonnisi in magno affectu abire iusserit. — Non ego vos etc. nec bella et res gestas canere cupio epicis aut lyricis versibus, nec didacticum de rerum natura poema condo, quod genus ubi significare volunt, imprimis siderum cursus commemorari constat, notaruntque HEYNIUS et VOSSIUS, cf. VIRG. Georg. II, 475 sqq. PROPERT. III, 5, 25 sqq. Adde praeterea VIRG. Aen. I, 740 sqq. HORAT. Epist. I, 12, 16 sqq. MANIL. Astron. I, 99. — solis vias, per Zodiacum euntis et redeuntis. Confert VULPIUS Virg. Aen. VI, 796. — et qualis etc. h. e. quali habitu s. ut luna forma paulatim decrescente, postquam plena est facta, redeat ad initium. Ceterum Luna duobus equis utitur, Sol quattuor. — recurrit. Semel indicativum posuit in tali constructione, qui usus frequentior apud alios, cf. LACHMANN. ad Propert. I, 2, 9. BURMANN. ad Virg. Eclog. II, 66. WUNDERLICH. et WAGNER. ad

Eclog. IV, 52. — Ite procul, Musae. Repetitio horum verborum ut claudit antecedentem locum, ita transitum munit ad oppositam sequentem sententiam. Conf. ad I, 3, 5. — V. 21 sqq. per caedem et facinus. Est quasi formula, ait Brouckhusius, comparans Cicer. Agrar. III, 4: *Num quis vestrum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus est.* Agr. II, 28: *Quinque hominum millibus ad vim, facinus, caedem delectis.* Simplex per facinus v. c. Ovid. Rem. Am. 61. et in Ibid. 565. laudante Vulpio. Idem Tibulli verba sic circumscribit: „Nocturnus grassator fiam, cum telo ambulabo, viatores aggrediar, occidam, et ex illorum spoliis parabo quae dominae donare possim.“ — Aut rapiam, cum ante dixisset sunt paranda. Ceterum observabis etiam hic διχοτομίαν toties obviam apud Tibullum, de qua multa dixi in Dissertatione de Elocutione poetae. Dicit igitur: Aut occidendi sunt homines aut templa spolianda. — insignia, ornamenta, donaria, ἀναθήματα. Valer. Flacc. VII, 48: *Cur age non templis sacrata avellere dona Omnibus — libet?* Confert Vulpius de huiusmodi sacrilegiis dicentem Iuvenalem Sat. XIII, 147: *Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi Pocula adorandae robiginis, et populorum Dona, vel antiquo positas a rege coronas. Haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat. An dubitet, solitus totum conflare Tonantem.* Videntur etiam amatores puellarum talia crimina commisisse. — suadet dominamque rapacem Dat mihi, suadet dans dominam rapacem, sed positum, ut saepe fit, nervosius verbum finitum pr. participio. —

V. 27-50. Medium carmen. Altera pars. Crescente affectu exsecratur auctores avaritiae puellarum et Nemesim avaram ipsam, laudans contra bonas.

V. 27 sq. smaragdos, cf. ad I, 1, 51. Omnes virides gemmae s. lapilli pretiosi apud veteres dicebantur smaragdi. Eximie placuisse hunc colorem disces ex Plin. XXXVII, 5. — ovem, h. e. lanam. Comparat Wunderlichius Sophocl. Trachin. 696: τὸ γὰρ κάταγμα τυγχάνω ῥίψασά πως τῆς οἰός, ᾧ προὔχριον, ubi ὄϊς pr. μαλλός. Sic *bombyx* est sericum a bombyce netum, cf. Propert. II, 3, 15. Bene vero niveam addit, male mutatum

significans colorem lanae naturalem per se suavem et pulchrum. Constat vero imprimis Milesiam purpureis vestibus adhibitam. — Observa denique constructionem mutatam; nam post verba: quicunque legit viridesque smaragdos, exspectaveris aliud tale substantivum, quod verbo *legit* accommodatum sit, nunc autem novum verbum infert. Causa anacoluthi aperta. Non poterat dici *legitque* et *tinguit*, quia vis potior sententiae non in verbis est, sed in subiectis et rebus, quae repertae; quare cum subiecta potius erigi deberent, hoc ita fecit, ut anacoluthon leve inferre mallet, quam sententiam vi necessaria privare. Atque ita saepe scriptores anacoluthon praeferunt propter sententias, quae qui ex negligentia derivant, falluntur egregie. — V. 29 sq. Hic dat avaritiae causas, h. e. origines, semina, nutrimenta, adiumenta, ut Heynius vidit, qui explicat: hinc oritur, movetur, alitur avaritia, comparans Ovid. Amorr. II, 17, extr.: *Ingenio causas tu dabis una meo*, h. e. materiam, argumenta carminum, et Fast. IV, 96. de Venere: *Illa satis causas arboribusque dedit.* Vulpius male excusationes intelligebat. Lectio denique quorundam librorum *stimulos* interpretamentum est, nec debebat defendi a Brouckhusio. — Coa vestis, cf. II, 3, 53. — concha, bacca quae est in concha (*Muschelgewächs*), cf. Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 124. Intelliguntur margaritae s. uniones, ut constat. Similiter III, 3, 17. — e rubro mari, apud Indos, cf. II, 2, 15. — Postremo de compositione distichi dico. Cum verba: *Hic dat avaritiae causas* sc. ornamentis istis, dicta sint pr. Hic quae in medium affert, dant avaritiae causas, adiunxit deinde: *et Coa vestis et concha*, nec potest intelligi quaenam hic magna difficultas sit. Ubi vel personae vel res nominari possunt, quidni recte etiam componas utrumque praesertim in enumeratione vivida? Nam in enumeratione res ne minimam quidem offensionem habet. Sed etiam ob aliam causam Tibullus I, 10, 25. 26. significanter Lares et hostiam in una constructione composuit. Frustra igitur Huschkius *Haec* emendavit aut *Hoc;* ac quis non videt et *Hoc* male dictum pro smaragdis et ove tincta, et *Haec* pro ove sola, omissis smaragdis? Tamen *Haec* etiam Bachius recepit. Rectius viderunt Statius, Vulpius, Heynius, Wunderlichius, Golbervus. — V. 31 sqq. Haec fecere malas, avaras, rapaces.

Iuvat conferre PROPERT. III, 13: *Quaeritis unde avidis nox sit pretiosa puellis Et Venere exhaustae damna querantur opes? Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis: Luxuriae nimium libera facta via est. Inda cavis aurum mittit formica metallis, Et venit e rubro concha Erycina salo, Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores, Cinnamon et multi pastor odoris Arabs. Haec etiam clausas expugnant arma pudicas.* — Pergit Tibullus: hinc clavim ianua sensit etc. h. e. ut cum HEYNIO loquar, hinc coepere puellae fores occlusas et custodes habere, ut amatores qui admitti volebant, auro emungerent, quemadmodum nunc Nemesis. Neque enim de maritis hic sermo uxores custodientibus. — canis, cf. I, 6, 32. — custodia victa est, confestim aditus patet. Ceterum reddidit locum ANTIPATER THESSALONICENSIS Anthol. Gr. VII, Epigr. 161: *Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς, φίλος· οὔτε θυρωρὸς Ἐν πόσιν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται,* quod MURETUS primus contulit transferens: *Nam pretium si grande feras, nec ianitor ullus Nec vinctus rigidas stat canis ante fores.* — V. 35 sqq. quicunque caelestis, rarissimus usus vocis in singulari numero. Sed monendum ante omnia de nexu sententiarum est. Ut par erat in affectu, primum exsecratur luxuriae ornamenta, tum causam exponit exsecrationis. His enim ornamentis avarae factae puellae et vendere callide noctes didicerunt. Tum absolvit explicationem mali addito ultimo momento. Non esset per se tantum malum avaritia, nisi pulchritudo accederet, quae ipsa devincit amatorem, ut discedere non possit. Quicunque igitur deus pulchritudinem dedit avaris, absolvit malum. Nam ita oriuntur fletus exclusorum amantium, qui satisfacere avaritiae puellarum non possunt, et rixae cum puellis; ita denique factum ut etiam *deus Amor infamis* fieret, qui per avaritiam puellarum bonis iuvenes exuat. — Videamus nunc singula quae restant. Quale bonum, quam acerbum bonum addidit avaritiae malis. Pro attulit bene Itali emendarunt *addidit*, quod post *dedit* optime dictum; nam in dolore aut sarcasmo similitudines sonorum acerbum quoddam acumen habent. *Abdidit* vero et ipsum ab Italis profectum, quod VOSSIO fraudem fecit, nullius pretii est. Bene enim HEYNIUS, observante etiam HUSCHKIO: „forma latere nequit.“ — fecit ut infamis esset. Est *fecit*

aoristum tempus, unde *esset* scribi potuit, quemadmodum in exemplo a WUNDERLICHIO comparato CIC. Off. I, 8, 3: *Quibus rebus effectum est ut infinita pecuniae cupiditas esset.* Similiter ibid. libr. II, c. 4. extr.: *effectumque, ut esset vita munitior,* et Epist. ad Famil. I, 7: *Nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profecisse tantum mihi videntur stultitia et inconstantia adversariorum, ut etiam auctoritate iam plus valerent.* — Sed de pronomine h i c est magna dubitatio. VOSSIUS et BACHIUS HEINSII coniecturam *sic* receperunt, sed male dictum et collocatum *infamis sic* pr. sic infamis, ut volunt; altera vero ratio: haec causa fecit ut sic esset, intolerabilem pleonasmum habet. WUNDERLICHIUS et HUSCHKIUS, quos sequitur GOLBERYUS, comparant *hic deus* supra II, 1, 79. et *puer hic* PROPERT. I, 7, 15. suis locis quae aptissima, neque vero huic conveniunt exempla. Vide igitur an oppositionem in animo habuerit Tibullus. Dicit: Heu quicunque deus formam dedit avarae, quid fecit! Hinc fletus amatorum orti, hinc factum ut *hic* deus, Amor, infamis esset. Vides quid velim: Ille deus dono suo fecit, ut hic deus infamis esset. Dubitari quidem potest de productione brevis syllabae *infamīs*, neque omnia exempla huius licentiae bona et incorrupta, fortasse tamen nunc eam admisit, cum vim sententiae sustineat vox. Ceterum conf. I, 4, 44. — V. 39 sqq. A t t i b i. Postquam generaliter dixit de causis avaritiae et aerumnarum, quibus laborant amatores et exsecratus est auctores avaritiae, exsecratur nunc specialiter ipsius Nemesis avaritiam per gradationem affectus. — p r e t i o v i c t o s, munerum magnitudine superatos a ditioribus. — E r i p i a n t v e n t u s e t i g n i s o p e s, incendio deleantur opes alente et excitante ignem vento. Passim monuimus exsecrationes peccatis accommodari, cf. ad I, 5, 49 sqq. et I, 6, 53; sic etiam nunc avaritia non potest aptius puniri quam inopia. — i u v e n e s s p e c t e n t l a e t i, cf. I, 6, 81., i n c e n d i a t u a, opum tuarum, flagrante habitatione tua. De domo propria Nemesis, quam VOSSIUS credit fuisse, patet nihil hinc sequi. — a d d a t a q u a m, solemnis locutio, ut etiam VULPIUS observat comparans OVID. Remed. Amorr. v. 551: *Est illic Lethaeus Amor, qui pectora sanat, Inque suas gelidam lampadas addat aquam.* Epist. ex Ponto I, 8, 45: *Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam Ad sata*

fontanas, nec pudet, addere aquas. Cat. de Re Rust. c. 151: *Quotiescunque opus erit facito uti aquam addas.* — V. 43 sq. Seu veniet tibi mors, vel si veniet, cf. I, 6, 21. Coniunctivus *veniat* probatus Vossio et Bachio cum Scaligero et Brouckhusio manifesto alienus est; neque enim dubium venturam mortem. — nec erit. Graecum οὔτε — οὔτε plerumque per *nec* — *nec* exprimitur ut hoc loco, saepe etiam per *neque* — *nec*, ut I, 2, 80., raro denique per *neque* — *neque.* — in exequias h. e. ad funus curandum, quod erat amantium, cf. Terent. Andr. I, 1, 81. Adde Propert. II, 13, 21 sqq. IV, 7, 31 sqq. Attendat denique lector, quam bene etiam haec sententia conveniat cum antecedentibus. Nam avara ut vivens opibus suis privari debet, ita mortua carere muneribus amicorum et efferri sine pompa funebri, ut plane inops et egena, ab omnibus destituta. — V. 45 sqq. At bona, at quae facilis, benigna, non aspera et superba, nec avara fuit. Cf. infra II, 6, 44. Horat. IV, 1, 1. Claudit, ut vides, totam hanc partem oppositione bonae puellae. — flebitur ante rogum, cf. Catull. XXXIX, 4. ardentem vero additum est propter sequentem sententiam; honorabitur, ait, et in funere et post funus quotannis stato die. — Annua serta dabit tumulo, imponet tumulo die natali aut mortis, cf. Kirchmann. de Fun. Rom. IV, 3. Kuinoel. ad Propert. III, 16, 23. Cerd. ad Virg. Aen. V, 79. VI, 581. Noris. ad Cenotaph. Pisan. III, 6. Adde de hoc coronandi more Lucian. Nigrin. c. 30. et Iacob. ad Lucian. Alexandr. p. 60. Fiebant autem coronae mortuorum apud veteres ex frondibus et floribus variis, ex fronde oleagina, populea, ex lauro, myrtis, apio, ex floribus autem adhibebantur rosae et amaranthus, etiam lilia et hyacinthus; sumebant ex his generibus, quod vel in promptu esset vel ceteris videretur aptius. — constructo, erecto ab eo in honorem mortuae super ossa eius. — V. 49. 50. Nota haec veterum religio, cf. Kirchm. de Fun. III, 9. et vide supra ad I, 4, 60. securae suaviter pr. pronomine *tibi,* cf. ad II, 1, 74. Golberyus *securae* pr. genitivo habet, comparans Ovid. Amorr. I, 8, 108: *ut mea defunctae molliter ossa cubent,* qui versus nihil probat. Dativus hic nervosior, monstratque eum formula: *Sit tibi terra levis.*

V. 51 - ad finem. Exitus. Revocans se poeta ab his

affectibus, cum non videatur hoc modo commover posse Nemesis, se submittit imperio dominae, offerens quod carissimum, et tolerare paratum se dicens gravissimum, quod imposuerit puella, si modo placida sit.

V. 52 sqq. Illius lege, conditionibus ab illa praescriptis ut munera afferam. *Lex* de conditionibus puellarum est v. c. PLAUT. Asin. I, 3, 15. et 81. PROPERT. IV, 8, 74. — Ite sub titulum. Qui aedes suas vendere volebat, affixa tabula s. titulo indicabat praetereuntibus venales eas esse, cf. SALMAS. de Modo Usurar. c. 15. et VULP. ad h. l. HUSCHKIUS etiam CICER. de Off. III, 13. adiri iubet. Dicitur res proscriptio, ut satis constat. Quare sensus: subite proscriptionem, venditionem, Lares. Ac conferunt cum LIVINEIO hic OVID. Rem. Am. 301: *Illud et illud habet, nec ea contenta rapina Sub titulum nostros misit avara Lares*, ubi vide HEINSIUM. Dictum vero Latine ire, mittere sub titulum, ut ire, mittere sub iugum. Etiam illud ipse sentis, quam bene in tali sententia Lares pr. aedibus aut praedio dicantur. — sub imperium. Creditores debitoris, qui solvere non posset, praetorem adibant, ut in bona mitterentur, quae deinde auctoritate praetoris etiam vendere licebat, cf. THEOPHIL. ANTECESS. libr. III. tit. XII. p. 610. P. et GAI. Instit. III, 79. p. 230. Goesch. Talis si hic esset res, imperium praetoris intelligi deberet notissimo usu vocis. Sed inferres quod non inest in hoc loco. Si Nemesis plura et maiora munera postulet, etiam praedium suum vendere vult Tibullus, ut habeat unde satisfaciat avaritiae: hoc dicit, de creditoribus et publica auctione nullus hic sermo. Opponat alius: „Vere tu haec, sed alio modo praetoris imperium intelligamus. Titulo affixo invitati veniant emtores, vendat Tibullus; iam ad praetorem ibunt, ut etiam in iure cessio fiat et praetor solemniter addicat praedium emtori.“ Audio. At enim nunc intolerabile hysteronproteron habebimus, cum *titulus* hic post *imperium* nominetur, h. e. ex illa ratione est venditio post cessionem in iure, quam tamen praecessit; huiusmodi quid etiam in poesi ferri nequit, quia contra rationem est res. Haec cum ita sint, patet errare omnino qui de praetoris imperio hic cogitant; est potius unice vera VOSSII sententia, qui puellae intelligit imperium. Sic

in fine antecedentis carminis *imperium dominae* vidimus. Cum ante dixerit: Illius lege colendus Amor, tum si iubeat, quid magis consentaneum quam etiam in tertio versu *imperium* ad puellam referri? Ergo hoc vult: parete voluntati dominae ut imperio, et vendimini. Quae clara sunt; atque satis arcte etiam sic imperii et tituli notiones cohaerent, duo vero quae ponuntur momenta rei, ne fugiat te a poeta ipso repetita praepositione *sub* distingui. — V. 55 sqq. Quicquid habet Circe etc. scil. in fabulis et narrationibus antiquis, plane ut comparante Wunderlichio Virg. Aen. I, 316: *vel qualis equos Threissa fatigat Harpalyce*, ubi non est historicum quod dicitur praesens. — Thessala terra gerit. Confert Brouckhusius Virg. Georg. II, 122. Addit Heynius Ovid. Met. XI, 615. et alia Vulpius. De herbis Thessalicis conf. Lucan. VI, 438. Ceterum vide etiam ad I, 2, 44. supra. — indomitis gregibus, libidine Venerea, cf. ad II, 1, 68. — afflat vid. ad II, 1, 80. — Hippomanes, humor ex equae, ubi Veneris stimulis incaluit, locis eliquatus, cf. Propert. IV, 5, 18. Virg. Georg. III, 280 sqq. ibiq. Heyn. et Voss. Plin. Hist. Nat. XXVIII, 11. s. 80. Utebantur eo in philtris. — Mille, cf. Ovid. Met. VII, 275. — misceat Wunderlichius explicat: admisceat, comparans Virg. Georg. III, 449., atque ita κιρνάμεν Pind. Isthm. IV, 25. Est vero coniunctivus concedentis pr. etiamsi admisceat. Quare constructio: Quidquid gerit et quod stillat, si modo me placido videat Nemesis vultu, etiam mille aliis herbis admixtis, bibam. — Postremo de sententia poetae videndum. Dicit: Non solum bona avita vendam et dabo quae habeo omnia, si postulat Nemesis, sed etiam tolerabo quidquid malorum imposuerit. Atque hoc proverbialiter ita exprimit, se vel teterrima venena expoturum, recte monente Heynio et assentiente Wunderlichio et Huschkio. Sic Propert. I, 5, 4 sqq. verba: *ultima nosse mala* explicantur sequenti disticho ita: *Et miser ignotos vestigia ferre per ignes, Et bibere e tota toxica Thessalia.* Apud eundem II, 24, 25 sqq. ubi agitur de probando amore et constantia, haec leguntur: *Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras, Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat, Tetra venena bibens et naufragus ebibat undas, Et nunquam pro te deneget esse miser.* Unde satis clara fit mens Tibulli, qui ce-

teroquin etiam philtra teterrima addit et flammas amoris maximas subire non recusat. Male vero Vossius interpretatur: insanio amore et magis etiam insaniam (*rasend ist meine Liebe und soll noch rasender sein*). Sed qualis hic est exitus et quid sibi vult tam ridiculum consilium? Immo offert se totum puellae in omne obsequium.

ELEGIA V.

INTRODUCTIO.

Cum Messalinus, filius Messalae natu maior, in collegium XV. virorum sacris faciundis et Sibyllinis libris inspiciundis cooptatus esset, celebratur hoc carmine inauguratio novi sacerdotis. M. Valerio Messalae Corvino duo filii erant, alter M. Valer. Messalinus, qui consul fuit cum L. Cornelio Lentulo a. u. c. 750. et proconsul Dalmatas vicit, alter Lucius datus in adoptionem genti Aureliae et dictus L. Aurelius Cotta Messalinus. Hoc loco non posse alium quam Marcum intelligi, recte monet Vossius. Nam M. V. Messala pater, ut videtur, natus est ann. 685., haec autem elegia si duobus circiter annis ante 735., h. e. ante obitum Tibulli, scripta, Messala tum fuit quadraginta octo annorum, et potuit facile filium habere annos natum minimum octodecim. Receptus enim erat adolescens in Quindecimviratum, ut tum moris. Atque insignem iuvenem fuisse certum, cf. Vellei. II, 112. Tacit. Hist. III, 34. Mortuus Lucio cognomen Messalini reliquit. Hic autem apud Ovidium Epist. ex Ponto III, 5, 7. dicitur iuvenis, quo tempore annus erat a. u. c. 766. conf. Masson. Vit. Ovid. s. h. ann.; quodsi ut summum ponamus, tum quadraginta quinque annorum fuit, qui finis aetatis iuniorum, natus est ann. 721. et cum

haec elegia scriberetur circ. ann. 733., duodecim habuit annos, ut nunc intelligi omnino non possit. Atque haec quidem de temporibus. Sacrum inaugurationis fit in templo Apollinis Palatini, ubi probabile est, Vossio monente, etiam Sibyllina carmina iam tum servata esse, quod Suetonius tamen Aug. 31. ab anno demum urbis 742. factum significat. Veniamus ad argumentum elegiae. Primum poeta invocat Apollinem, ut sacris solemnibus huius diei adsit cum cithara carminibusque et pulchre ornatus. Iamque celebrans deum ut rectorem vaticinationis, precatur ut etiam Messalinum doceat sensum librorum Sibyllae, quae nunquam frustrata sit Romanos, et iam olim Aeneae auctori e patria abeunti faustas sortes dederit. Sed dum in eo est ut has narret, dilabitur a recto cursu et persequitur habitum locorum, ubi Roma condita, vitamque fortunatam hominum, qui olim hic cum gregibus suis degebant festis cultuque deorum simplici et gaudiis amoris incorruptis laeti. Post haec oratio in viam redit et proponitur vaticinium memorabile ipsum Aeneae datum; videmus ut praedicat Sibylla heroi aditum fatalem ad Italiam, victoriam hostium novasque urbes condendas Laurens castrum, Lavinium, Albam Longam, mox Iliam a Marte compressam, denique originem Romae imperiumque terrarum urbi destinatum. Nunc poeta ad praesentia tempora se convertit. Sibylla princeps fausta Romae nuntiavit, prodigia vero terribilia quae a ceteris Sibyllis praedicta evenere bellorum civilium tempore nuper, haec iam orat Apollinem ut aboleat in posterum et felicis fecundique anni omina nunc praebeat sacris hisce laurique ardentis crepitu fausto. Datur omen. Sic hanc felicitatem qualem sperat optatque iam pluribus describit, copias Cereris et Bacchi, pecoris feturam, et florentes magna progenie domos festaque ruralia cum amoris lusibus. In quo nexu denique etiam suos ipsius amores Nemesisque fastum recordatur. Hinc in fine ad Messalinum orationem reflectit, et huic triumphum auguratur olim reportandum, monstratum tecte iam in exordio, pro quo vota faciens carmen claudit egregium. Videamus nunc de unitate elegiae et compositionis arte. Non mirabor si primo adspectu multa inesse iudices, quae a ratione festi et talis carminis consilio aliena videantur; sed facile ostendi potest egregie omnia excogitata. Est autem omnino consilium Tibulli illustrare luculenter honorem Mes-

salino tributum, qui recipitur nunc inter antistites sacri et librorum, unde Romae fata pendent, patente ceteroquin simul aditu hinc ad consulatum. Atque in exordio vocatur Apollo ut adsit solennibus diei, quemadmodum vulgo fit in festis, et admittat Messalinum ad sacros libros. In medio autem carmine illustratur praestantia sacri Apollinaris et huius sacerdotii ipsa magnifice sic, 'ut revocetur faustitas urbis et praeterita et futura ad Apollinis favorem. Sunt igitur duae partes rerum. Primum enim oracula antiqua narrat, quibus Sibylla duce Apolline Romae fata et magnitudinem praedixit, quae pars tota politica est. Deinde precatus deum ut prodigia ceterarum Sibyllarum in posterum abolita sint, expetit et impetrat futuro anno fausta omina, ut vidimus; neque vero iterum politica tractat, ampliores fines imperii et victorias novas de Parthis et Germanis, sed pacis bona et rusticas res, proventum prosperum anni et festa agrestia in herbis. Nam haec ei videntur pulcherrima prosperitatis et felicitatis publicae momenta, quibus describendis plurimum delectatur. Pertinet eodem in prima parte digressio de prisco habitu locorum, ubi condita Roma; quamquam enim comparatione illius temporis etiam magnitudo et magnificentia urbis illustratur, tamen hac data opera tractata imagine vitae pastoritiae quis non videt praeludi simul suaviter secundae parti? Nimirum admirabilis magnitudo urbis, sed suaves etiam mores agrestium, ac dum magna fata imperii laudat, laudat non minus rusticae vitae iucunditates, quemadmodum omni tempore Romanis utrumque carum fuit. Sic orta pulchra coniunctio est politicarum et ruralium rerum, qua hoc carmen conspicuum, ac tantum abest ut hae res sibi repugnent, ut nulla suavior reperiri possit oppositarum rerum harmonia. Sed illud tamen quaeras, si sacrum praesens solius introductionis et inaugurationis causa institutum fuit, quomodo publica faustitas anni ex his auspiciis bene dicatur pendere. Enimvero XV.viri non solum ante inspiciendos libros sacra faciebant, ut par erat, sed cum omnino Apollinaris sacri antistites essent, haud dubie etiam statis quibusdam diebus annuas solemnitates Sibyllinorum oraculorum summo auctori deo curabant. Quemadmodum vero apud Graecos vernis mensibus magna festa Apollinis erant, sic etiam Romae credibile est solemne sacrum vere habitum stato quodam

tempore, et hoc tali die Messalinum puto introductum in templum. Iam vide Tibullum: Est vernus dies et aperitur novus annus; quid igitur propius precatione hac, ut sacer et fecundus sit? Sic perspicuum est etiam cum festi ratione conspirare compositionem carminis, ipsa solemnitate hanc politicarum et ruralium rerum tractationem offerente. Satis de hoc; addamus reliqua, quae monenda restant. Etenim etiam amorum mentionem hic non praetermissam quivis exspectaverit Tibullianae poeseos gnarus. Sunt autem per totum carmen varie sparsa verba et descriptiones huiusmodi, et in fine etiam suas ipsius aerumnas commemorat. Videmus igitur affectum, quo poeta ipse plenus est, se admiscuisse ubique etiam ceteris descriptionibus rerum quas proponit, et ornata omnia amatoriis sensibus; qua re quid pulchrius et magis accommodatum elegiaco generi poeseos, licet festum religiosum celebretur? Omnino multae sunt virtutes huius carminis. Etsi enim plenum est simplicitatis rusticae et amorum descriptionibus, nihilominus tamen in ceteris ad magnificentiam quandam reperitur compositum. Quo pertinet omnino religiosior carminis indoles, Apollinis invocationes et Sibyllae oracula et prodigiorum terribilium descriptio, pertinet etiam meo iudicio in oratione digressionis usus, bis adhibitae v. 22-38. et v. 71-79. Tantum enim abest ut imperitiae Tibulli haec res tribuenda sit, quasi nullo alio modo quam per parenthesin ista interponere sciverit, ut ad imitationem sublimitatis lyricae facta videatur. Maioris enim spiritus visae et digressiones mythicae quales Pindaricae, et hoc parentheseos genus interrupto cursu orationis. Postremo **exitus** pro futura gloria Messalini et triumphis vota facit iam in exordio monstratis.

EXPLICATIO.

V. 1-18. **Exordium. Vocatur Apollo ut veniat cum cithara carminibusque et pulchre ornatus ad inaugurationem novi sacerdotis Messalini, admit-**

tat eum ad sacra sua et doceat intelligere libros Sibyllinos.

V. 1 sqq. tua templa. Intellige templum Apollinis Palatini ab Augusto dedicatum ann. 726., de quo PROPERTIUS canit II, 31. Memorat SUETON. Aug. 29. et DIO CASS. LI, 1. Vide etiam LÜRSENIUM *De templo et bibliotheca Apollinis Palatini Franeq.* ann. 1719. — Huc age veni, quare veni, antecedentibus verbis causam hortationis continentibus. — impellere chordas. Excitari sibi vult Tibullus lyricum spiritum et incalescere sublimius, quod fiet ubi deus impulsa lyra, soli tamen poetae audienda, praeiverit artis suae modos magnificos. Ceterum etiam signum dei in templo erat lyra canentis, ut PROPERTIUS docet. — precor, constructum hic cum infinitivo, ut passim ap. OVIDIUM, v. c. Heroid. V, fin., XIX, 82. Similiter *opto, rogo, oro* usurpata inveniri HUSCHKIUS monet contra VOSSIUM, ex uno libro *nunc opus* reponentem. — ad laudes flectere verba meas. Vult etiam in verbis et sententiis ipsis ponendis adiuvari, unde dixerat: *cum carminibus veni.* Iam ex vulgari lectione Apollo verba sua flectere ad laudes Tibulli s. a Tibullo parandas debebit, quod patet quam sit incommode dictum, nec satisfaciunt propositae interpretationes, uti iam HEYNIUS monuit. HUSCHKIUS, quem sequitur GOLBERYUS, recepit lectionem sive emendationem in libris Matt. Monach. et Guelf. 3: *nunc precor ad laudis flectere verba modos*, improbatam HEYNIO, qui pr. *laudis* volebat *laetos* vel simile quid, sed illa vox abesse nequit, et VOSSIO, qui de coniectura substituit: *ad laudes flectere verba modis*, contra usum dicendi; exemplo enim caret, observante HUSCHKIO, locutio *flectere verba modis* vel *numeris;* poni in hac formula *nectere* non *flectere*, ut OVID. Epist. ex Ponto IV, 2, 30. IUVEN. VII, 17., ac si hoc quoque recipere velis, languere iam verba *ad laudes.* Recte haec omnia HUSCHKIUS opponit, iure addens temere non eiiciendum esse *flectere*, ipse tamen quod reposuit, non magis probamus. Longius, quam par est, omnes hae coniecturae et emendationes recedunt ab ea lectione, quae sola veram librorum auctoritatem habet. Simplicius est quod LACHMANNUS suadet atque ipse etiam conieceram, *mea* pr. *meas.* Tali enim mutatione pronominis opus hic ad sensum; HUSCHKIUS quod reposuit, quid obstat quominus inter-

pretemur: flecte verba *tua* ad laudis modos? Tamen hoc alienum. Deus *Tibulli* verba flectere s. fingere et apta reddere debet ad laudes. Atque hoc consequimur proposita levi mutatione. Saepe quis vocem suam seu cantum flectere musico sensu dicitur ut constat; inde ducta locutione nunc Apollo rogatur ut poetam, querelae elegiacae vulgo assuetum, sublimius componere orationem doceat, quemadmodum laudis modi magnificentiores postulent. Ac tractatur revera argumentum maiori spiritu, diciturque splendida laus statim in sequentibus Messalino. Sic omnia clara. Iam hexametri et pentametri ratio haec est ex nostra explicatione, ut quod illo indirectius significatur, hoc expressius indicetur et apertius, quemadmodum saepe fit in hortationibus. — V. 5 sq. Ipse, bonus transitus ex opposito pronomine meas in fine antecedentis versus. — triumphali lauro, ex Romanorum more, apud quos lauro constat triumphatores fuisse ornatos. Sed quid vult poeta? Sane Apollo laureatum debet habere caput in tali festo; cur autem *triumphali* additum? Vossius Octavianum Augustum respici putat, qui apud Actium Antonium fudit; at enim nullum apud Tibullum de Augusto verbum, nec licet cogitare de eo, cuius nulla mentio facta, si hermeneutices regulas audimus. Immo ad Messalinum res pertinet, cui orto e domo triumphali, nam pater Messala de Aquitanis triumphaverat, iam et ipsi post Quindecimviratum partum gloriam militarem auguratur poeta et triumphum futurum, quemadmodum apertius in fine carminis significatur. Nam per Quindecimviratum aditus ad consulatum patebat in libera republica et sub Caesaribus. Liv. VI, 42: *Creati quinque patrum, quinque plebis (ut tum erat numerus), graduque eo iam via facta ad consulatum videbatur.* Stat. Silv. I, 2, 174. de L. Auruntio Stella Patavino: *Hunc et bissenos, sic indulgentia pergat Praesidis Ausonii, cernas attollere fasces Ante diem; certe iam nunc Cybeleia novit Limina et Euboicae carmen legit ille Sibyllae.* Vides post haec mentem Tibulli. Apollo, quae suavissime excogitata sententia est, ornatu lauri sumpto novae laudis spem afferto sacerdoti suo, et significato quid cum hodierno honore promittat amplius. — Dum cumulant aras, prosiciis arae impositis et ture. Confert Heynius Virgil. Aen. XI, 50: *cumulatque altaria donis.* Adde Curt. V, 1: *altaria ture et omnibus odoribus cumulare.* De-

nique Huschkius observat imitari hunc locum Ovidium Fast. IV, 451. Ceterum *dum cumulant* dicit, praesenti tempore, quia iam nunc res fit, canente poeta. Atque haec hactenus. — V. 7 sq. Sed nitidus pulcherque veni. Accipiendum de ornatu cultuque reliquo. Sic Horat. III, 24, 20: *nitido fidit adultero*, comparante Brouckhusio et Heynio. Ita igitur deum adesse vult, licet non visum oculis; nam ornatum etiam deos mutare pro festis diebus credidit antiquitas, et documentum est habitum faventis dei, si bene ornatus interesset. Ceterum conf. II, 2, 6. IV, 6, 13. Catull. LXI, 6-10. Claudian. Epithal. Pallad. et Celer. v. 103 sqq. Notarunt Brouckhusius, Heynius, Vossius, Wunderlichius. — vestem sepositam, ad festos dies. Talem observante Huschkio Appuleius XI, 245. cataclistam appellat: *Eas amoenus lectissimae iuventutis veste nivea et cataclista praenitens sequebatur chorus.* De quo vide Salmasium ad Tertullianum de Pallio p. 174. Intelliges vero hic pallam s. stolam Pythiam, cf. III, 4, 35. Propert. II, 31, fin. Spanhem. ad Callim. in Apoll. 32., qualis omnino citharoedica fuit, cf. Herod. I, 24. de Arione, Ovid. Fast. II, 107. Adde Procli Chrestomath. p. 8. ed. Schott. et Welckeri annotationem doctam ad Pind. Nem. IX, init. in Boeckh. edit. p. 453. Vide etiam Salmas. de Pallio p. 469. et Boettig. ad Longin. p. CLIX. ed. Weisk., et Mülleri Compend. Archaeol. p. 467 sqq. — V. 9 sq. Qualem te memorant, h. e. quali habitu et ornatu. Saturno fugato. Virg. Aen. VIII, 320: *Primus ab aetherio venit* (huc ubi nunc Roma) *Saturnus Olympo, Arma Iovis fugiens et regnis exsul ademtis.* Illa vero exquisita fabula, notante Heynio, quod Apollo tunc laudes Iovis victoris cecinisse fertur. Senecam contulerunt iam alii in Agam. 331: *Licet et chorda graviore sones, Quale canebas cum Titanas Fulmine victos videre dei.* Aliunde nihil de ea re constat. Tibullus e Graeco poeta rem non hausit cum talis exquisitae doctrinae vestigia nusquam alias apud eum reperiantur, sed probabile est Latinum poema fuisse tum vulgo lectum, ubi fabula memoraretur. Postremo de consilio poetae quaerendum, cur addiderit hoc distichon. Vossius iterum Augusti victorias laudari censet, qui orientales populos cum Antonio debellaverat. Ego vero repeto quod supra dixi, nullam in toto carmine

mentionem fieri Augusti. Subesse tamen aliquid disticho neque inanem ornatum hic haberi, ut aliis multis videtur placuisse, satis docet praecedens verbum *triumphali.* Sic deducimur eo, ut iterum Messalini victorias futuras praemonstrari magnifice intelligamus. Vossius quidem opponit illustriorem esse comparationem pro tali adolescente; at enim viri et proconsulis futuri facinora designantur, et poeta id agit ut insigniter honoret filium optimi patroni, de quo iam tum laeta exspectatio erat. Quindecimviratus cum gradus ad maiora esset, haec necessario praemonstrari debebant in laude iuvenis e tam illustri domo, idque fit in principio carminis et in fine. In quo etiam illud est pulchre et poetice institutum, quod initio indirectius significatur res et per comparationem, in fine autem aperte et directis verbis, ut toties apud Pindarum fit et in aliorum carminum compositionibus. Apud Tibullum compara dicta ad II, 3, 1. 59. — V. 11 sqq. Tu procul eventura vides. In transitu ab antecedentibus commode per generaliorem sententiam ad specialia descendit. Memorat vero quattuor vaticinationis genera, quae Romanis maxime in usu, augurium, sortes, haruspicinam, libros Sibyllinos, quorum Apollinem rectorem laudat. Quamquam enim Apollinis maxime *μαντική* erat proprie dicta, tamen etiam eius vaticinationis, quae externis signis utitur, genera complura, nominatim haec ad eum relata videas, cf. Müller. Histor. Doriens. T. I. p. 341. — tibi deditus augur. Huschkius confert Cicer. pr. Dom. 49., Plin. Panegyr. 72. ubi locutio *religionibus deditus* exstat. Quae etiam Golberyus laudat. Constructione propius est quod Tibullus ipse offert I, 2, 97: *semper tibi* (Venus) *dedita servit mens mea.* Altera lectio *tibi debitus* significat, qui tibi debetur, quem tibi debemus, quod Heynius magis poeticum dicebat; nam quod Bachius de fide promissa cogitat, credo talia in animo habens, Ovid. Heroid. XX, 8: *debitus ut coniunx, non ut adulter, amo*, h. e. iure certo tuus, plane alienum est hic. Mihi cum Tibullus Scit dixerit et sensus debeat esse: a te monitus, non displicet quod Lachmannus reduxit et Huschkius probavit. Videtur autem *tibi deditus* nunc significare: tuis praeceptis monitisque addictus. — Tuque regis sortes. Heynius oracula intelligit, h. e. si recte eius mentem interpretor, vaticinia ore a furentibus data in templis, ut Delphis

aliisque locis, sed huiusmodi oracula non habuerunt Itali, et cum mox Sibyllinae sortes memorentur, quod genus simile, ego proprie hic vocem accipio cum aliis, ut distincta genera quattuor habeamus. Cum sortes ab illustrioribus tum fere contemnerentur Romae (cf. ad I, 3, 11.), Heynius opponit plebis superstitionem nimis tenuem esse inter has publicas laudes, concedit tamen Praenestinas sortes posse huc vocari. Et hoc faciamus. Sueton. Tiber. 63: *Vicina vero urbi oracula etiam disiicere conatus est, sed maiestate Praenestinarum sortium territus destitit.* Unde apparet in quo honore illae etiam tum fuerint. Vide plura de iis ap. Cicer. de Divin. II, 41. Sed erant sortes publicae etiam in aliis urbibus, ut apud Caeritas, Liv. XXI, 61. ubi conf. interprett. Adde Niebuhrium Histor. Rom. T. I. p. 565 sqq. de hoc genere disputantem, quod maxime Italicum videtur, ut Tibullus aliter intelligi non debeat. — praesentit scil. futura, absolute dictum. — cum deus exta h. e. iecur maxime, signavit notis, impressit signa futuri, qualia describit Müllerus in libro de Etruscis Tom. II. p. 182 sqq. Ad v. *notae* confer cum Brouckhusio Ovid. Met. VII, 600: *Fibra quoque aegra notas veri monitusque deorum Prodiderat.* Adde Vulpium. Graeci σημεῖον dixerunt, ut Suid. et Hesych. v. λοβός haec habent: σημεῖόν τι ἐν τῷ ἥπατι. — Lubrica, ut saepe difficile sit tenues fluxasque notas dignoscere. — V. 15 sq. Sibylla. Aegre careo hic v. *est* inde ab Ald. 1515. lecto, cum oppositionis ratio postulet ut paullo fortiorem accentum v. *Sibylla* habeat, cui rei inserviet optime *est*, cf. ad I, 1, 34. Saepe monuimus. Sed dicendum de Sibyllis est, de quibus etiam Heynius disputavit. Erant Sibyllae vates Apollineae, habitantes ubi templa dei. Huiusmodi oraculum Sibyllinum exstitit olim etiam apud Gergithios, qui Teucrorum veterum reliquiae e regno Troiano consederant in recessibus Idae, conf. Herodot. VII, 43. Athen. VI, 256, c. Habebat enim urbs Gergis templum vetus Apollinis, cf. Stephan. Byzant. v. Γέργις, Sibylla autem istius regionis Hellespontica dicta sive Mermessia, cf. Lactant. Inst. I, 6; nam Mermessus erat κώμη Γεργιθία, cf. Suid. Iam credibile est hic vaticinia orta de novo flore regni sub Aeneadis futuro, quemadmodum etiam Homeri locus celeberrimus de Aeneadis ad hanc urbem pertinere videtur Il. XX, 307. Sic

etiam originem fabulae de sortibus ipsi Aeneae datis a Sibylla vides. Sed Gergithiorum pars in agro Cymaeo Aeolidis habitabat, cf. ATHEN. VI, 256., eratque etiam hic templum Apollinis, cf. PLIN. XXXIV, 8., quare cum illa oracula sic Cymen et ad Cymaeos venissent, ab his alio tempore delata sunt ad cognatos Cumanos in Italia. Hic in iugo montis templum Apollinis stabat et subiacebat antrum Sibyllae, cf. HEYN. Excurs. III. ad Virgil. Aen. VI. atque etiam Aeneas huc ferebatur appulisse, docente HEYNIO, ut facile agnoscas nexum historicum rerum, fabulasque de Aenea cum Sibyllinis versibus videas in Italiam migrasse. Cumis Romam translata res, ubi cum summam auctoritatem nacti essent libri Sibyllini, quae de potentia Aeneadarum ad Hellespontum cantata erant, ad urbis gloriam revocata sunt. Debemus hanc explicationem rerum MÜLLERO, cuius exstat praeclara disputatio de his in Diario Classico Vol. XXVI. inscripta: *Causae fabulae de Aeneae in Italiam adventu.* Et vide eundem Hist. Dor. I, p. 222. — Abdita quae senis fata canit pedibus, h. e. condita hexametris versibus; *arcana fata dicta meae genti* appellat Aeneas VIRG. Aen. VI, 72. De libris Sibyllinis noti loci sunt DIONYS. IV, 62. LACTANT. Instit. I, 6. PLIN. Hist. Nat. XIII, 13. GELL. N. Att. I, 19. TACIT. Ann. VI, 12. Cum antiquiores bello Marsico cum Capitolio cremati essent, senatus ann. 677. alia carmina conquiri iussit cum aliis in urbibus, tum Erythris Ioniae, quae primum in Capitolio reposita sunt ut priora, deinde ab Augusto in Palatinum templum translata. Haec hexametris versibus scripta fuisse Tibullus docet et aliunde constat, sed etiam antiquiora haud dubie eiusdem metri erant. Omnino Tibullus discrimen non facit ut vides; est eadem Sibylla et priorum et posteriorum librorum auctor, siquidem quae nunquam *est* frustrata Romanos, haec etiamnum iis canit per versus suos. Cuias autem haec credita? Cumana. Cumana vero vulgo oriunda ferebatur Erythris, licet vera ratio rerum alia fuisset, ut vidimus. Sed nunc de opinione vulgi agimus, ex qua certum Cumanam pro Erythraea habitam, cum Erythris quondam maximae auctoritatis oraculum fuisset, cf. SERV. ad Virg. Aen. VI, 36. et 321. et locus de Admirab. ARISTOTELI tribui solitis c. 97. SALMAS. Exercitatt. Plin. p. 52 sqq. unde etiam senatus maxime Erythris colligi versus ius-

sit. Vulgarem opinionem non potuit non sequi Tibullus. Est igitur Erythraea Sibylla, de qua nunc loquitur Tibullus, quam solam genuinorum librorum auctorem habet. — V. 17 sq. sacras chartas papyracea volumina fuisse puta, quibus versus Graeci inscripti essent; antiquiora carmina in foliis palmarum scripta fuerant, cf. Serv. ad Virg. Aen. III, 444. VI, 74. et adde Niebuhrium in Hist. Rom. Tom. I. p. 360 sqq. ed. ult. ingeniose de Sibyllinis libris disputantem. — quod canat illa doce, nam abdita sunt versibus fata, ut dixit, nec nisi afflatu quodam divino intelligi et explicari recte possunt. Ac Niebuhrius quidem ita consulta carmina censet, ut quidquid primum se obtulisset evolventibus, id pro responso acciperetur, quemadmodum a Turcis Koran consulitur. Quod tamen non credo. Ceterum verum est *quod* h. e. id quod, veluti cum dicitur: non habeo quod respondeam. Conf. Bremium ad Cornel. Nep. Epam. VIII, 1. Bachium ad h. l.

V. 19-66. Medium carmen. Prima pars. Sibylla Aeneae sortes dat.

V. 19 sqq. Haec dedit Aeneae sortes. Vossius Cumis in Italia contendit oraculum heroi datum cum appulisset, ut apud Virgilium est. Male. Cum addat Tibullus statim: postquam ille parentem Dicitur et raptos sustinuisse Lares, h. e. cum abstulisset eos humeris ex urbe et navi imposuisset s. non diu post discessum, quis iam de sorte diu post in Italia edita cogitabit? Ceterum *sustinuisse* dicit oneris ratione habita, veluti est Cic. de Sen. 10: *cum Milo humeris sustineret bovem vivum.* Quomodo autem sustinuerit parentem et Lares disce e Virg. Aen. II, 707 sqq. et e Tabula Iliaca. Pro Laribus vulgo Penates memorantur, sed cum Penates essent omnes dii in penu culti, cf. I, 3, 33. potuerunt tales etiam Lares esse. Intelligit igitur Tibullus Lares publicos publico in penu cultos, h. e. Penates Troiae, de quibus Heynius dixit ad Virg. Aen. II. Excurs. IX. Denique ad raptos cf. Aen. I, 378. — Pergit: Nec fore credebat Romam. Recte observant Vossius et Wunderlichius non pendere haec a v. *postquam.* Prava iunctura: sortes dedit, postquam non credebat Romam fore, cum moestus Ilion et ardentes deos respiceret. Potius suapte vi incedit

sententia, ac valde placet in poesi subiecta huiusmodi amplior descriptio. — ardentes deos graviter pr. templis deorum cum signis, ut passim dicuntur dii pro templis et pro signis suis, cf. PASSERAT. ad Propert. II, 5, 28. et BROUCKHUSIUM ad hunc Tibulli locum, qui v. c. affert HORAT. IV, 4, 48. Postremo notabis *ardentes* secundo substantivo additum, licet sensu etiam ad Ilion adiectivum pertineat. — Perlectis distichis ambobus, si denuo quaerimus, quando Aeneae datae sint sortes, HEYNIUS respondet solventi datas, comparans DIONYSIUM Antiq. Rom. I, 55., qui narrat Erythris Idaeis in Troade oraculum Aeneae datum a Sibylla loci. Sed alienum hoc a Tibullo. Erythrae istae sunt vicus Mermessus a rubro colore soli hoc nomen nactus, ut e PAUSANIA X, 12. liquet, Mermessiam autem Sibyllam distinguit Tibullus infra v. 67. a nostra. Videtur igitur poetae sententia haec potius fuisse, Aeneam, cum paullo post discessum Ionias Erythras appulisset, ibi ab Erythraea celeberrima Sibylla accepisse oraculum.

V. 23-38. Digressio de habitu prisco locorum, ubi Roma condita.

Dum totius regionis imaginem ostendit, montes et Velabri undas, habemus totam vitam pastoritiam expressam. Complectitur enim descriptio tria momenta, *usum vitae quotidianum* (pastionem et casas), *religiones*, *amores*, pulchra gradatione ad unam absolutam ideam composita. — Ceterum alii loci de his temporibus sunt, quos HEYNIUS confert, VIRG. Aen. VIII, 337 sqq. PROPERT. IV, 1. OVID. Fast. I, 509 sqq.

V. 23 sq. aeterna, solemni usu Roma vocatur, ut constat. Plura habent BROUCKHUSIUS, VULPIUS h. l. et DOUSA Praecid. c. 8. — firmaverat. Qui *formaverat* probant, afferre possunt VIRG. Aen. IX, 80: *Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida Aeneas classem.* Quod enim BROUCKHUSIUS et VULPIUS argute de concepta animo specie et imagine urbis futurae verbum interpretantur, damnavit iam HEYNIUS. Sed praestat *firmaverat* probatum STATIO, CYLLENIO, VOSSIO, HUSCHKIO, GOLBERYO, LACHMANNO, h. e. nondum munimenta moenium condiderat, fossa et vallo circumdato urbi: hoc enim fecit, lapideus murus post Romulum exstructus. Comparat HUSCHKIUS Claudian. Rapt. Proserp. I, 236: *Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant Cyclo-*

pum firmata manu, ubi similiter alii *formata* habent. — non habitanda Remo, h. e. quae cum contempsisset Remus transilieus, caesus poenam tulit. Liv. I, 7: *Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros, inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adiecisset, Sic deinde quicunque alius transiliet moenia mea, interfectum*, ubi adde interprett. Hinc caedes Remi pro augurio habita, inviolabilia fore Romae moenia. Quo pertinent Propertii verba III, 9, 50. laudata iam a Cyllenio: *et caeso moenia firma Remo.* Idem vero sic scribens: „urbem septam muro ne quis transgrederetur, per supplicium nondum firmaverat" improprie accipiens Tibulli verbum *firmaverat*, ut videtur, erravit. Tibullus *firmaverat* proprie dixit, ut monuimus, comprobatam vero mox etiam caede Remi esse munimentorum inviolabilem sanctitatem, hoc apud Tibullum significatur verbis: *non habitanda Remo*, et vide euphemismum orationis, poeta lenissimam locutionem usurpante. Est vero consorti pr. fratri, ut saepe vox de fratribus et sororibus v. c. Ovid. Met. XI, 347. Epist. ex Ponto III, 2, 47. Res nota etiam a Vulpio et Heynio monita. — V. 25 sqq. His versibus ut habitus istorum montium describitur, ita pastoritiae vitae quotidianus usus, qui pastione gregum et habitatione in tuguriis continetur. Sequitur nunc deorum cultus; videbis autem nonnisi pastoritios deos memoratos, ut par est. — suberat ilicis umbrae, stabat sub ilice signum dei, cum ilex sacra esset deo, docente Vossio ad Virg. Eclog. VII. p. 361. — Lacte madens, spargebatur lacte signum pro sacrificio, ut Pales supra I, 1, 36: *et placidam soleo spargere lacte Palem.* — Mox facta lignea falce Pales, cf. Propert. IV, 2, 59: *Stipes acernus eram* (Vertumnus) *properanti falce dolatus.* Tibullus addit agresti, h. e. qualis agrestibus habetur. Neque enim alia meliora instrumenta isti pastores possidebant. — V. 29 sq. vagi pastoris, errantis per montes et valles cum gregibus. Sed cur hoc epitheto utitur? Propter istam pastoritiae vitae rationem, quae non aedes fixas deorum noverat, ubi dedicarentur donaria, sed ubi forte versarentur errantes cum grege, suspendebant vota hac illave in arbore. — votum, cf. Propert. IV, 3, 17: *omnibus heu portis pendent mea noxia vota*, h. e. dona votiva, laudante Huschkio,

qui etiam *εὖχος* confert in epigramm. Platon. Br. Anal. I, 170: *χαλκῷ μορφώσας τις ὁδοιπόρος εὖχος ἔθηκεν.* Porro quod f i s t u l a dicata saepe est ab iis, qui artem canendi abiurabant, ut Virg. Eclog. VII, 21., alienum est ab hoc loco. Hic de donis agitur, quae pastores pro incolumitate aut flore gregis vovebant. — s i l- v e s t r i d e o, Silvano, ut viderunt Heynius et Vossius; aegre enim in tali antiquorum temporum descriptione Silvani mentione caruerint veteres. Vidimus de eo ad I, 1, 14. Ieiune alii collective Tibulli verba explicant de diis agrestibus generatim; poetae certas personas praeferunt. Sciebat vero haud dubie Silvanus fistula canere pastoritia, ut delectaretur hoc dono sibi suspenso. Cf. Voss. ad Virg. Ecl. X, 24, p. 191. Postremo memineris silvas lucosque olim ubique fuisse in montibus Romanis. Sic in intermontio Capitolii duo querceta erant, alia versus Tiberim descendebant, ut nemus Argileti. Caelius olim Querquetulanus dictus, inter Caelium et Esquilias erat Fagutal, et Esquiliae ipsae ab aesculo nomen traxerunt. Aventinus autem etiam posteriore tempore lauretum habebat in superiore parte, et descendenti ilices umbrosae se offerebant ad fontem stantes Fauno Picoque sacrum. Fuerunt denique etiam in Palatino luci, ut Vestae lucus versus forum, alius versus Velabrum, nec dubium etiam olim in eo silvas stetisse. Vides satis locorum ubi degeret silvester deus. — V. 31. 32. F i s t u l a. Repetitio vocis hic quidem manifesto continuandae descriptioni inservit, cum relativum nudum minorem vigorem habuisset. Similis Homerica ratio Il. II, 838. VI, 396. VII, 138. Odyss. I, 23, al. Porro Virgil. Georg. I, 246. Aliis locis *πάθος* inest, ut Propert. I, 3, 25. 32. 11, 19. 16, 17. Apud Tibullum confer dicta ad I, 3, 5. Ceterum describit poeta hic ex cannis inaequalibus compactam cera fistulam. Confer Achill. Tat. VIII, c. 6. pag. 174. edit. Iacobs., Ovid. Met. VIII, 189 sqq. aliosque locos ap. Brouckhusium. Add. Voss. ad Virg. Eclog. II, 35. At particulas s e m p e r et u s q u e de ordine paulatim et continuate decrescente positas Huschkius monet. Postremo non ieiunum dices pentametrum nec totum distichon, si memineris suaviter morari poetae cogitationem in simplicitate istorum temporum. Hinc etiam fistulam studiose describit et explicat, ut quod libenter et magna cum voluptate facimus. Similiter

alii. — V. 33 sqq. Velabri regio erat planities, ut constat, inter Capitolium, Palatinum et Aventinum montem, in quam Tiberis exundare solebat, antequam cloacae substructae erant. Conf. Propert. IV, 2, 7. 9, 5. Ovid. Fast. VI, 401. Varro de ling. Lat. V, 43. Müll. Add. Donat. de urbe Roma II, 15. in Graev. Thes. T. III. p. 610. Nardini Rom. vet. V, 10. VII, 4. in Graev. Thes. T. IV. ne plura afferam. Notarunt Brouckhusius, Vulpius, Heynius. — pulsa aqua, cf. Catull. LXIV, 58: *iuvenis pellit vada remis.* — Verba sequentia: placitura magistro, nescio quas turbas excitarunt. Maximopere displicuerunt Vossio turpia hic somnianti, unde audacter de coniectura *pia cura* reposuit pr. *placitura.* Huschkius reprehendens Vossium „de eventu, inquit, non proviso sermo est.“ Ego non credo, ut sunt verba; quae dicitur tendere aliquo placitura, cupit placere, et vim inferas apertis verbis aliter interpretans. Melius Wunderlichius: „More antiquo puella pastorem suum adit, vid. Heyn. ad Virg. Eclog. III, 66. 67., ac cum de honestae puellae honesto amore sermo sit, non video cur *placitura* aliter interpretemur quam cetera verba iubent, vocabulum per se minime inhonestum.“ Profecto clarum simplices et incorruptos mores agrestium hominum describi. Sed non omnia vidit. Verus sensus: Invitata ab amatore ad festum committit se exiguae rati vel cum periculo amans puella et transvehitur aquam. Ceterum magister gregis est dominus et pastor gregis sui. Significat vox aut simpliciter pastorem aut praefectum pastorum, ut notum. Et ditis est numerosi, unde etiam agnum dat puellae suae. Si vera lectio. Dicitur dives aurum, gemma, opus, munus, dives ager; num vero *dives grex* conveniat simplicitati Tibullianae dictionis dubitari potest. — festa die. Cogitat Wunderlichius de natali amatoris non bene; post laudes deorum praecedentes publicum festum iure exspectamus, idque etiam per se melius. Agitur igitur de Palilibus d. XI. Kal. Mai. ut videtur, observante Vulpio et Vossio; tum caseus, Varr. de Re Rust. II, 11. et agni pingues, Virg. Georg. I, 341. habentur. Ceterum post ea, quae saepe monui de collocatione v. est, cf. I, 1, 34., vides inepte id a multis post *die* positum. Optimi libri habent *festa est* recte. — Ad iuvenem h. e. ad eum, ad magistrum. Eandem enim personam esse certissimum. Sed pronomen

ieiunum fuisset et minime poeticum, hinc substituit appellativum. — Cum qua redierunt. Puella rediens donatur ab amatore caseo, non vili dono pastorum, et agno. Agnus ovis, ut pulli equorum, catuli tigridum, scymni leonum, hinnuli cervorum. Ornatum quaerit, ut vides. Ac cum niveae sint laudatissimae ovium, cf. Virg. Eclog. II, 20., cumulate niveae candidus dixit.

V. 39-66. Persequens argumentum supra interruptum, subiicit vaticinium Sibyllae ipsum de adventu Aeneae in Italiam, origine Romae et imperio Romano futuro per orbem.

V. 39 sq. Impiger. Recte sic alloquitur eum, qui longinqui itineris molestiam strenue suscipit. Ceterum observa subitam mutationem orationis, poeta sine nova praeparatione ad verba Sibyllae exhibenda pergente. — frater Amoris, ex matre Venere. — volitantis, volucris, aligeri. Vulpius: „Recto iudicio Amorem appellat aligerum, ut sit duorum fratrum quaedam similitudo.“ Nihil his proficias. Illud quaero, cur omnino nominet Aeneam hic Amoris fratrem, neque enim inanem laudem dicere voluit. Responsio facilis: Dico suaviter per totum carmen amoris mentionem fieri ubi commodum, et nunc quidem hoc subest propositis verbis: Comitabitur te etiam in Italiam volitans frater aderitque genti tuae, sub auspiciis Amoris quae laete in istis terris efflorescet. — vehis ratibus, vides in itinere esse Aeneam, ut supra explicuimus. Appulerat ad littus Erythraeum. — Troica sacra, penates, simulacra penatium lignea. Vide Heynii Excurs. IX. ad Virg. Aen. II. — V. 41 sq. Laurentes agros. Situm locorum, de quibus Tibullus dicit, Heynius explicuit ad Virg. Aen. VII. Excurs. III. Appulerunt Troiani ad littus orientale Tiberis, ubi silva lauris frequens erat, ex qua tota regio istorum locorum *Laurens*, *Laurentina* dicta. Hic Aeneas castra munit quattuor stadiis a mari secundum Dionys. I, 53., quae Virgil. Aen. X, 635. *Laurentia castra* dicit, Tibullus ut Varro ap. Serv. ad Virg. Aen. IX, 8. Laurens castrum. Sedes prima Troianorum, parvum oppidum, etiam Troia dictum. Non longe hinc et a Tiberi versus orientem erat regia Latini *Laurentum*, eo loco situm qui nunc *Paterno* et *Torre di Paterno* vocatur. A Laurento ad orientem paullo altius in mediterranea procedenti,

Lavinium se offerebat, stadiis XXIV. s. III. M. passuum a mari conditum ab Aenea, non longe a fonte Numicio, qui inter Laurentum et Lavinium defluebat. Postremo Alba Longa condita XXX annis post ab Ascanio in clivo montis Albani, et traducta huc a Lavinio sedes regni. Atque haec hactenus. — vocat, invitat, hospita terra Lares; nam hospitio et foedere excepti a Latino et Laurentibus (Liv. I, c. 1. Dionys. I, 59.) Troiani mox condidere Lavinium, ubi positi Lares etiam postea diu servati feruntur auctore Timaeo ap. Dionysium I, 67., qui tamen suo tempore ipse Romae eos vidit. Vide etiam Varron. de ling. Lat. V, 32. p. 146. Speng.: *Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanae Lavinium; nam ibi penates nostri.* Aeneas autem mortuo Latino aliquamdiu solus per totam istam regionem regnavit. Bellum adversus Latinum gestum, quod alii narrant cf. Niebuhrii Hist. Rom. I, p. 214. ed. ult., non videtur credidisse Tibullus. — V. 43 sqq. sanctus h. e. divus, ut legitimo usu sancti sunt dii, vide quos locos scriptorum et inscriptiones laudat Forcellinius s. v. Ac heroicum cultum, qualem Graeci, domesticae religiones Italorum non noverunt, quare apud hos, ex hominibus dii fiunt, nunquam heroes, ut etiam Imperatores, qui consecrabantur, non heroes sed dii facti sunt. Monui ad Pindarum pag. 653. — veneranda, sacra. Numici. Flumen *Numicius* dicitur vulgo, quod etiam hic teneam; Silius deinde etiam formam *Numicus* habet, et prosaici recentiores quidam ut Servius, Vibius, Solinus, cf. interprett. ad Liv. I, 2. Drakenb. Videamus cetera. Rem hic significatam referunt Liv. I, 2. Dionys. I, 64. Ovid. Met. XIV, 600. Pugnâ ad Numicium factâ contra Etruscos et Rutulos, qua interemtus Turnus, Aeneas se coniecit in flumen nec visus est postea, sed faecibus mortalibus purgatus ad deos adscendit, unde hic unda abluens eum ad caelum misisse dicitur. Factum ad flumen sacellum cum luco, Aeneas autem Iovis aut Patris Indigetis nomine cultus est cf. Liv. I, 2. Virg. Aen. XII, 794. Ovid. Met. XIV, 608; atque etiam consules Romani postea quotannis cum pontificibus sacra fecerunt ad ripam, cf. Niebuhrium in Histor. Rom. Tom. I. p. 207. laudantem Schol. Veron. ad Virg. Aen. I, 260. — Ecce super fessas etc. Sunt *fessae* legitimo usu apud poetas ex longo itinere naves, nisi ubi iactatae

fluctibus dicuntur. Videt Sibylla super classem ad littus Latii appellentem animo Victoriam volitantem, quod est augurium reportandae post Lavinium conditum magnae de Rutulis sociisque Etruscis victoriae, quae conformabit Troianum imperium. Esse alatam vulgo Victoriam constat, cf. Schol. ad Aristoph. Av. 574. ubi Archennus (Ol. 55.) primus alas deae dedisse dicitur. Ac quis non recordatur *Ἀθηνᾶς Νίκης* Eurip. Ion. 460. 1545. cf. Gedick. ad Soph. Philoct. v. 134. Heynius addit multis in nummis Siciliae et Italiae volitantem conspici Victoriam. Postremo vide Boettigeri Comment. de Victoria, praemissa volumini II. Ephem. litt. univers. ann. 1803. et Mülleri Compend. Archaeol. p. 625. — V. 47 sqq. Ecce mihi lucent etc. Cyllenius, Vossius, Wunderlichius, Huschkius illud incendium respici putant, quo Turnus Troianorum classem exurere parabat cf. Virg. Aen. IX, 69 sqq., ut incendia pr. facibus sint in castris Rutulorum paratis, veluti Wunderlichius Ovid. Met. XIV, 539. Virg. Aen. IX, 71. affert. Incommode. Post antecedens distichon de Victoria ad Troianos veniente, quis quaeso de Rutulorum conatibus hostilibus exspectat dictum iri, ac non potius de Troianorum successibus? Ac quem nexum istae faces cum nece Turni habent? Immo recte Heynius: „Necesse est fuisse inter veteres de Troianorum rebus in Italia fabulas etiam aliquam narrationem de castris Turni ab Aenea captis et incensis, etsi a Virgilio praeteritam.“ Conspecta primum Victoria super naves, nunc Sibylla per continuationem visionis etiam propius exitum belli cernit. — barbare. Post Statium Brouckhusius et Vulpius Italum, Latinum interpretantur, Heynius autem haud dubie melius saevum, ferocem. Sequitur Golberyus. — Laurens castrum. Heynius non bene Laurentum intelligit, observante etiam Vossio si insigniore vocabulo Laurens castrum urbem dixerit Virgilius Aen. IX, 8., minus tamen apte Tibullum urbem dicturum fuisse castrum. Ac vidimus iam supra primum locum ab Aenea in littore munitum a Varrone *Laurens castrum* dictum, a Virgilio *Laurentia castra.* Accedit, quod conficit rem, ipsa ratio sententiae; Laurentum Latinorum erat, Sibylla ea loca memorat et memorare debet, quae a Troianis condita, primum Laurens castrum, etiam Troiam novam dictum atque hac quoque de causa non praetereundum, de-

inde Lavinium, maiorem sedem Aeneae, postremo Albam Longam Ascanii. Atque haec hactenus. Nunc postquam singula verba antecedentium distichorum consideravimus, etiam *de universa tractatione loci* nonnulla addamus. Historicus ordo rerum hic erat: Iuppiter assignat tibi Laurentes agros; positis castris in littore Tiberis mox hospitaliter exceptus a Latinis condes Lavinium, vinces deinde bello Turnum, denique adscendes ad deos, Ascanius autem postea Albam fundabit. Nunc vide contra dispositionem poetae praeclaram, qui totam rem in tres partes dividit, quasi totidem *visa* et *imagines* exhibens se deinceps succedentes in animo vatis. Nam *primum* Sibylla hoc dicit: Iuppiter assignat tibi Laurentes agros, ubi hospitaliter exceptus postremo pro deo colēris ablutus unda Numici, totam futuram vitam Aeneae sic uno intuitu complectens summatim. *Deinde*, ut qui diutius intuendo paulatim etiam plura singula cernunt, Victoriam videt super classem appellentem, et incendia castrorum Rutulorum Turnique necem. *Denique* se urbes quoque offerunt conspectui eius a Troianis condendae, Troia nova, Lavinium, Alba. Quid hac dispositione poetae aptius? Divide igitur ad eandem normam etiam sequentia. Cernet enim nunc *alia* deinceps visione Sibylla Iliae Martisque amplexus, *alia denique* Romae magnitudinem futuram. Respice denique totam seriem, adventum Aeneae in Italiam, victoriam, urbes a Troianis conditas, Romuli originem, Romae nuntiatam magnitudinem, et videbis continuam gradationem esse a primo momento ad ultimum, quo omnia tendunt. — V. 51 sqq. **Ilia**, Numitoris filia, virgo Vestalis, cum exiisset aquam petitura placuit Marti, ut constat. **placitura.** Si ita dictum esset: tu quoque Marti placitura deseruisti Vestales focos, s. te video focos deseruisse placituram, tribui virgini Vestali crederes consilium placendi, quod ne facias aliam scite constructionem elegit, et vocativo addidit *placitura*. Sic consequitur ut eventum non provisum a puella significari sentias. Sibylla videt egressam templo, focis incaute desertis, nesciam quid instet, dum mox succumbet Marti. — **furtim**, cum deus in virgulta proxima traxisset puellam. Frustra autem Vossius *datos furtim* coniecit, quod nihili. Quod enim solis loci et temporis adverbiis hunc Graecismum concedit, ut omisso verbo substantivo pro adiectivis poni possint, Wunder-

LICHIUS opponit VIRG. Aen. III, 489: *O mihi sola mei super Astyanactis imago*, et LIV. XXV, 33: *Id quidem cavendum semper Romanis ducibus erit — ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie virium in castris habeant.* Ceterum de Graeco usu conf. MUSGRAV. ad Eurip. Orest. 74., ERFURDT. ad Soph. Antig. 633. ed. min., SCHAEFER. ad Dionys. Hal. de Compos. verb. p. 77. — Mox vittas iacentes, quae delapsae erant reluctanti puellae. Pulchre vero et significanter res memoratur. Cum enim vittae insigne virginitatis essent et Vestalium, nonne cadere debebant quo tempore virginitatem et sacerdotium amissum ibat? — arma relicta dei, quae oblitus est tollere humo plenus cogitatione voluptatis perceptae. — V. 55 sqq. Carpite nunc, tauri etc. Observabis insignem suavitatem huius apostrophae, per oppositionem prioris habitus locorum praeparantis magnitudinem urbis futurae nuntiandam. — tuum nomen, pr. tu, magnifice in tali sententia, ut constat. Mox Qua sua de caelo prospicit arva Ceres, qua culta terra patet, ubicunque aratur et habitatur. Non te fugiet suavitas locutionis a re rustica petitae, cuius cogitatione tantopere delectatur Tibullus. Ceterum amant dii de caelo res sibi creditas inspicere. Comparat VULPIUS Ovid. Fast. I, 85: *Iuppiter arce sua cum totum spectet in orbem, Nil nisi Romanum quod tueatur habet.* Res nota. — Mox anhelantes equos abluit, h. e. sudantes. Neque enim pulvis abluitur, qui non contractus erat in caelesti itinere. Est vero amnis Oceanus, HOMERO ποταμός dictus, ut constat. Vide similiter infra III, 4, 18. dictum, et VIRG. Georg. IV, 233. et STAT. Achill. I, 49. laudante BROUCKHUSIO et HEYNIO. Sed fluitantibus undis ieiunum iudicat VOSSIUS et *rutilantibus* substituit. Perperam. Cum de abluendis equis agatur, coloris mentio manifesto aliena est, at vivum flumen, mobiles, undantes, fluitantes aquae, hae sunt quae conveniant lavationi et refrigerationi equorum. Ceterum conf. ad I, 1, 62. Nihil magis falsum quam quod BACHIUS scribit: „In his descriptionibus singula epitheta non urgenda sunt.“ Inani strepitu verborum non delectatur Tibullus, nec reperio huiusmodi quid apud eum usquam. — V. 61 sqq. Troia quidem tunc se mirabitur, scil. ubi tam magnifice revixisse se viderit in filia Roma,

matre longe maiore. — **sic**, vox adiurantis, sic vescar innoxia lauro, ut nunc vera dixi, ac nolim vesci nisi vera cecini. Ovid. Met. VIII, 866: *Sic has deus aequoris artes Adiuvet, ut nemo iam dudum littore in isto, Me tamen excepto, nec femina constitit ulla.* Porro lauri folia manducasse vates furoris causa notum, cf. Spanhem. ad Callimach. in Del. 94. laudatum iam a Brouckhusio et Heynio, et adde Vulpium ad Tibulli hunc locum. — **Vesci** cum quarto casu antiquioris maxime et poeticae dictionis est, rarius autem legitur in prosaicis. — **innoxia** scil. a furore. Lucan. IX, 892: *gens a saevo serpentum innoxia morsu.* — Pergit: **et aeternum sit mihi virginitas**, quippe quam retinuisse perpetuo Cumaea Sibylla dicitur, cf. Ovid. Met. XIV, 129 sqq. Tamen Tibullus qui toties amoris recordatur in hoc carmine, cum ironia quadam iucunda hoc verbum scripsisse videtur. — **te sibi, Phoebe, vocavit et iactavit fusas comas**, inter dicendum puta saepius repetita vice, atque etiam nunc in fine graviter sic claudens vaticinium. Observabis quam dignum exitum magnitudine rerum narratarum poeta imposuerit narrationi; videmus enim praesente deo vaticinium memorabile peractum, monstrantque comae iactatae dominans in vate divinum numen. Constat iactationem comarum fanaticis et vaticinantibus fuisse propriam. Affert Gebhardus Euripid. Iphigen. Aulid. v. 757 sqq. de Cassandra. Wunderlichius confert Valer. Flacc. I, 208. et sparsos crines vaticinantium ab Huschkio illustratos Analect. crit. p. 81. Addit idem Catull. LXIV, 306. et LXIII, 23. Vulpius laudat Virg. Aen. VI, 48. Alia denique nunc docte congessit Huschkius de his formulis. Nam illud etiam fanaticis proprium erat, *fundere comas ante caput* vel *ante frontem*, vel *crines pendulos rotare in circulum*, quod scribit Appuleius VIII, 172., ita ut *anteventulae contegerent faciem*, quod idem scribit IX, p. 198. ed. Pric. Huc pertinet locus Ovidii laudatus ab Heynio Fast. I, 503. de Carmenta: *Utque erat immissis puppim stetit ante capillis.* Igitur etiam hoc loco *fusae ante caput comae* magnum furorem Sibyllae indicant deo plenae. Est autem *iactavit fusas* pr. iactavit ut funderentur.

V. 67-112. **Medium carmen. Altera pars. Quae vero ab aliis Sibyllis ostenta praedicta nuper eve-**

nire vidimus, pergit poeta, praeterita sint; tu Apollo tolle in posterum prodigia et felicis anni praebe nobis auspicia his flammis sacri tui. Quod cum faciat deus, continuo ab oppositione adversarum rerum transit ad fausti anni bona et gaudia rustica describenda, in fine tamen etiam querimoniam eroticam admiscens.

V. 67 sqq. Constructio est: Quicquid Amalthea — sinu, — haec fuerant olim, h. e. Quae vero prodigia reliquae praeter Erythraeam sive Cumanam Sibyllae praedixerunt, praeterita sint nec redeant. Est enim hic oppositio, et distinguit poeta a principe Sibylla, de qua hucusque dictum, ceteras. Circumferebantur praeter carmina publice servata etiam alia multa Sibyllina, et Augustus postea super duo millia fatidicorum librorum Graeci Latinique generis contracta undique cremavit. In his multa prodigia praedicta, quae bellorum civilium tempore terruerunt animos, Lucan. I, 564: *Diraque per populum Cumaea carmina vatis Vulgantur.* Ac Tibullus quidem haec infausta oracula ceteris Sibyllis tribuit, principalem vero Sibyllam statuit fausta Romanis et laeta nuntiare, ut Vulpius etiam animadvertit. Quamquam enim genuini quoque seu pro genuinis habiti libri nuper collecti prodigia varia continuerunt haud dubie, tacuerunt haec XV. viri si legerunt, et nuntiarunt nonnisi quae salutaria reipublicae, cuius generis sunt etiam procurationes prodigiorum. Ac credibile cum post antiquiora cremata oracula e novis collectis delectus haberetur, eiecta et remissa iam tum tristiora multa effata, ut contraria Romani imperii fatis. — Amalthea apud Lactantium I, 6. est Cumana, sed Tibullus distinguit utramque alios auctores secutus. Cumana potuit Tibullo Demo esse, quam Pausanias nobis indicat X, 12. — Marpessia. Fuit *Mermessus* vicus in agro Gergitio, cf. Suid. s. v., alia pronuntiatione nominis, ut Heynio videtur, etiam *Marpessus* dictus, siquidem in codicibus Pausaniae libr. X, 12. et Lactantii l. c. haec forma reperitur, ut non opus sit cum Brouckhusio rescribere *Mermessia* de sententia Salmasii Exercitt. Plin. p. 78. Probabile vero Marpessiam nunc dici Herophilen, quemadmodum apud Pausaniam se talem venditat ipsa l. cit.; quod placuit Huschkio, suspicante

idem etiam Vossio, et secutus est Lachmannus. Iam vero desideratur in sequentibus alius Sibyllae nomen. Vossius pro *Phoebo* coniecit *Demo*, Cumaeae Sibyllae apud Pausaniam nomen, Huschkius autem *Phyto*, quae Samia fuit secundum Suidam s. v. et *Auctor. Quaestionis: Quot fuerint Sibyllae* ap. Montef. Biblioth. Coislin. p. 347. neque ignobilis, siquidem etiam in Samo quaeri iussit oracula senatus, cf. Tacit. Annal. VI, 12. Ac *Phoebo* etiam propterea incommodum hic esse observat Huschkius, quia vocativus nominis modo praecessit. Iam quaeritur quid sit *grata*. Supplet Huschkius: *tibi o Phoebe*, cum Vossio, quod tamen durum, aut *diis*, quod magis etiam displicet. Omnino vero cum Tibullus nunc detestetur oracula istarum Sibyllarum, vides in tali nexu maxime incommodum esse epitheton *grata*, sive *Phoebo*, sive *diis* suppleas. Ne multa, palmaria est coniectura Lachmanni mecum per litteras communicata: Phoeto Graiaque. Nam Marpessia Herophile Troiana est. Putanda vero illa *Φυτώ* esse ipsa haec Phoeto a *φοῖτος*. — V. 69 sq. Quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes portarit, etc. Statius *Albunna*, Scaliger *Albuna*, sed probari nequit Albunam dictam quae Albunea fuit Varrone teste ap. Lactant. I, 6. Eandem formam referunt verba licet corrupta Auctoris Quaestion. modo laudatae ap. Montef. l. cit.: *ἐπὶ πᾶσι δεκάτη, ἡ Τιγουρτία μὲν γένος, ὄνομα δὲ Ἀβουναία.* Verum potius videtur quod Excerpta Lipsii habebant: *Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes portarit*, idque probarunt post alios Heynius et Lachmannus, in textum etiam receperunt Vossius et Huschkius. Sic enim Varro ap. Lactantium l. cit.: *Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quae Tiburi colitur ut dea iuxta ripas amnis Anienis; cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur tenens in manu librum, cuius sortes senatus in Capitolium transtulerit.* Unde satis intelligitur quid Tibullus scripserit. Fuit autem Albunea, ut ex Lactantio discimus, proprie non Sibylla, sed domestica vates Italiae, quam annumerarunt Sibyllis similitudinis causa et cum sortes eius similiter in Capitolio servarentur. Constat enim in Capitolio praeter Sibyllinos etiam alios libros fatidicos habitos, cf. Serv. ad Virg. Aen. VI, 72. Atque Albuneae sortes, cum in flumine reper-

tae dicerentur, tabulas ligneas NIEBUHRIUS Hist. Rom. Tom. I. p. 566. ed. tert. fuisse putat inscriptas litteris Latinis. Sed Tibullum si consideramus, hic illud miraculum narrat, cum vates dum viveret aliquando per Anienem portaret volumen suum, pertulisse id siccum; unde ego illud potius collegerim, non fuisse ligneas sortes sed mollioris materiae, cui nocere posset aqua. Nam et in Varronis et in Tibulli narratione hoc inest, illaesum a flumine mansisse librum, quae res quid tam mirabile habet, si ligneus fuit? Veniamus ad reliqua. Sensus grammaticus loci: quaeque vaticinia Albunea per Anienem fertur tulisse sicco sinu. Nam coniunctivi *portarit* et pertulerit sunt opinantis, non certo affirmantis, et opinionem vulgo traditam referentis (*mag getragen haben*). Postremo num ex libro in Capitolio publice servato evulgarint prodigia praedicta XV. viri dubitari potest, at habebantur haud dubie vulgo aliae similes suppositae Albuneae sortes. — V. 71 sqq. Hae fore dixerunt. Nova parenthesis. Ceterum HEYNIUS annotat: „Respicit Tibullus haud dubie prodigia et portenta, quibus belli civilis terrores per genus humanum illa aetate circumlati fuerant, duobus maxime temporibus, primum sub initium belli inter Caesarem et Pompeium gesti, v. DIO CASS. XLI, 14. et duo amplissimi poetarum loci, LUCANI I, 524 sqq. et PETRONII c. 122 sqq., tum sub Caesaris necem, VIRG. Georg. I, 466 sqq. [ibiq. HEYN. et Voss.] et OVID. Met. XV, 782 sqq." Idem HEYNIUS monet in describendis huiusmodi prodigiis praeivisse Romanis poetis APOLLON. RHODIUM IV, 1280-1288. Ac quid non lectum talium descriptionum in Sibyllinis carminibus quae ferebantur! — cometen intelligit visum ann. 610. aestate, post mortem Caesaris, habitum a populo pro divo Caesare, cf. Voss. ad Virgil. Georg. I, 488. — Multus lapis, imbres saxei dicti, frequens portentorum genus ap. LIVIUM et IULIUM OBSEQUENTEM, quod novemdiali sacro expiabant. Videntur huc pertinere nominatim Aetnae eruptiones, veluti SERVIUS ad Virg. Georg. I, 472. ex LIVIO narrat: *tanta flamma ante mortem Caesaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes sed etiam Rhegina civitas afflaretur.* Ceterum de collocatione particulae que confer I, 3, 38. 6, 54. — Atque tubas atque arma ferunt. Observabis cum aliis praeclaram mutationem orationis.

Cum enim ante narraverit quid praedixerint Sibyllae, non pergit narrare praedictiones, sed ἐμφατικῶς pro praedictionibus iam ipsas res portentosas, quae tum praedictae evenerunt, narrat. — Atque — atque. Nota etiam aliunde repetitio particulae cum vi in enumeratione, ut Virg. Georg. IV, 463. Eclog. V, 24. — *crepitantia*, proprium armorum verbum, cf. Burmann. ad Ovid. Met. XV, 783. laudatum ab Heynio. Porro ad rem confer Virg. Georg. I, 474: *Armorum sonitum toto Germania caelo Audiit.* Videntur, ait Vossius ibidem, legiones Germanicae noctu fulgenti boreali lumine vidisse et audisse pugnas in nubibus peditesque et equites armis certantes. Pertinet eodem Ovid. Met. XV, 783. Contulerunt etiam Plinium II, 58: *Armorum crepitus et tubae sonitus auditos e caelo Cimbricis bellis accepimus, crebroque et prius et postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma caelestia ab ortu occasuque inter se concurrentia.* — lucos, voces e lucis editae. Virg. Georg. I, 476: *Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes Ingens.* Lucan. I, 569: *Tum fragor armorum magnaeque per avia voces Auditae nemorum*, laudante Brouckhusio et Heynio. — fugam, cladem exercituum et novos impetus populorum septentrionalium, nominatim Germanorum, ut docet supra comparatus locus Virgilii. — praecinuisse Wunderlichius etiam ad tubas et arma refert, quemadmodum sane in simili loco Ovid. Met. XV, 783-785. *praemonuisse* est positum. Me si audis, divide hic constructionem, quod ubi fieri potest, ubique praeferri debet in poetis, utpote magis poeticum. Quemadmodum enim prosa oratio, ubi mentis sobria cogitatio dominatur, unitates constructionum maiores fingit, ita poeseos vividior indoles dissimiles membrorum rationes amat, nec diu pendentes structuras, sed breviori ambitu absolutas sententias. — V. 75 sqq. Solem defectum lumine. *Est prodigiosus et longior solis defectus, qui fuit Iulio Caesare occiso, totius paene anni pallore continuo*, ut Plinius testatur II, 30. Add. Plutarch. in Caes. extr.: *ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν.* Et Dion. Cass. XL, 7. et Virg. Georg. I, 466. quae Brouckhusius et Heynius laudant. Putant fuisse nebulam istam, quam nos *Heerrauch* dicimus, cf. Heyn. et Voss. ad Virg.

l. cit. Ceterum etiam verum defectum solis eo anno fuisse testatur, referente WUNDERLICHIO, Collectio tabb. astronom. (*Sammlung Astronom. Tafeln*) Berol. T. II. p. 122. Postremo ad verba *defectum lumine* conf. OVID. Met. X, 194: *defecta vigore cervix.* Observa etiam pallentes equos pallore solis, quemadmodum PROPERTIUS III, 5, 34: *atratos* dixit, *Solis et atratis luxerit orbis equis.* — Pergit: Et simulacra deum etc. Supplendum ex antecedentibus annus vidit, bene monente VOSSIO et WUNDERLICHIO, quae continuatio constructionis non caret vigore iusto, cum singulis versibus absolvatur sententia nec quidquam hic diutius pendeat imperfectum. Est igitur fudisse et praemonuisse noto usu pro *fundere* et *praemonere.* Neque illud iure obiicias, post defectum solis minora prodigia commemorata, cum tristissimum ostentum fuerit lacrimatio deorum et bos loquens, observante eodem VOSSIO, ut recte his rebus absolvatur locus. Addamus verbum de singulis. Lacrimas tepentes, *δάκρυα θερμά*, cum flerent et sudarent signa deorum eburnea et aerea humido per istum annum aëre. Idem prodigium habes VIRG. Georg. I, 480. OVID. Met. XV, 792. LUCAN. I, 556. — vocales boves sunt: humana voce locutae. Laudat cum VULPIO et WUNDERLICHIO Propert. II, 34, 37: *Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion* HUSCHKIUS, addens PLIN. X, 1: *aves cantu aliquo aut sermone humano vocales.* Atque haec hactenus; finita parenthesis est. — V. 79 sqq. Lectio: Haec fuerant olim. De plusquamperfecto pr. imperfecto vide supra ad I, 5, 19. At enim haec formula non deprecantis esset, sed desiderantis credo, ut notum illud: *Sed haec prius fuere* CATULL. IV, 25. ubi cf. annotat. Quare bene emendatum videtur *fuerint* a BROUCKHUSIO et in codicibus aliquot. — Prodigia merge sub aequoribus, h. e. tolle si quid apparuerit in posterum prodigii et dele ne noceat. Solebant veteres et partus monstrosos expiationis causa in mare proiicere, ut BROUCKHUSIUS et VULPIUS ostendunt, et, quod HEYNIUS addit, alia portenta quaecunque, quae aboleri poterant. Sic Apollinis simulacrum quod per tres dies fleverat paullo ante mortem Scipionis Africani minoris concisum et in mare proiectum memorat DIO Excerpt. Peiresc. nr. 38. Sublata causa, HEYNIUS inquit, sublatus videri potuit effectus. In hunc modum igitur

etiam Apollo rogatur ut amoliatur et procuret quidquid prodigii in posterum minaturum sit imperio perniciem. Ceterum ad locutionem *merge sub aequoribus* Wunderlichius confert Virg. Aen. VI, 342. Augetur vis sententiae addito adiectivo indomitis, saevis, quibus devorentur ac deleantur penitus. — Et succensa sacris etc. Comburebatur laurus in sacrificiis et in re magica, et crepitus ardentis rami omen felix votorum habebatur, unde nunc bene crepitet, h. e. cum bono omine, cf. Plin. XV, 30. Ovid. Fast. I, 344. Propert. II, 28, 36. Potter. ad Lycophr. 6. Voss. ad Virg. Eclog. VIII, 82. Vides autem hic anni felicis augurium peti e crepitu accensae lauri, siquidem, ut in Introductione monui, haec magna solennia verna Apollinis videntur esse, ubi consentaneum preces fieri pro anni successibus. Ceterum usum v. *crepitare* de flammis rebusque accensis illustrat Bentleius ad Horat. Od. IV, 11, 11. — sacer, faustus. — erit, sic, ait, felicem habebimus annum. Quare frustra Vossius *eat* ex aliquot libris rescripsit. Monuerat iam Brouckhusius esse certam pollicitationem et maius aliquid quam optatum et votum. Nempe scit nec dubitat, si laurus bene crepitet, felicem fore annum. — V. 83 sqq. Laurus ubi bona signa dedit. Quaeritur de vera ratione loci. Potes hunc ponere nexum: Precatus est poeta ut laurus bene crepitet; ecce ratae fiunt preces, revera dat bona signa laurus! Quodsi hoc praefers, vividiore formula opus est in tali eventu nuntiando, veluti supra in simili causa II, 1, 25. legimus: *Eventura precor: viden ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos?* Venuste igitur olim Heinsius coniecit *io* pr. *ubi*, quo nihil est magis poeticum. Sic qui sequitur locus, contiuebit descriptionem iamiam instantis post data bona signa prosperitatis. Verum enim vero observatum est nimis recedere a librorum auctoritate Heinsii emendationem, nec potest facile intelligi quomodo *io* mutatum in *ubi* sit, quae tradita est lectio. Considerabimus igitur nunc etiam hanc. Ac quidni vel sic possit similis esse sensus? *Ubi* de re vere facta ponitur pr. postquam. Erit igitur hic statuendus progressus sententiarum: *Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis.* Hinc cum subiicere posset: *Ecce crepitat bene laurus, ecce dat bona signa,* his omissis statim sic pergit laete: *Postquam laurus dedit bona*

signa, gaudete coloni etc. Nam illud quidem facile videas, hypotheticam sententiam ferri non posse, sed certa spes, certus eventus describitur. Quod denique Vossius scripsit *uti*, aut editiones aliquot priores habent *ut laurus*, nihili est; quam ieiunum illud exclamationis genus hoc loco sit, ipse sentis, *uti* vero ne dici quidem in exclamatione Huschkius iam monuit. Atque haec hactenus. Sed antequam pergamus, praemonenda nonnulla sunt de ratione descriptionis sequentis. Egregie observat Huschkius felicitatis publicae *momenta tria* saepe apud veteres scriptores coniungi haec, *frugum ubertatem*, *feturam gregum*, *matronarum fecunditatem*. Sic Herodot. III, 65: *Καὶ ταῦτα μὲν ποιεῦσι ὑμῖν γῆ τε καρπὸν ἐκφέροι καὶ γυναῖκές τε καὶ ποῖμναι τίκτοιεν, ἐοῦσι ἐς τὸν ἅπαντα χρόνον ἐλευθέροισι· μὴ ἀνασωσαμένοισι δὲ τὴν ἀρχὴν — τὰ ἐναντία τούτοισι ἀρέομαι ὑμῖν γενέσθαι.* Laudat porro Aristoph. Pac. 1317 sqq., Soph. Oed. R. 172, Aeschyl. Eumenid. 905. Videas idem in Hesiodi *Ἔργοις* 232 sqq. Atque hoc nunc etiam Tibullum videbimus secutum, qui primum fruges seu Cererem et vinum, deinde pecuariam rem, denique puerorum laetum proventum commemorat. Postremo hunc locum claudit descriptione festi ruralis lautioris in herbis acti. — Distendet, implebit, ut Virg. Georg. IV, 164: *et liquido distendunt nectare cellas.* Conf. Burmann. ad Anthol. Lat. I, 147, 28. — Porro Oblitus musto rusticus, ütpote naviter calcans magnam copiam. — lacus fuerunt vasa ampla (*Kufen*) ut constat, in quibus mustum primum expressum recipiebatur; Dolia vero, in quibus ebulliebat mustum et defaecabatur (*Tonnen*). Cato de Re Rust. c. 113: *De lacu quamprimum vinum in dolia indito. Post dies XL diffundito in amphoras.* — V. 87 sqq. Accedit ad alterum felicitatis publicae momentum. Sensus: Florebit etiam res pecuaria. Sed pro hoc ita dicit: Pastor vero laete Palilia sua celebrabit pro flore rei pecuariae. Acta vero Palilia d. XXI. Apr. Lustrabant gregem aqua sparsa et fumo, offerebant Pali libam de milio et signum eius conspergebant lacte, precantes ut gregem cum magistro servaret, lupos averteret et lac, caseum, agnos lanamque large donaret. Tum ipsi pastores lac bibebant et sapam, vespere autem poti transiliebant stipulae ardentis acervos lustrationis causa. Confer de his rebus Ovid. Fast.

IV, 721 sqq. — madidus Baccho, h. e. sapa, ut Ovidius docet. Fuit autem sapa mustum decoctum usque ad dimidium, ut Varro dicit ap. Non. c. 17. nr. 14., etsi Plinius XIV, 9. usque ad tertiam partem decoctum refert. Ac puta hornum vinum fuisse, etiam Heynio monente, quippe quod iam biberetur Palilibus. Ceterum de locutione *madidus vino* vide ad I, 2, 3. — Concinet, carminibus pastoritiis celebrabit festum et deam Palem, veluti in Ambarvalibus supra II, 1. rura et dii rurales canuntur, poeta ibi faciente quod rustici vulgo facere solebant. — tunc procul este lupi, tunc desistite insidiari stabulis, cum etiam ad vos arcendos Palilia pertineant. — Ille, commode oppositione pronominis utitur post lupos memoratos. — solemnis acervos, h. e. more solemni congestos, exstructos, veluti *solemnis ignis* est Ovid. Trist. III, 13, 16. — levis stipulae, epitheto vocis consueto, hic tamen ut simul facile laeteque ardens stipula significetur adiecto. — transiliet, Propert. IV, 4, 77. laudatus iam ab aliis. — V. 91 sqq. Sequitur tertium felicitatis publicae momentum. Erravit Heynius hunc locum ex antecedente pendere credens, quasi Palilia etiam matronis fecunditatem attulerint, quod non ita esse viderunt Vossius, Wunderlichius, Huschkius. — fetus dabit. Proprie dici *dare liberos* de parentibus, qui procreant liberos, ut Catull. LXI, 212. Wunderlichius monet. — comprensis auribus, est puerorum et amantium. Pollux Onomast. X, 100: *εἰδέναι δὲ οὐ φαῦλον ὅτι χύτρα καὶ φιλήματος εἶδος ἦν, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα.* Aristaen. Epist. I, 1: *Κἀγὼ τῶν ὤτων λαβομένη τρίς σε φιλήσω.* Copiose illustrarunt rem Statius, Brouckhusius, Vulpius, ubi plura vide. Sentis quam sit suavis hic locus. — advigilare nepoti, h. e. vigilare apud dormientem puerum. Statius Theb. I, 147. comparatus a Brouckhusio: *non impacatis regum advigilantia somnis Pila,* h. e. milites vigiles dormientibus regibus. — V. 95 sqq. Iuvabit conferre Virg. Georg. II, 514 sqq. ubi laudans poeta vitam rusticam, postquam de frugum proventu foetuque pecorum dixit, et de natis circum oscula parentis pendentibus et quae sunt huiusmodi, postremo etiam festum rurale describit instar omnium unum, quod Baccho post vindemiam celebrant. Nam ubi de *felicitate* rusticae vitae agitur, quis *festorum* rura-

lium laudem omittere possit? Ita nunc etiam Tibullus, solennia is describens, qualia ante et post messem agebant rustici in herba, cf. ad II, 1, 21. — operata deo, cf. II, 1, 9. Ceterum haec simul opposita sunt ante descriptis rebus humanis. — discumbet in herba. HEYNIUS comparari iubet Annae Perennae solennia descripta OVID. Fast. III, 523 sqq. — Arboris antiquae, quales cum altae sint, patulosque ramos habeant, longius umbras iaciunt in omnes partes. HORAT. Epod. II, 23: *iacere sub antiqua ilice*, h. e. patula et umbrosa. Omnino saepe mentio fit antiquarum arborum, ubi suavis umbra designanda. GEBHARDUS confert PLIN. Epist. VIII, 7: *Modicus collis assurgit, antiqua cupressu nemorosus et opacus.* — levis umbra, credo quae non nimis propinqua urgeat, utpote altis ramis (*luftiger Schatten*), cum contra humiliores arbores molestam umbram habeant. Sic accommodatum est epitheton consilio loci. HEYNIUS vero „levis umbra, inquit, perpetuo epitheto dicitur, puto quia foliis e fronde arborum leviter ab aura motis ipsa umbra micat et contremiscit.“ At enim ut aliis locis conveniat haec significatio, hic inutilis est et otiosa. Etiam perpetua epitheta per totum Tibullum sic poni vidimus, ut quoque loco vim habeant, neque quod vulgo perpetuum dicitur epitheton, ubique eandem significationem habet, cf. ad II, 6, 8. Ceterum *nemoris levis umbra* est OVID. Met. V, 336. — V. 97 sqq. Aut e veste sua etc. OVID. Fast. l. cit.: *Pars ubi pro rigidis calamos statuere columnis, Desuper extentas imposuere togas.* Sunt haec umbracula sertis vincta suaviter, viminum et iuncorum in morem circum errantibus, quasi frondea sit trichila. Plura de his rebus vide apud HEYNIUM. Confer etiam supra II, 1, 24. — coronatus, ut moris Graecis post Homerum et Romanis, cf. Voss. ad Virg. Georg. II, p. 454. et BROUCKHUSIUM ad Tibullum. — sibi quisque, nam umbracula communiter fecerant communem in usum. — Cespitibus. Suavis lusus in repetitione vocis. Delectat animum cogitatio, omnia hic e viridi cespite esse. Postremo quaeras quomodo factum sit, ut cum in hoc demum disticho de mensis et dapibus loquatur, calicem iam in antecedenti memoraverit. Nempe postquam umbracula dixit sertis vincta, suaviter statim redimitum sertis etiam calicem monstrat ante potantes, potiora uno disticho complectens.

Tum disertiore explicatione addit quae deerant (*Ausmahlung des Gemähldes*). Hac forma descriptionis non raro utuntur veteres. — V. 101 sqq. Postremo de amoribus dicit, quorum mentio ab his rusticis rebus abesse non poterat. — Ingeret maledicta. Amans Tibullus agrestium hominum incorruptos nec effeminatos, etsi minus politos, mores saepius de talibus rixis dicit, cf. I, 10, 53 sqq. Ceterum *ingerere* proprium de malis verbis, ut constat, vide HUSCHKIUM, qui v. c. PLAUT. Asin. V, 2, 77. HORAT. Serm. I, 5, 11. affert. — ferus ille suae, qui nunc ferus amatae, idem deinde sobrius plorabit. Male WUNDERLICHIUS *plorabit suae* iungit in annotatione ad III, 6, 40. — mente mala fuisse, h. e. insanum, vecordem fuisse. Est formula, qua veniam petentes utebantur. Observavit DOUSA Praecidan. c. 8. laudans SENECAM de Benef. III, 27: *Rufus vir ordinis senatorii iocum quendam ebrius protulerat in reditum Augusti. Usus postea consilio servi descendenti Caesari occurrit, et cum malam mentem habuisse se pridie iurasset, id ut in se et filios suos recideret optavit.* DOUSAE explicatione usi sunt BROUCKHUSIUS, VULPIUS, HEYNIUS, WUNDERLICHIUS, GOLBERYUS. — V. 105 sqq. Transitum parat ad suos ipsius Amores, quod fit per generales sententias. Abruptam orationem, quam HEYNIUS dicit, non video. — Pace tua, cum arcum et sagittas etiam Phoebus gestet. — dedit malum, nocuit. Confert VULPIUS Terent. Andr. I, 1, 115: *Nam si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit, Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum*, et illud e TERENTIANO MAURO de Metris etiam ab Heynio allatum: *Et Naevio poetae Cum saepe laederentur Dabunt malum Metelli.* — V. 109 sqq. faveo morbo, indulgeo. Conferunt VULPIUS et HEYNIUS Ovid. Amorr. II, 5, 11: *ferreus est nimiumque suo favet ille dolori, cui petitur victa palma cruenta rea.* Et habet etiam alia multa VULPIUS, veluti quod LACTANT. D. I. l. I. c. 1. dicit: *Scientes malis suis favent.* Vide etiam MITSCHERLICHIUM ad Horat. I, 27, 11. qui HESIOD. *Ἔργ.* 58: *ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶ* comparat. Sed constructio apud Tibullum dubia. Vulgo virgula ponitur post praecipue et pr. cum in pentametro cum PASSERATIO scribitur *tam*, hoc sensu loci: „Et mihi praecipue dedit malum, cum saucius annum iaceo et alo morbum, tam iuvat ipse dolor! Usque cano Nemesim.“ Sed

ita manifesto languida iunctura est ultimorum verborum et ieiuna epexegesis. Quare melior videtur altera interpunctio Lachmanno probata, cuius haec ratio: *Cum* saucius iam totum annum iaceo et nutrio morbum, *cum* delectat ipse dolor (quae verba puta emphaticam repetitionem protaseos esse), nil nisi Nemesim cogito nec versum possum facere sine ea. Haec constructio nervosior et firmior sententiarum iunctura. Nec opus videtur coniectura audaciore *tam* pr. *cum*, si hoc colon accipis ut indicavi. Atque haec hactenus. — Postremo de forma totius partis nonnulla moneo. Ab oppositione adversarum rerum a Sibyllis olim praedictarum transit ad fausti anni felicitatem describendam, quam auguratur futuram. Quae descriptio bipartita per gradationem; nam primum de proventu prospero anni dicit, deinde de gaudiis festorum ruralium. Vide nunc etiam horum locorum formas. In primo est nova gradatio tripartita: ponitur enim frugum ubertas, pecoris fetura, matronarum fecunditas. Alter in descriptione festi ruralis transit ad amoris iuvenilis licentiam rixasque, admiscens sic convivalibus gaudiis dolores amoris temperansque alterum altero. Atqui hic postremo etiam suorum dolorum recordatur, ut a nullo fere carmine abest querimonia poetae.

V. 113 - ad finem. Exitus. De triumphis futuris Messalini, quos similiter celebrare cupit olim.

V. 113 sqq. At tu. Amat hanc particulam in exitu, veluti I, 2, 89. 3, 83. Cum Amor Nemesis vires Tibulli infringeret, perquam apta est haec apostrophe. — parce, ne torque nimium duritia et superbia. — nam divum servat etc. Satis constat de tali usu parentheseos ad causam praemittendam. — oppida victa, usitatius *capta*, ut Propert. III, 4, 16. ubi vide Burm. Ceterum constat oppidorum, montium, regionum imagines ferculis impositas praecessisse currum triumphalem, cf. Ovid. Art. Am. I, 217 sqq. — lauro devinctus agresti. Decerpebant milites triumphantem secuturi ramos e lauro, eos manu gerebant iisque galeam ornabant. Quod Festus Pompeius factum dicit, ut quasi purgati a caede urbem intrarent. — det spectacula turbae Et plaudat, plaudens. — sic tibi sint, cf. ad I, 4, 1.

ELEGIA VI.

INTRODUCTIO.

Vere iudicatum est hoc carmen ex praestantissimis sui generis esse. Duram et superbam Nemesim fuisse satis scimus; huic nunc poeta mollissimo affectu plenam elegiam mittit, quem alio tempore alios modos vidimus tentantem. Accipe argumentum. Aemilio Macro, nobili poeta, amico Tibulli, castra secuto, et ipse de stipendiis faciendis cogitare incipit, si forte sic effugere possit aerumnas amoris. Statim vero abiicit consilium modo captum, recordans quam saepe iam decreverit deserere Nemesim vel iuratus et tamen nunquam potuerit. Produnt nunc se apertius et disertius dolores intolerabiles poetae; videmus exsecrantem cruciatus Amoris Amorisque tela, et cognoscimus eum vel leto finiturum vitam fuisse, nisi spes retineret fore aliquando melius, potentissima illa in omnibus rebus humanis, quam ne fallat orat Nemesim. Ex quo crescente affectu ad obtestationem gravissimam convertitur, per manes sororis infelicis amatam obsecrans, quae nuper e fenestra praeceps ceciderat tenera aetate: huius ad tumulum supplex sedere et petere ab ea auxilium vult, quae neglecta somnia mala mittet. Verum, pergit, finem facio talium verborum, ne renovetur luctus Nemesis nec lacrimis oculi foedentur immerentes; bona est puella, at lena pessima, quae ei servit. Haec est quae aliorum amatorum vota adiuvat et me toties remittit a limine, cum Nemesis intus est. Huic igitur se diras imprecari solere dicit maximas speratque poenam a diis venturam. Haec hactenus. Vides etiam huius elegiae summam in querela versari, atque id agere poetam gravissimis et mollissimis verbis, ut quam maxime commoveat flectatque durum animum Nemesis. In quo contemplari iuvabit qua gradatione rerum utatur, et quomodo

etiam hic omnia ad perfectam unitatem pulchre composita sint. Exordium primam adumbrationem habet luctantis cum amore animi: effugere amatam decernit, sed statim abiicit consilium nec sustinet abire. Hoc igitur exordium est. Iamque, ut fert natura, disertior fit querela. Ac *primum* indirectius aggreditur puellam, ostendens quantum patiatur in miseria propemodum desperata. *Tum* sequitur nova pars antecedente gravior; magis et directius commoturus ad obtestationem pergit, flebilibus modis obsecrans amatam, ut narravi, per manes carae sororis, et metum ex ira umbrae excitans. Ac tam tragicam vim habet hic locus, ut exhausta videantur omnia, quae elegiaca poesis gravia in hoc genere habeat, nec credas praeterea addi potuisse quod altius penetret animum. Nihilominus subiectam vidisti etiam *tertiam partem*, et restabat revera ipsa tenerrima et mollissima significatio amoris. Vide enim: Abrumpit ista tristia verba, et qui ipse gravissimo dolore propter Nemesim laborat, veretur persequi res unde amata nimis dolere possit et foedare lacrimans oculos loquaces, puellam bonam esse, lenae culpam omnem. Quibus quidem verbis quis non sentit quantum insit. Depingas licet dolores tuos et implores deos ac manes tristissimis verbis, nihil tamen maius est et quod penitius tangat animum puellarem hac molli in proprio dolore prodita cura, amata ne doleat, hac voluntate pulchra excusandi superbiam, unde tot aerumnas habeas, reiecta in lenam culpa dolorum. Nimirum vehementia affectus gravior regnat in antecedentibus, at persuasionis dulcior et blandior vis est in fine. Ac vides cum hac parte exitum verum elegiae adesse. Cum puella bona sit, meliora sperare licet ab ea, ira autem in lenam exoneratur, quae poenas luet.

EXPLICATIO.

V. 1-14. Exordium. Cum Aemilius Macer relicta puella sua castra secutus sit, ipse etiam de

stipendiis faciendis cogitare incipit, ut fugiat amoris aerumnas, sed frustra.

V. 1 sq. Macer. Apponam HEYNII verba: „Est Aemilius Macer Veronensis, nobilis poeta, Ovidio natu maior, Virgilio et Tibullo fere aequalis. Scripsit Ornithogoniam, Theriaca et de Herbis. Multa de eo docte congessit BROUCKHUSIUS ad h. l. Adde MAFFEI Veronam illustrat. P. II. pr. Circumfertur nunc sub eius nomine liber de viribus herbarum. Diversus ab hoc fuit is, qui Iliaca scripsit (de quo vid. ad VIRGIL. libr. II. Exc. I. p. 306.), quem confusum cum illo etiam a BROUCKHUSIO et a me, post alios discrevit WERNSDORF. Poet. Lat. Min. T. IV. p. 579. 580.“ — Castra sequitur, ut LUCAN. Pharsal. X, 407: *nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur*, laudante VULPIO et WUNDERLICHIO. Adde OVID. Amorr. III, 8, 26: *Discite, qui sapitis, non quae nos scimus inertes, Sed trepidas acies et fera castra sequi.* Est notum sub Caesaribus legiones in castris habitas circa fines imperii, unde imprimis his temporibus legitime castra pr. militia dicta. — tenero quid fiet Amori? Contendit HUSCHKIUS *Amore* scribendum esse, ut vulgo dicitur: quid illo fiet, quid me futurum est, quid te factum est, et quae sunt huiusmodi multa. Sed dativum satis tuentur OVIDIUS Art. Am. I, 536: *perfidus ille abiit: quid mihi fiet, ait* (Ariadna), et LIVIUS libr. XLV, c. 39: *Quid deinde tam opimae praedae, tam opulentae victoriae spoliis fiet*, ubi conf. DRAKENB., et PLAUTUS Mostellar. III, 2, 88: *Alexandrum Magnum atque Agathoclem aiunt maxumas Duo res gessisse: quid mihi fiet tertio, Qui solus facio facinora immortalia.* Quae iam VULPIUS attulit. — Sit comes, socius militiae, et comitetur Macrum ubique tanquam commilito, arma ferens et labores tolerans ut ceteri? Armigeri munus non convenire deo VOSSIUS et HUSCHKIUS monuerunt, nec patet quid profuisset hic talis fictio. Quaestio haec est: Num perget Macer etiam in castris fovere hos sensus amatorios, quod Tibullus poetice ita dixit: Num etiam in castris Amor cum eo erit tanquam socius inseparabilis, comparatione petita ab amicis, qui etiam in bellum sequuntur alter alterum, una militant, una ferunt labores omnes. — collo gerat, h. e. ex collo appensa portet. Quaenam haec sunt? Amor licet miles non tamen ha-

bitu sui plane dissimili fingi debet incedens. Geret igitur pharetram et arcum suum ut par est, et quae his conveniunt arma. Quare non dabis ei scutum et pilum, at galeam, ensem leviorem et parmam. Ita igitur fere tibi rem finge. Geret pharetram in humero, appensam loro ex collo, ut PROPERTIUS de Cupidine dicit II, 12, 10: *et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet.* Geret praeterea galeam in pectore pendentem et ensem in latere balteo sustentum. Haec igitur collo gerit; nolo addere quae humero sustinebantur a Romano milite, vallos et sarcinas. At manus sinistra arcum feret et brachium sustinebit parmam. Lusus hic est phantasiae, sed tamen etiam lusus talis legem certam sequi debet; lex vero nunc est usus militaris arma ferendi in itinere is, quem discas e columna Traiana ap. LIPSIUM de Milit. Rom. V, 11, p. 182. — V. 3 sq. longa terrae via, itinera terrestria legionum in remotas provincias, cf. MITSCHERLICH. ad Horat. II, 6, 7. — vaga aequora, ut *vagus pontus* II, 3, 39. comparante WUNDERLICHIO. Est enim epitheton ad motum perpetuum fluctuum et pericula maris referendum. Alienus vero nauta s. mercator *vagus* ab HEYNIO et HUSCHKIO comparatus. — ad latus ire, ut commilito et socius itineris. — V. 5 sqq. Immo vero cum una ire et ferre labores istos non possis, retrahe Macrum et revoca ex militia. — Ure de cruciatu et poena accipiendum ut I, 9, 21. otia tua, vitam liberam laboribus belli et in amore peractam. ferus, h. e. qui animum obfirmavit et induravit adversus vim amoris, ut cum WUNDERLICHIO loquar. Cf. I, 5, 5. — erro est qui a signis, sub quibus militat, discessit. Signa autem Amoris dicit suaviter, haec militaribus belli signis opponens. Ac nota metaphora militiae amatoriae I, 1, 75. II, 3, 34. — Quod si parces, quodsi videro te parcere militibus. Ergo recte habet futurum simplex, quod PASSERATIUS male in *parsis* pr. peperceris mutabat, VOSSIUS in *parcas.* Ceterum cave supra etiam ducent pr. *duxerint* accipias. Sunt etiam ibi paria tempora recte posita, siquidem deus comitabitur Macrum dum hic ibit. — Mox hic est ego, ut saepe. VIRG. Aen. IX, 205. Plura VULPIUS attulit. Res nota. — Ipse galea qui sibi portet aquam, h. e. gregarius miles. Malo et ipse, ait, vel gregarius miles fieri, si hoc modo Amoris vim effugere licet. Galeae autem

usum, quem hic Tibullus tangit, etiam Propertius ab aliis iam laudatus offert III, 12, 10: *potabis galea fessus Araxis aquam.* Non est vero *sibi portet* dictum pr. *petat*, sed cogitandus est secum portans in itinere aquam miles galea pendente in pectore. Portabat etiam cibaria miles, ut notum, sed poeta id commemorare debebat, quod in poesi iucundius est lectu. — levem. Quod in nonnullis libris legitur *levi*, probatum Brouckhusio et Vulpio, sententiae nihil prodest, talia autem epitheta non habet Tibullus. Veram lectionem iam Heynius revocaverat, defendens tamen inauspicato sic: „Debebat Brouckhusius reputare saepe addi nominibus epitheta, quae iis propria et perpetua sint, quamquam non adeo magnam vim in eo positu, quem occupant, habeant.“ Quod quale sit etiam hic disces. Epitheton *levis* non eandem ubique vim habet cum aqua iunctum. Ovid. Art. Am. I, 761: *atque leves Proteus modo se tenuabit in undas*, de Proteo in fluidum se mutante, vides quam bene conveniat verbo *tenuabit.* Hoc autem loco *levis* aqua dicitur sic tenuis, ut vinum leve pr. tenui dicitur. Est enim de potu sermo et intelligitur vilis potus, ut Statius sensit, quamquam is ipsum *levis* pr. vilis accipiens atque ita sine causa a propiore significatione recedens. Tu nunc vides quid res sit. Cum tenuitas sit e natura aquae, epitheton *levis* inde ductum revera ex eorum genere est quae perpetua dicimus, sed aliter tamen Ovidius, aliter Tibullus usurpavit, hic potum tenuem et vilem significans, ille undas tenues ac mobiles. Restat ut Vossium audiamus, quem Huschkius sequitur. Hic explicat *currens et viva,* veluti est Horat. Epod. XVI, 47: *montibus altis Levis crepante lympha desilit pede*, et Virg. Cul. 146. Ovid. Fast. V, 662. Haud dubie quidem hausit currentem aquam miles, ubi potuit in via, sed ex usu loquendi tamen ibi tantum haec significatio cogitari potest, ubi etiam in ceteris aliquid de cursu est dictum. At in proposita locutione, levem aquam portare, quis currentem aquam cogitaverit? Quare redeundum est ad id, quod supra posui. Explicatius dixi de his rebus, quia in epithetorum interpretatione saepe iusto negligentiores sunt viri docti. — V. 9. 10. Nexus antecedentium distichorum hic est: „Macer, quem amori deditum novimus, castra sequitur; quid iam faciet Cupido? Magnopere cupiam scire. Utrum comitabitur Macrum et labores militiae

feret? Non est credibile. An revocabit eum e bello desideriis amoris? Suaserit hoc aliquis deo. Si tamen huic aliud placuerit, si neglexerit Macrum, et liberos videro milites esse imperio eius, quidni et ipse quam primum miles fiam, ut effugiam aerumnas amoris? Et profecto ita faciam; castra peto, valeant puellae.“ Sed ecce (ut statim addam proxima) repente mutabit iterum hanc sententiam, recordans nimiam esse vim amoris in sese nec abire se posse. Quare nihil iam restat quam ut maneat et speret, si forte flecti possit Nemesis. Vides cursum rerum ad dramaticae artis similitudinem compositum. Hoc enim inter istas de Macri profectione cogitationes paulatim nascens consilium abeundi, tum fortiter captum, mox vero iterum abiectum, quid est aliud quam imago animi huc illuc fluctuantis, ut cum in scena res fiunt ante oculos nostros? Atque in hanc rem usus poeta est Macri nupero discessu, qui haud dubie amicus eius fuit. Ceterum mutationes sententiae, consilii etiam in aliis exordiis vidimus; tamen propositi carminis introitus, quod ultimum videtur a poeta scriptum, ceteris in hoc genere artificiosior est. — V. 11 sqq. Magna loquor, glorior. Idem est *magnifice loqui*, et quod per cumulationem (cf. ad I, 5, 65.) dicitur, *magnifice magna loqui*. Vide de his locutionibus Brouckhusium et Vulpium ad hunc locum et Passeratium ad Propert. II, 19, 71. laudatos etiam ab Heynio, et Mitscherlichium ad Horat. IV, 6, 2. Contrarium *verbis minoribus uti*, Ovid. Met. VI, 151. Graeci usurpant *μέγα εἰπεῖν*, *μέγα μυθεῖσθαι*, *μεγάλοι λόγοι*, *μεγάλη γλῶσσα*, *μεγαληγορία*, similia, ut constat. — fortia verba hic sunt, quae audacem animum ostendunt, monente Wunderlichio. Confertur Propert. I, 5, 14. — Excutiunt. Cicer. pro Sull. c. 8: *qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem*, laudante Heynio et Brouckhusio, qui etiam alios locos affert. Addit Huschkius Aesch. Prometh. 358: *ὅς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων κομπασμάτων.* Ceterum mens Tibulli haec: Magna quidem hic loquor, sed tamen non perficiam rem; gloriantem etiam fortissime ipsae clausae fores, quae aliis animum addant ad abeundum, retrahunt semper magica quadam vi. — Iuravi rediturum. De omissione pronominis post alia verba vidimus iam supra I, 3, 27; hoc loco Huschkius docte probat imprimis etiam

post verbum *iurare* hoc factum. — bene iuravi, ut passim *bene* est valde, magnopere. Ad sententiam conferunt Horat. Epod. XI, 19 sqq. Propert. II, 25, 19. Ultimo loco etiam *ipse* sic legitur ut hic.

V. 15-28. Medium carmen. Prima pars. Queritur Amoris cruciatus, et quo minus vitam leto finiat, sola spe, quae tantum valeat in rebus humanis, retentum se hucusque dicit.

V. 15 sqq. Acer Amor, saevus, acriter urens flamma, ut infra IV, 2, 6. Ovid. Heroid. IV, 70. Valer. Flacc. III, 367. — tua tela, sagittas. Eadem compositio gravior est Ovid. Met. II, 616. XIII, 401. Ceterum ad sententiam Wunderlichius Meleagri Epigr. LII. confert, qui ira incensus combusturum se esse tela Cupidinis omnia minatur. — nefanda loqui, h. e. exsecrationes in deos evomere, iracundia, furore abreptum, monente Heynio, cf. III, 5, 14. IV, 4, 14. — V. 19 sqq. Succedit locus dulcissimus de Spe, ut Heynius dicit, felicitatis, quandoquidem eam dari mortalibus fas non erat, succedanea, ut ego autem dixerim, de *Spe vitam sustentante:* huc enim omnia hoc loco revocantur a poeta et revocari debuerunt. Ac talis est etiam Ovidii locus Epist. ex Ponto I, 6, 31 sqq. nec abludit elegans elegia in Catalectis vett. poett. libr. I, 18. et in Anthol. Lat. Burmann. T. I. libr. III. epigr. 82., quae laudarunt Brouckhusius et Heynius. Quaeram deinde, quae sit utilitas vera huius a Tibullo insertae descriptionis. Vulgo quidem talia ita pro meris ornamentis poeseos habent, ut quomodo summo cuiusque carminis consilio prosint non quaerant, et rideant eos, qui quaerendum dicant. Nihilominus hoc et in aliis scriptis classicis faciendum est et in his carminibus, siquidem nusquam inanem ornatum vidisti apud Tibullum. Quid igitur inest? Nempe dum ob oculos dura conditio variorum hominum ponitur, qui vitam spe sustentant, illustratur simul Tibulli tristis fortuna, siquidem huiusmodi hominibus se comparat, et videmus quasi unoquoque horum distichorum repetitam imaginem infelicitatis suae, qui et ipse sola spe pascat vitam. Ita vero permultum augetur querelae vis. — V. 19 sqq. vitam Spes fovet, sustentat. De constructione finissem — sed fovet pr. nisi foveret, Wunderlichius confert Ovid. Art. Am.

III, 43. Heroid. XV, 88. 92. Porro ad verba: fore semper melius VULPIUS confert CIC. Epist. ad Famil. VII, 28: *Doleo ita rem communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur.* Et vide illud THEOCRITI IV, 41: *τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον*, collatum a BROUCKHUSIO et HEYNIO. — Spes alit agricolas, genus hominum laboriosum, quos spes sola tolerare labores rusticos et credere docet sulcis semina. Mox Spes — credit — fenore reddat ager, solemni usu dicendi. Terrae creditur, haec fidelis est aut infida, fallit, segetem negat, mendax est, et reddit aut non reddit cum foenore. Vide STATIUM, BROUCKHUSIUM cum HEYNIO ad h. l., HEINSIUM ad Valer. Flacc. I, 69. MITSCHERL. ad Horat. III, 16, 30. Similis locutio supra lecta II, 3, 62. Proxime accedit OVIDIUS Remed. Am. 174: *Obrue versata Cerealia semina terra, Quae tibi cum multo foenore reddat ager.* Sed nota res. — V. 23 sqq. *Aucupii* et *piscationis* mentio cur displiceat HEYNIO non intelligo; sunt homines pauperes, qui spe capturae incertae victum quaerunt, atque ita tolerant vitam. Cur igitur non accommodata sint haec exempla? Ad verba: Cum hamos abdidit ante cibus BROUCKHUSIUS et VULPIUS conf. OVID. Remed. Am. 210: *vel quae piscis edax avido male devoret ore, Abdere supremis aera recurva cibis.* Verum quaeras cur addatur haec res et quam vim habeat in praesenti sententia. Ut intelligas, aio, quam tenuis spes sit et quantum casus hic valeat. In quo etiam quid poesis postulet recordaberis. Nam personas aut res varias commemorans si colores nullos addideris, ieiunum hoc erit et nimis nudum et minime poeticum; poesis descriptione pleniore, imagine distinctiore cuiusque rei delectatur. Atque huic descriptionis accuratioris consilio etiam adiectivum tenues inservit. Dum vero ita plane ante oculos vides totam rem, quid aliud quam ipsum hoc genus victus tenuis quaerendi cogitas clarius et angustam fortunam istorum hominum? Sic redimus ad id quod primo loco posui, et vides ut descriptio accuratior rei consilio maiori universi loci pulchre inserviat. Poetam sensus suus facile docet quid ponere debeat et quomodo, interpres plerumque multis verbis opus habet in explicatione, unde fit ut vulgo subtiliora talia videantur quam revera sunt. Est eadem res in reliqua interpretatione. — Spes sola-

tur compede vinctum, ne desperet et mortem sibi consciscat. Ovid. Epist. ex Ponto I, 6, 31. l. cit.: *Haec facit ut vivat vinctus quoque compede fossor, Liberaque a ferro crura futura putet.* Sermo est de mancipio ex ergastulo, opus faciente ruri. Conf. supra ad I, 7, 42. — canit inter opus, ut similiter Ovidius dicit Trist. IV, 1, 5. laudatus iam a Vulpio et Heynio. Postremo totum hunc locum de vi Spei notabis secundum gradationem compositum, cum poeta descendat ab agricolarum laboriosa vita ad tenuitatem aucupii et piscationis, tum ad mancipiorum miserrimam sortem. — negat illa, cf. ad I, 4, 15. — ne vincas deam, ne fiat ut dea victa duritia tua tandem succumbat. Comparat Huschkius Cicer. Verrin. I, 6: *et in sortitione istius spem fortuna populi Romani et in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat.*

V. 29-40. Altera pars. Obtestatur Nemesim per Manes sororis modo defunctae ut desistat a duritia.

V. 29 sq. immatura, cum nondum matura essent morti. Horat. Sat. II, 8, 59. comparante Wunderlichio: *ut si filius immaturus obisset.* Adde *immatura* Propert. IV, 11, 17. et contra *matura* Ovid. Met. X, 36. omninoque *maturos annos* saepe pr. senilibus dictos, ut notat Bentl. ad Horat. Art. P. 157. Vides Tibullum, ut fit, epitheton toti personae competens ad partem revocasse. — Sic, cf. ad I, 4, 1. Sensus: *Sic* opto ut bene quiescat, quod in votis habes, *si* mitis eris. Porro tenera est humus, quae non gravis incumbit, quae levis. Laudat Heynius inter alia Ovid. Amorr. II, 16, 6: *et viret in tenero fertilis herba solo*, ubi de molli nec nimis densa humo dicitur. — Denique parva est tenera aetate, ut Heynius monet, notissimo usu. Tibullus autem epitheton miserationis causa addidit ut ante *immatura*, cum Nemesim recordatione infelicis sororis gravius commotam velit. — V. 31 sqq. sancta est. Vocantur *sancti* piorum Manes. Cicer. Top. 23. laudatus a Vulpio: *Atque etiam rursus aequitas tripartita dicitur esse, una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia aut aequitas nominatur.* Alios locos Brouckhusius laudat, veluti Virg. Aen. XII, 648 sq., quos versus etiam Heynius apponit. — dona, h. e. unguenta et libationes;

et hae quidem lacte, melle, aqua, vino, oleo constabant ut notum, vid. v. c. Aesch. Pers. v. 610. ibique interprett. et Kirchmann. de Funerib. Rom. IV, 2. Odores autem vidimus I, 3, 7. supra. — serta cf. supra II, 4, 48. Quod haec madefacta erunt lacrimis poetae, iterum mirifice ad affectum concitandum valet. Brouckhusius confert Ovid. Trist. III, 3, 81: *Tu tamen exstincto feralia munera ferto, Deque tuis lacrimis humida serta dato.* Atque hoc modo propitios sibi reddet Manes sororis, quorum deinde opem implorabit. — Illius ad tumulum fugiam, tanquam ad asylum, ut servi a dominis male habiti fugientes ad sepulcra, ad fana, ad aras deorum. Mox sedebo, ex more supplicum, ut lugentium. Vide Brouckhusium et Vulpium, atque ut unum et alterum locum addamus, Hom. Odyss. VII, 153. 160. Demosthen. de Corona p. 262. — mea fata querar cum cinere, narrabo cineri fata mea, querar ei. In quo *cinis* pr. Manibus, ut Catull. CI, 4: *et mutam nequicquam alloquerer cinerem.* Porro vulgo *queri cum aliquo* est expostulare cum aliquo, notante etiam Huschkio, quod docent lexica; aliud vero nunc est *queri aliquid cum aliquo.* Ac Huschkius confert Soph. Electr. 1119: *ὦ ξεῖνε, δὸς νῦν πρὸς θεῶν, εἴπερ τόδε Κέκευθεν αὐτὸν τεῦχος, ἐς χεῖρας λαβεῖν, Ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμοῦ Ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ*, repetitum etiam a Golberyo, quod tamen alienum est et alius significationis. Comparabis potius locutionem *orare tecum* ap. Plaut. Pers. I, 3, 37. Curcul. III, 3, 62. Rud. III, 4, 68. et Terent. Hecyr. IV, 4, 64. Tum de sententiae suavitate Heynium adi, qui eam in ipsis praecordiis haerere dicit. Ac ne fugiat te adiectivum mutus, perpetuum quidem cineris epitheton, at eximie augens *πάθος* loci. Tragicam hic omnia vim habent iudice etiam Huschkio, atque etiam hic mos ad sepulcrum implorandi auxilium Manium e tragicis notus est, laudatque apposite Wunderlichius Aesch. Pers. 218. Soph. Electr. 453. et Aesch. Choeph. 331 sqq. ubi legitur: *Δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος Θρῆνος ἀναστενάζει. Τάφος δ' ἱκέτας δέδεκται, φυγάδας θ' ὁμοίως.* — V. 35 sqq. clientem, supplicem. Mox Illius ut verbis est: quasi illius verbis, quod Statius vidit. Optime igitur interpunxit Lachmannus, cetera uno commate iungens. Noli enim construere: Veto illius verbis ut sis mihi lenta. Quod etiam Vossius reiecit

et Wunderlichius, nec invenisse se structurae talis exemplum Perizonius ad Sanctii Minerv. p. 813. tradiderat. Est autem lenta pr. dura, immota precibus, ut notum. — mittant mala somnia Manes sqq. Conf. Mitscherl. ad Horat. Epod. V, 92 sqq., et vide de δείμασι νυκτερινοῖς mortuorum explicantem Lobeckium in Aglaopham. Tom. I. p. 302. — ante torum, ut Ovid. Fast. III, 639. Apud Homerum super caput dormientis stant Somnia. — V. 39 sq. Qualis, eo habitu, quo vita excessit, cf. I, 10, 37. Ceciderat autem praeceps e fenestra alta. De altitudine aedificiorum Romanorum monitum ad II, 3, 43. Ac Vossius quidem propriam domum Nemesis fuisse censet, quam etiam II, 4, 41. intelligit; habitabat haud dubie bene avara et a divitibus amatoribus quaesita puella, sed ut solebant libertinae, conducta habitatione. Neque vero supremam aedium partem sub tectis cum Vulpio cogitabis, ubi fere pauperiores habitabant; etiam mediae talium aedificiorum partes satis altae erant. Sic tum habitabat cum periret soror.

V. 41-ad finem. Exitus. Puellam bonam dicit, at malitiosam lenam ei servientem, cui culpam omnem tribuit.

V. 41 sqq. Delectabitur lector mollissimis verbis. Ceterum Wunderlichius confert Ovid. Heroid. VII, 45: *Non ego sum tanti, quamvis merearis, inique Ut pereas dum me per freta longa fugis.* Adde Trist. II, 209: *Non sum tanti, ut renovem tua vulnera.* — Mox digna est. Alteram causam affert, ut recte observat Wunderlichius, cur dolorem praebere puellae nolit; non meruisse eam hoc. Copula similiter posita I, 9, 23. — oculos loquaces, veluti Meleager Epigr. 44. dicit comparante Vulpio: *Καὶ γὰρ δὴ τὰ σὰ, κοῦρε, τὰ καὶ κωφοῖσι λαλεῦντα Ὄμματα.* Alia habet Brouckhusius. — V. 45 sqq. Corruptum locum Lachmannus noster ita sanari posse putat ad Propert. p. 182., si pr. *vetat* legatur *vocat*, h. e. invitat, proxima de commercio literario Tibulli cum Nemesi intelligenda esse contendens. Sed primum sic furtim superfluum videtur et suffecisset: itque reditque portans tabellas; deinde nunc v. 47. ubi opposita sequi statuit, particulam adversativam desidero, quae in tali loco, ubi vis sententiae universae ea nititur, abesse non potest

recte. Placeret coniectura, si in ipso primo disticho, in verbis: *furtimque tabellas* etc. oppositio inesset. Sed etiam hoc non est; scripsisset Tibullus, si id voluisset: *furtimque tabellas Apportans aliis itque reditque sinu*, quod non fecit. HUSCHKIUS probat haec: *lena vetat miserum recipi.* Sed quis non videt coniecturam eam esse satis diversam a librorum scriptura? Affert HUSCHKIUS pro sua sententia inexspectatum venire nomen proprium lenae. Credas hoc primo adspectu. Sed quidni acerbioris reprehensionis causa adiectum sit a poeta pessimae lenae nomen, ut sciant etiam alii? Nam verum nomen hoc habeo, non fictum. Quae cum ita sint, nihil restat quam ut PONTANI coniecturam necat laudemus, repositam a BROUCKHUSIO et HEYNIO, quae optima est. Atque ita mox leges: *Tunc morior curis.* Primum igitur, ut explicet sententiam: Lena nocet nobis, repetit eam aliis verbis in principio distichi, quemadmodum alias epanalepsin ponit. Deinde cum per oppositionis formam sic dicere posset: nam fert aliis tabellas, me vero remittit, nunc pari loco positis distichis tribus et tripartita divisione describit iniuriam mulieris hoc modo: furtim tabellas fert destinatas aliis et ab aliis, saepe etiam negat domi esse Nemesim, ubi tamen adest, saepe nuntiat impediri eam, ubi nox promissa mihi erat. Ac primum membrum per copulam subiicit generali sententiae, ut alias, cf. I, 5, 11. — furtim portans occulto sinu, cumulate dictum consulto, cf. ad I, 5, 65. Facit enim, ne sentiat Tibullus. De re autem compara cum HEYNIO Ovid. Art. Am. III, 621: *tabellas, Quas tegat in tepido fascia lata sinu.* — Porro itque reditque, veluti VALER. FLACC. I, 725. est formula solemnis, simul sedulitatem quandam significans aut celeritatem, ut OVID. Met. II, 409: *dum redit itque frequens.* Similes formulae sunt Met. VIII, 163: *refluitque fluitque*, ibid. 536: *refoventque foventque*, et quae a WUNDERLICHIO afferuntur VIRG. Aen. IV, 438. XII, 866: *fertque refertque*, 753: *fugit refugitque.* Nostrum locum OVIDIUS respicit Amorr. II, 19, 41: (*incipe quaerere*) *Quo ferat aut referat solers ancilla tabellas.* — De tabellis denique conferre iuvabit PROPERTII elegiam XXIII. libr. III. ubi et verba videbis, qualia inscribi huiusmodi tabellis ceratis solebant, et illud disces, potuisse easdem saepe ultro citroque mitti, cum deletis stilo litteris inno-

vatae arcae statim responsio inscriberetur. — V. 47 sqq. a limine duro. Nempe clausa ianua. Sic Ovidius dixit Remed. Am. 677: *Nunc tibi rivalis, nunc durum limen amanti.* — languere, non bene valere. — aliquas extimuisse minas, malis ominibus forte terreri, quorum avertendorum causa in casto esse decreverit. De v. *extimuisse* cf. Ovid. Heroid. XVII, 83: *Et saepe extimui, ne vir meus illa videret.* Vocem *minas* Vossius explicat, conferens Valer. Flacc. I, 27: *divumque minas.* III, 354: *volucrumque minas praesagaque fulmina.* Similiterque Senec. Hippol. 408. et Claudian. XX, 2. — Mox Tunc morior curis, ut saepe pr. ad mortem affligor. — quot modis, concubitus Venerisque figuras varias intelligit, cf. I, 9, 64. Vox *modi* praeterea legitur similiter Ovid. Amorr. II, 8, 27. Iuvenal. Satir. VI, 406. Ceterum unicus hic locus est, ubi in carmine ad puellam ita de ea loquitur Tibullus. — V. 53 sq. satis anxia vivas. Nempe anxia erit, ut Furiis ultricibus agitata, quae magna crimina morbis aut insania aut metu et terroribus puniunt, cf. Virg. Georg. III, 552. Deinde *satis* cum sarcasmo dictum puta, quemadmodum etiam coniunctivus *vivas* eadem de causa praelatus est futuro *vives*, quod quidam olim desiderabant et nuper Huschkius reposuit sequente Golberyo. Enimvero in sarcasmo dubitanter saepe loquimur cum vi, *credo*, *spero vives*, ubi vel maxime optamus et speramus. Talis est apud Graecos usus v. *ἴσως* in asseveratione sarcastica ut Aristoph. Nub. 1323: *ἴσως, ἴσως βουλήσεται κἄφωνον αὐτὸν εἶναι*, quod notare debebant Reisigius et Hermannus ad Soph. Oed. Col. 661. Eandem vim passim etiam optativus cum particula *ἄν* aut futurum habet, ut Aristoph. Nub. 1160: *οὐδὲν γὰρ ἄν με φλαῦρον ἐργάσεσθ᾽ ἔτι*, quod fraudem fecit Reisigio ad Nubes p. 102. Grammatice dubitanter loquitur Strepsiades, aliter intelligi vult. — Moverit, si moverit, cf. ad I, 6, 53.

COMMENTARIUS IN TIBULLI

LIBRUM TERTIUM.

PRAEFATIO.

Accedimus ad alius poetae carmina; nam alium esse et supra ostensum est in Dissertationibus Tibullo praemissis, et nunc ipsa lectio te docebit. Certum est, hunc poetam ingenio et arte Tibullo multo inferiorem dicendum, nec, vel si cupide quaeras quod laudes aut defendas, multa te huiusmodi inventurum spondemus. Ubi tamen vidimus quod non displiceret, notavimus, ne iniusti haberemur. Non fecerunt hoc Vossius et Eichstadius.

Amabat poeta Neaeram ab eo dictam, quae coniugium promiserat, deinde vero alium iuvenem praeferre coepit, cui etiam nubere cogitavit: hinc natum argumentum flebile huius libri. Cum autem in primo carmine virum se quondam Neaerae, nunc fratrem dicat, Huschkius nuper Mureti opinionem miram revocavit natos Lygdamum et Neaeram fratribus aut sororibus, cumque legitimae nuptiae sint inter filios fratrum et sororum, poetam hanc suam sororem dictam aliquando in matrimonio habuisse, deinde casu discidium intervenisse, sperasse vero maritum nuptias denuo conglutinatum iri. Sed futiles sunt hae coniecturae, quemadmodum iam Eichstadius ostendit in Commentatione academica *De Lygdami carminibus* ann. 1819. Nam qui maritus quondam fuerat, eodem tempore etiam frater fuit cognatione ista posita; quomodo igitur *vir quondam*, *nunc frater* dici potest ut fit hic, similiterque Neaera *sive coniunx sive soror futura*, quae utrumque fuerat simul? Quare potius ad amicitiam pertinent v. *frater*

et *soror*, ut quivis videt, *coniugem* autem appellat molli cum affectu sponsam nec sine exemplo.

Quodsi denique de ordine quaeras, quo scripta sint haec carmina, *primum* habeo quod proxime legemus, *secundum* quod est tertium libri. Secuta sunt *quartum*, *secundum*, *sextum*. Nempe cum dubius factus esset favor Neaerae, scripsit *primum* aliquando hoc, quod sequitur proxime, carmen, si posset eum denuo resuscitare. Sed non redibat Neaera ad priores sensus, et videmus in *tertio* carmine frustra votis caelum a poeta impleri pro dulci reditu, quem si fata negent, ibi Orcum precatur ut se avocet. Etiam haec querela nihil profuit, sed audivit deinde alii cuidam iuveni nubere malle puellam. Ac primum fingit sibi hoc ab Apolline indicatum in *quarto* carmine, sed nondum credit; certa autem re et cum plane constaret ereptam sibi Neaeram, scripsit *secundum* carmen, ubi moriendi consilium amatae nuntiat. Mutavit tamen postea sententiam; in *sexta* elegia oblivisci Neaeram et pellere curas vino in convivio amicorum conatur, quod postremo etiam succedit. Hic est cursus amoris huius, in quo nemini non displicebit inepta inconstantia hominis, qui primum desperato consilio mortem sibi inferre decernit et ultima mandata dat solemniter, deinde vero inter pocula amolitur curas et ridet puellas. *Quinta* denique elegia ignotum inter amorem, an post eum scripta sit. Poeta mature mortuus videtur, et sunt ab alio homine edita carmina, quorum maxime imperfecta tertium et quartum.

ELEGIA I.

INTRODUCTIO.

Kalendae Martiae cum venerint, ubi dona mitti solebant uxoribus et puellis amatis, etiam poeta de munere cogitat, et consultis Musis carminum suorum volumen mittere constituit, quae alio tempore facta favente Neaera et iam tum haud dubie singulatim ab ea lecta, sperabat nunc collecta et coniunctim proposita novam vim habitura in puellam et revocatura sensus priores favoris minui coepti et dubii facti, cf. v. 19. 20. Parat igitur librum eleganti ornatu ut volunt Musae, eumque per ipsas Musas mittit additis mandatis blandis, quibus denuo testatur amorem intimum, et spem coniugii affirmat nonnisi cum morte se demissurum. Ita poeta. Est hoc carmen ex melioribus Lygdami, insunt tamen complura, quae iure reprehendas. Quorum illud statim hic notandum observantibus etiam aliis idem, quod colloquium cum Musis finxit deasque ipsas deferendo libro adhibet, qualis lusus alienus erat a nobili simplicitate et gravitate Tibulli. Sed Lygdamo exquisita visa talia commenta! Nunc quidem, si tamen volebat huiusmodi quid, melius haud dubie elegiae huic, comitanti librum, mandata ad puellam dedisset, quae Musis dat, licet etiam haec ratio magis ex Ovidii quam Tibulli more fuisset. Ut ad alia veniam, ridet Vossius poetam, quod nihil nisi librum donans aliorum liberalitatem imprudenter commemorat. Meo iudicio primum bene fecit, quod dubio facto favore Neaerae non pretio redimere voluntatem eius studuit, sed sola resuscitanda imagine amoris intimi elegiis suis expressi commotum eam ivit. Deinde non video imprudenter aliorum liberalitatem ab eo laudari, qui nihil dicat quam quibus opus in introitu: „Discurrunt hodie undique munera per vias et

domos.“ Praeterea vituperant locum de ornamentis libri. Profecto in huiusmodi rebus describendis nusquam verbosa Tibulli fuit Musa, hic autem poeta manifesto amat talia, ut monui iam in Dissertatione de Poesi Tibulli. Neque tamen continuo perversum est, quod recedit a more Tibulli. Et nunc quidem dicat aliquis rem in carmine puellae misso haberi, puellas autem non magis verbis et sententiis delectari quam habitu eleganti librorum. Ac verum, poetam hic quidem non excedere modum in descriptione. Sed reprehendis quod de argumento libri nihil dixit. Sane ineptus fuisset, si in toto carmine nonnisi de ornatu libri locutus esset, tamen nunc mandata blanda libro addita vides, quibus quo animo legi a puella carmina sua velit, satis significavit. Praestitit igitur alio modo quod postulas, nec deest quidquam unitati poeticae carminis. Atque haec hactenus. De singulis distichis infra dicemus, nunc de toto quid iudicari debeat exposuimus. Forma autem compositionis haec est: post introitum sequuntur duae partes, quarum ultima simul exitus continetur elegiae. Directior exitus abest, nec opus hic tali. Vidimus tamen in Dissertatione Tibullo praemissa alienos indirectos exitus ab huius poesi.

EXPLICATIO.

V. 1-6.. Introitus. Kalendae Martiae cum adsint uxoribus et puellis sacrae festaeque, Musas rogat quonam honore ipse Neaeram donare debeat.

V. 1 sqq. Martis festae Kalendae. Erant hae sacrae Iunoni coniugiorum praesidi et colebantur a matronis magna religione, cf. Ovid. Fast. III, 170 sqq. et Lambinum ac Torrentium ad Horat. III, 8, init. unde Matronalium nomine sunt insignitae. Praeterea vero etiam puellis sunt festae habitae, cf. infra IV, 2, 1. quae, ut matronae a maritis, munera eo die ab amantibus sponsisque accipiebant, cf. Macrob. Saturn. VI, 1. Iuven. IX, 52., nec non interpretes ad Martial. V, 84, 10. Laudarunt haec

etiam VULPIUS et HEYNIUS. Poeta adiectivum Romani addidit, quo maior videretur sanctitas diei. — Exoriens hic fuit annus h. e. Kalendis Martiis solitus est olim exoriri annus. De pronomine *hic* s. hoc momento temporis, BACHIUS confert PROPERT. IV, 4, 74: *Urbi festus erat (dixere Palilia patres, Hic primus coepit moenibus esse) dies.* Idem vere observat participio cum v. *esse* iuncto statum solitum significari. Ceterum initium anni Martius fuit primis sex saeculis urbis. Cum autem inde a consulatu Q. Fulvii Nobilioris et T. Annii Lusci ann. 601. consules constanter Ianuario mense magistratum inirent, paulatim hic mensis coepit pro initio haberi anni. Ac poeta laudem diei amplificare voluit verbis hisce. — nostris avis. Cum VOSSIUS Graeculum dicat Lygdamum falso, observatum est ante nos, poetam se ipsum his verbis Romanum dicere. — pompa. Nam missio solemnis munerum largorum per pueros fiebat. Constat vero *pompam* omnino dici de comitatu magno ducentium aut portantium aliquid, et de ipsarum rerum quae portantur multitudine, veluti PLAUTUS ap. Macrob. Sat. II, 12. dicit: *Quis est mortalis tanta fortuna adfectus unquam, Quam ego nunc sum, quoius haec ventri portatur pompa*, h. e. multiplex obsonium et sumptuosum. — certa pompa h. e. certis personis destinata, certum scopum propositum quae habet et petit. vaga autem munera sunt alio alia tendentia, et bene annotat HUSCHKIUS: „Vaga munera quasi temperantur pompa certa, siquidem in summa discurrentium undique confusione nemo tamen erat, qui non certum finem peteret.“ Quaeruntur a poetis tales oppositiones epithetorum, et suaves sunt, si non nimis subtile acumen habent. Ad locutionem *vaga* discurrunt HUSCHKIUS confert MARTIAL. VIII, 33, 15: *nec vaga tam tenui discurrit aranea tela* pr. huc illuc. Idem denique vere monet aliena esse agrestium munera PROPERT. III, 13, 27. collata ab HEYNIO. — Perque vias urbis perque domos. Cave putide distinguas hic puellarum et matronarum munera, quasi non etiam illa per domos portentur emensa vias. Immo totam, quae agitur, rem ob oculos ponit suaviter nullo discrimine facto tali. Omnino bene elaboravit hoc distichon poeta. — V. 5 sq. Dicite, Pierides. Consilium rogat Musas, quemadmodum in quarta elegia ab Apolline docetur de rebus suis. Tibullus ad sa-

cra vocat deos, implorat verbo auxilium aut denuntiat ultionem deorum, sed sic in scenam prodire et praesentes rebus poetae interesse non videas eos illic, quod tamen Lygdamo placuit. Non enim dubito cum MURETO, LIVINEIO, PULMANNO, VOSSIO, BACHIO, EICHSTADIO in sequentibus responsum Musarum haberi, quod nunc postulat. Praesentes sunt et librum portant ad Neaeram; quidni igitur etiam loquantur? HUSCHKIUS, quem sequi solet GOLBERYUS, Homericum: *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι* opponit, ubi tamen Homerus ipse respondet. Frustra. Oblitus est HUSCHKIUS hic ut alias, esse aliam epicam poesin, aliam lyricam et elegiacam, nec posse ubique alterum genus alteri illustrando adhiberi. — Seu mea, seu fallor sqq. Cum cara minus sit quam mea et tamen manifesto propter fallor positum sit, explico cum WUNDERLICHIO: vel mea, vel si fallor, cara tamen. Confert HORAT. Satir. II, 1, 59. Explicabat similiter HEINSIUS, nisi quod *falso* coniiciebat male. VOSSIUS contra, quem HUSCHKIUS sequitur, construit: quae, seu mea est, seu non est, cara tamen, in quo offendit prima pars sententiae: seu mea — cara tamen. Nec comparari potest infra v. 25. 26. ubi abest *tamen*.

V. 7-14. Prima pars rerum post exordium. Musae volumen carminum suorum mittere eum iubent eleganter ornatum. —

V. 7 sq. Carmine formosae sqq. Monet EICHSTADIUS in Commentat. academica ann. 1819., supra memorata, sic non bene dixisse poetam, qui scribere debuerit: *Doctae carminibus, pretio capiuntur avarae*, si quidem formosae nec solae carminibus capiantur, neque eaedem nunquam avarae sint. Profecto certum, non accuratam esse oppositionem, ubi v. *formosae* ad corpus solum pertinet, ut *avarae* ad animum. Suspicor tamen Lygdamum nunc eas intellexisse formosas, quae corporis ingeniique formam pulchram haberent et talem laudem tribuere Neaerae voluisse. In Dissertatione de Elocutione Tibulli et in his Explicationibus notavimus multos alios insolentes usus verborum apud Lygdamum. Peccavit etiam sic hic, sed alio modo. — Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis. Recte WUNDERLICHIUS *ut digna est* sic explicat, ut *gaudere* suppleat; haec enim simplicissima hic constructio. Afferant, ait, ei haec carmina volupta-

tem eam, qua frui meretur, h. e. plurimum voluptatis. Sed quod legitur in codicibus *meis* corruptum iudicamus cum aliis. Dubitatum iam olim videtur Musaene loquantur per hunc locum an poeta, unde a librariis potuit *meis* inferri. Servarunt tamen codices infra v. 12. *tuum.* Quodsi retines *meis* et infra *meum* scribis, ut poeta ex sua persona loquatur, intolerabilem ei inverecundiam tribuis. Igitur non dicit: gaudeat versibus meis, sed Musae dicunt: gaudeat versibus tuis, observante etiam Eichstadio. Vel sic dicas remanere immodestae quid arrogantiae; debuisse potius optari ut digni sint versus puella. Verum hoc, ut sonant verba. Tamen ni fallor, poeta hic animum non habuit immodestum, inverecundum, qui nusquam superbum et arrogantem se ostendat, sed submissum potius et lenem et mollem, ac dicendi fuit imperitior. Hoc igitur voluit: Gaudeat laude versuum tuorum, placeat ei laus poeseos tuae; mittit enim priora carmina, quibus ante celebraverat Neaeram cf. 4, 75., ab ea tunc singulatim iam lecta, sed nunc coniuncta uno in libro, fortius ita resuscitaturus favorem puellae priorem, si fieri possit. Nec ad v. *digna est* suppleri voluit: *versibus tuis gaudere*, sed *gaudere* simpliciter, quemadmodum supra fecimus. Peccat per totum locum infantia. — V. 9 sqq. sed, dicunt Musae, sit liber etiam externo habitu pulchro. Sequitur nunc locus de ornamentis libri mittendi, in quorum explicationem conferendi sunt Vossius ad Catull. p. 51. Schwartzius de Ornamentis librorum, Heynius et I. H. Vossius hic, ne addam, quos Brouckhusius laudat, et Barthius ad Statii Silv. IV, 9, 7. — niveum libellum, papyraceum volumen intellige, scriptis litteris in interiore parte, quod convolutum, deinde tectum esset membrana adglutinata, nunc croco tincta ut alias minio aut purpura. Oppositionem epithetorum *lutea niveum* ipse vides. — pumex tondeat ante comas. Male hic Vossius membranam in officina laevigandam cogitat, quae res aliena est ab hoc loco. Tu de oris chartae convolutae dici puta, quae circumcidebantur, tum pumice poliebantur. Ovid. Trist. I, 1, 11: *Nec fragili geminae poliantur pumice frontes, Hirsutus passis ut videare comis.* Hoc igitur nunc dicit poeta: Antequam membrana involvatur libellus, oras libelli circumcisas poliat pumex et tollat quidquid comarum post circumcisionem restiterit. Idem

credo tunc etiam in ceteris partibus chartae si quid asperi deprehendebatur, laevigabat, antequam convolveretur liber et reliqua ornamenta acciperet. Patet vero probandam palmariam coniecturam Huschkii: *pumex cui.* Ceterum conf. Catull. I, 2. — Pergit: *et littera facta praetexat summa fastigia chartae.* Heynius in extrema ora membranae scriptum titulum censet. Malo vero cum Schwartzio et I. H. Vossio schedulam intelligere praefixam orae chartae papyraceae inscriptam literis: Lygdami Elegiae, ut hoc ponam nomen, nam aliud fuit poetae. Conf. Ovid. Epist. ex Ponto IV, 13, 7: *Ipse quoque ut chartae titulum de fronte revellas, Quod sit opus videor dicere posse tuum.* De eodem intelligendus est Martial. III, 2, 11. Ovid. Trist. I, 1, 7. Hic titulus minio scriptus eminebat libro in capsa condito. Est autem praetexat sic positum, ut Virg. Aen. VI, 4: *littora curvae praetexunt puppes.* Atque haec de his. Porro dixit tenuis chartae, cum laus esset in tenuitate et teneritate chartae. Mox littera facta est scripta, notante Brouckhusio et Vulpio Heynioque et Bachio, sed innuitur simul ars et diligentia scripturae. Cf. Ovid. Heroid. V, 2. Horat. Sat. I, 10, 58. Cicer. Quaest. Acad. IV, 2. Denique de collocatione horum verborum post ut cf. ad I, 1, 18. 5, 13. Postremo tuum verum habemus, ut vidisti. Lachmannus noster quod coniecit *puer*, displicet. Non bene hoc nomen inter haec: involvat membrana — pingantur cornua interponitur nec per se hic exspectatur. Poeticae orationis elegantia postulat: *pumex tondeat, littera praetexat*, non: puer praetexat. — V. 13 sq. Atque inter geminas etc. Extremae orae voluminis impactus erat bacillus teres, cui volumen circumvolveretur, unde umbilicus dictus est. Huius partes extremae exstantes utrimque inter oras voluminis sunt cornua, auro, argento aut ebore ornari solita aut pingi varie. Ovid. Trist. I, 1, 8: *candida nec nigra cornua fronte geras.* Denique frontes dicebantur orae chartae, ut Ovid. Trist. I, 1, 11. loco supra allato, cf. Vossium ad Catull. p. 51. et Schwartz. in Dissert. alt. §. 17. Inter has utrimque prominent cornua. — Sic etenim, observante Lachmanno, praeter Tibulli morem, qui dixisset: Nam sic. Claudit vero poeta hoc modo descriptionem propositam, in quo non est quod reprehendi possit.

V. 15-ad fin. Altera pars rerum post exordium. Orat Musas ut deferant librum, et mandata iis dat ad puellam.

V. 15 sqq. De praepositione Per in formulis obtestandi a casu suo remota cf. ad I, 5, 7. — Castaliam umbram puta laureti Castalii. Brouckhusius comparat Senec. Oed. 276: *Frondifera sanctae nemora Castaliae petens Calcavit arctis obsitum dumis iter.* Adde Propert. III, 3, 13: *Castalia speculans ex arbore Phoebus.* Vides autem Lygdamum rariora quaerere; quaesita est enim haec obtestandi formula per Castaliam umbram Pieriosque lacus et minime vulgaris. Ac quid affert dignum tanto hiatu? Orat ut ad Neaeram eant, et librum ei donent! Iure notat poetam Eichstadius. Nempe auditis Musarum verbis, cum maxime placeat datum consilium, iam *vivide* orat ut etiam deferant librum et sic absolvant operam praeclaram suam in hac re. Haec videtur esse eius mens; inepte vero tam magnifica formula utitur. — Ite domum, scil. puellae. Paullo brevius. — Sicut erit, h. e. qualis erit, ubi absoluta fuerint haec ornamenta, quae modo praecepistis. Explicuit futurum Huschkius. Frustra Vossius et Bachius scripserunt: *Sicut erat.* — nullus defluat inde color. Anxie vetat multum manibus tractari et atteri librum, in quo notat Eichstadius Musas cum ancillis proletariis confusas, a quibus iure tale quid timeas. Praeterea observabis quantum Tibulli sublimior poesis a talibus minutiis absit. At Lygdami ingenio conveniunt. — V. 19. 20. Illa mihi referet. Longe hic praestare coniunctivo futurum ob lenitatem observavit Vossius. Mox nostri mutua cura, ut comparante Vulpio Martial. X, 20: *Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est, In quocunque loco Roma duobus erit.* Ovid. Met. VII, 800: *Mutua cura deos et amor socialis habebat.* Ad sequentia verba: toto pectore deciderim Brouckhusius confert Ovid. Heroid. II, 105: *Utque tibi excidimus, nullam puto Phyllida nosti.* Cicer. Epist. ad Famil. VII, 14: *Sin nostri oblitus es, dabo operam ut istuc veniam ante quam plane ex animo tuo effluo.* Idem alias multas similes locutiones affert, ut memoria *descendit ex animo, defluit* aut *labitur pectore* cura alicuius vel *emigrat de medullis.* In Graecis autem praeivit bene observante Vulpio Ho-

merus Il. XXIII, 595: ἤ σοίγε, Διοτρεφές, ἤματα πάντα Ἐκ θυμοῦ πεσέειν, καὶ δαίμοσιν εἶναι ἀλιτρός. Iuvat etiam Sophoclem afferre Aiac. 523: ὅτου δ' ἀποῤῥεῖ μνῆστις εὖ πεπονθότος, Οὐκ ἂν γένοιτ' ἔθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ. Haec hactenus. Est enim nunc etiam de modis notandum. Ac primum si pr. *num* cum indicativo saepissime positum, vide Schmidium ad Horat. Epist. I, 7, 39. p. 182. Adde cum Huschkio, praestare hic indicativum coniunctivo, cum de eo agatur in primo membro, quod unice verum cupiat esse poeta. Contra in sequentibus coniunctivus melior. De variatione modorum in eadem periodo idem Huschkius Propertium confert III, 5, 26 sqq. Adde Lachmannum ad Propert. I, 2, 9. p. 10. Nam a Tibullo aliena res, ut monui in Dissertatione de Elocutione Tibulli. His peractis cetera notanda quae restant. Vides autem tres gradus in amore ponere Lygdamum, quod Heynius recte observat ludicrum esse. Dicere debebat simpliciter: *si nostri mutua cura, an deciderim pectore.* Ista vero diligentia divisionis in tali re non elegans est, sed putida. Postremo Eichstadius totum distichon alieno loco positum contendit, nam ante mandata ad Neaeram perferenda de responso puellae dici. Sed in hoc defendo Lygdamum, si quidem quod hic postulatur responsum, eiusmodi est, ut etiam per se et ante mandata sequentia cognita intelligi possit. Omnino non opus est in poesi, ut omnia secundum temporis ordinem collocentur, sed saepe is invertitur, ubi idonea causa. Et hic quidem satis apertum est, quae nunc leguntur in fine, aptiorem exitum imponere carmini, quod proposito disticho claudi poetice non poterat. — V. 21 sqq. longa donate salute, h. e. salvere iubete longum, uti perspexit Scaliger laudans Virg. Eclog. III, 79: *Et longum formose vale, vale, inquit Iola.* Nam de salutatione dici liquet. Assentitur cum aliis Huschkius comparans Stat. Silv. IV, 10: *Cui primum solito vulgi de more salutem, Mox inclusa modis haec reddere verba memento.* — Porro meritam h. e. dignissimam tali salute. Iniuria displicuit vox Heynio, et male Huschkius *nympham* reposuit, quod non dicitur latine de nupta, ut vult. Verum tenuit etiam Vossius. — submisso sono, h. e. leni, non nimis clara voce, sed verecunda; nam modeste et submisse orat puellam et expetit coniugium. Vellem omisisset hoc additamentum. —

vir quondam, nunc frater, h. e. ante sponsus tuus, nunc autem voluntate non minus tibi coniunctus quam frater sorori; quod est proximum coniugio vinculum amoris et amicitiae et consuetudinis. De constructione Wunderlichius confert Propert. II, 28, 61. Esse vero quondam hic de futuro tempore accipiendum voluerunt Lipsius, Statius, Heynius, Vossius, Bachius, Eichstadius. Ipse vero Huschkio assentior, ubi *quondam* — *nunc* simpliciter ponantur, illud ad praeteritum pertinere contendenti. vir sic dictus ut 2, 14. Nec v. frater alio quam honesto sensu accipe; verum vidit iam Vincentius Contarenus Var. Lectt. c. 23. Etsi enim constat de turpi usu vocis, ut Martial. II, 4. X, 65., tamen in tali loco et tam casta puella de concubino cogitari nequit. — munera parva. Verba in altero membro posita, ut saepe fit, cf. I, 9, 8. — Sive sibi coniunx etc. vides vocativos esse, ut Neaera. — Porro pallida Ditis aqua est Styx, ut sunt pallida omnia inferna. Infra III, 5, 21: *parcite pallentes undas quicunque tenetis.* Ita Anyte χλωρὸν χεῦμ' Ἀχέροντος dicit in Anthol. Gr. Vol. I. p. 134. Iacobs., Epigramm. XIX., comparante Dousa. — Denique huius nominis spem scil. adipiscendi vel si mavis, recuperandi non nisi cum vita deponet. Vides his verbis simul *exitum* carminis contineri.

ELEGIA II.

INTRODUCTIO.

Cum certum esset rivali nupturam Neaeram, poeta non firmus ad hoc ferendum, vitam vi finire cogitabat. Quos sensus introitus

ostendit. Ferreus est, inquit, qui primus puellam iuveni eripuit, durus etiam, qui tantum dolorem ferre potuit et vivere erepta coniuge. Ego non sustineo hoc, nec pudor est fateri taedium vitae. Iam post hunc introitum exponit singulatim per partes iusta, quae persolvi sibi velit mortuo ab amata et matre eius, et in fine etiam titulum imponi lapidi iubet causam tristem mortis indicantem. Vides argumentum. Est igitur fundamentum carminis consilium moriendi. Discessurus autem e vita mandat puellae etiamnunc carae ultima vota sua, ut cuius coniugio vivus frui non potuit, ea mortuo saltem luctum ultimosque honores ne recuset. Hoc per se nemo reprehendat: erat non minimum solatium morituris certa ultimorum honorum exspectatio, et fuerunt cari hi ritus sensibus veterum, a propinquis et amantibus praestiti; sed Lygdamus omnia enarrans et nihil praeteriens modum excedit in descriptione, ut videbis. Porro de exitu dicendum, qui etiam in hoc carmine indirectus est, ut in antecedente. Nam cum moris esset apud veteres, ut mortis causa lapidi inscriberetur ad gloriam aut miserationem, Lygdamus postremo etiam de hac re praecipit. Vult igitur titulum poni in fronte frequenti, ubi hominum iter et transitus, credas ut qui vivus maximas aerumnas amoris passus sit, post mortem saltem beatus quiescat lacrimis et votis viventium. Atque hic finis est ut mandatorum ita totius carminis. Est igitur indirectus exitus contra Tibulli morem. Nihilominus plane aptus dici deberet, si nihil inesset, nisi quod modo significavi; at docebit te infra Explicatio peccasse etiam hic poetam et posuisse, quod non possit non magnopere displicere. Denique ut de toto dicam, quamquam est ad unitatem compositum carmen, parum tamen movet lectorem, quia omnino frigidius est. Nempe summum vitium tractationis dici debet haud dubie nimia et quasi lenta tranquillitas poetae in tali re, qui placens sibi in honoribus sepulcralibus accurate exponendis ostentationis potius frigidae suspicionem movet, quam insaniam aegram ostendit profundi doloris, requie sepulcri et lacrimis viventium digni. Sed trahebatur Lygdami poesis magis ad externas res describendas, neque idoneum erat ingenium eius sensibus animi gravioribus vivide depingendis: aberat ab hoc homine profundior et vehementior omnis affectus, quo solo tamen *etiam* hoc mo-

riendi consilium excusari poterat. Nec Neaera hoc carmine commota est, quam commovere graviter novo commento voluerat.

EXPLICATIO.

V. 1-8. Exordium. Neaera sibi a rivali erepta poeta, cum tantum dolorem ferre non possit, vitae leto finiundae consilium se cepisse fatetur.

V. 1 sqq. carumque tene. Si *carumve* scribas cum aliis et duplex discidium statuas, iuvenis fuit qui caram iuveni eriperet, puella quae iuvenem puellae; sed non est probabile hoc voluisse poetam, cum dicat: *qui — ferreus fuit.* Immo de uno discidio loquitur; qui primus, ait, discidium effecit inter duos amantes. — ferreus ille fuit. Verum hoc, si omnino distraxit amantes et ambobus dolorem attulit; sin rivalis erat iuveni, huic quidem nocuit, sed non puellae. Quare etiam sic non bene poeta dixit. Nihilominus hunc casum necesse est in animo habuerit, quia eum experitur. Vides statim primam sententiam vitio laborare; sed forma speciosa facit ut minus animadvertatur. — Eripuit, vox usitata de rivalibus. PROPERTIUS laudatus ab HEYNIO II, 8, 1: *Eripitur nobis iam pridem cara puella.* — Postremo ad totum locum confer Tibull. I, 10, 2. 2, 67. II, 3, 2. ubi maiorem Tibullianae dictionis vim disces. Albii affectus praeponit colon: *ferreus est, fuit*, quod hic postponit. — V. 4 sqq. coniunx erepta est nondum quidem in matrimonium ducta, at sponsa sibi et sperata. Confert WUNDERLICHIUS Virg. Aen. III, 330. ubi erepta coniunx Hermione est Oresti promissa. Vide etiam BROUCKHUSIUM, qui laudat SERVIUM ad Virg. Eclog. VIII, 18. et alia. Constat vocem etiam in minus honesta re poni. — et qui, cum vi repetito pronomine, sed de eadem persona, cf. quae notat WUNDERLICHIUS, Ovid. Met. XI, 729. 730. HORAT. Epist. II, 3, 180 IUVENAL. VII, 54. CATULL. LXIV, 96. Vide etiam infra III, 3, 36. Ponunt imprimis etiam ubi fortius, gravius, significantius

redit quod modo dictum erat aliis verbis. — Mox frangit, ait, etiam fortia corda dolor, ut infra III, 4, 76: *vincuntur molli pectora dura prece*, ubi notio *vel, etiam, etsi* iam in ipso adiectivo inest, monente Wunderlichio. Adde III, 3, 24. — loqui pudor est, elegans phrasis pr. *pudet*. Conf. Ovid. Remed. Am. 359. Met. XIV, 18. Fast. V, 532. Vide Lachmann. ad Propert. p. 47. — taedia vitae. Observabis euphemismum orationis, poeta nonnisi indirecte significante quid velit.

V. 9-ad fin. Ultima mandata dat, exponens quomodo componi velit ab amata eiusque matre, et quem titulum inscribi sepulcro.

V. 9 sq. Ergo. Ieiunus transitus. — tenuem mutatus in umbram, h. e. combustus fuero. Nam igne dissolvitur anima a corpore. Comparat Heynius Ovid. Fast. V, 463. de Remo: *elapsa rogi flammis et inanis imago.* Adde Propert. IV, 7, 2: *luridaque evictos effugit umbra rogos.* Conferri etiam potest Herodiani locus IV, 2. de consecratione imperatorum, ubi ex ignibus surgit anima, quam aquila fert in caelum, et in Museo Capitolino Tom. IV. tab. 12. Faustinae Minoris apotheosis e rogo se tollentis. — Candida ossa, nigra favilla, oppositione epithetorum manifesta, ut mox v. 18. 20. et alias. Videtur hic poeta multum delectatus esse oppositione colorum, cf. supra 1, 9. infra 4, 30 sqq. — teget. Cur diversa tempora fuero et teget hic iuncta sint, res ipsa docet, nec dici potuit aliter. At Propert. I, 15, 19. cum et simplex futurum et exactum bis poni posset, iunctum utrumque variationis causa, qualia etiam alias legas, quod propter Huschkium notandum fuit. — V. 11 sqq. Ante meum veniat rogum, ut ap. Auct. Rhetoric. ad Herenn. I, 14: *venire ante imperatorem.* — Et fleat ante meum, non est bona repetitio verborum *ante meum*, sed alia debebat gravis vox addi verbo *fleat.* — matris dolore, a matre dolente, suavis forma, de qua dictum ad I, 2, 11. Cum matre Neaeram venire vult non solum propter decorum, sed ad maiorem sui honorem. — generum et virum dicit iterum, cum sponsa fuisset Neaera, ut futurus esset gener et vir. Conf. γαμβρός Pindar. Ol. VII, 4. — Maereat genero, viro. Cum ablativo rei iungi verbum constat, at personae ablativus soloecus esset, nam

in talibus Tib. I, 10, 64: *quo irato flere puella potest*, quis non videt aliam esse rem! Quare hic dativos intellige cum Vulpio, quos vulgo commodi dicunt. Est novum exemplum insolentis constructionis, ut alia insolita habet. Aliud *flere* alicui, veluti Propert. I, 12, 15. quod est *dicendi* verbum. — V. 15 sqq. Praefatae, h. e. ante affatae, ut Virg. Aen. XI, 301: *praefatus divos solio rex infit ab alto.* Conf. Heins. ad Ovid. Fast. VI, 303. Noli vero cum Huschkio reponere: *Praefataeque meos;* nam ante concinnitatis causa bis posuit Lygdamus. Hinc quod sequitur: animamque precatae, probatum Cyllenio, Heinsio l. c., et Brouckhusio, et Huschkio nec reiectum ab Heynio, si verum, sensu non differet ab antecedenti. Ac vulgo dicunt velle poetam ter nomine compellari Manes et clamari notissimum illud Have, vale aeternum anima, cf. Kirchm. de Fun. III, 9. Cerd. ad Virg. Aen. XI, 97. Sed hoc discedentium erat compositis cineribus, nunc ante ossilegium affari et precari Manes iubentur feminae. Quare alia res est. Nempe videntur ante ossilegium invocati Manes esse solemni more, ut benigne recipiant hos honores neque irascantur, si quid errore non sit rite factum, sed propitii maneant. Sic *precari animam* erit dictum absolute, ut alias precari deos. Huschkius interpretatur *precando vocare.* Ad alteram vocem hic lectam quod attinet, ne placeat *rogatam* aut *rogantes*, omnino aliena haec vox, quia religiosum, non vulgare hic requiritur verbum. Postremo Bachii coniecturam affero acutam: *animamque recentem*, h. e. recens corpore quae excessit, ut Ovid. Met. VIII, 488: *Vos modo fraterni Manes animaeque recentes Officium sentite meum.* Neque tamen ea opus videtur, si recordaris insolita multa habere Lygdamum. — perfusaeque liquore manus, lotis aqua manibus. Vides nihil praeterire hominem, sed omnia molesta cum diligentia praescribere. piae manus sunt ὅσιαι, sacros ritus peracturae. Comparat Wunderlichius Virgil. Aen. IV, 517. et Soph. Oed. Col. 469. — Incinctae, succinctae veste nigra et indutae. Quod Sueton. Octav. 101. refert: *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati et discincti pedibusque nudis*, Heynius ut insolitum narrari monet contra Kirchmannum et Vulpium, laudatque potius Heinsium ad Ovid. Fast. II, 633. Sic Petron. Sat. 135: *anus*

incincta quadrato pallio. — V. 19 sq. Nunc de conspersione ossium et cineris dicit, quae vino et lacte fiebat. Constat de harum rerum usu in inferiis. Tamen vulgo poetae ubi de sepulcralibus honoribus loquuntur, quod Lygdamus tribus his versibus memorat, praetereunt. — niveo additum post vini mentionem oppositionis causa. Porro fundere lacte dictum pr. perfundere, ut *fundere mero* I, 7, 50. — V. 21 sq. carbaseis ventis. Vossius *linis* emendat, ut Propert. IV, 3, 64. sunt *carbasa lina*, aut potius *villis*, ut carbaseis villis sit pro carbasis villosis; fuisse enim lintea veterum villosa ostenderat ad Virgil. Georg. IV, 377. Quod licet verum sit, tamen ab hoc loco aliena est mentio rei, nec ullam vim in sententia utilem habet. Quare praeferamus *velis*, quod Italis placuit et recentioribus multis, Mureto, Pulmanno, Passeratio, Brouckhusio, Heynio et nuper Huschkio, quem sequitur Golberyus. Atque Huschkius contra Vossium bene monet velorum varia genera esse, crassa ut navium, tenuia, immo tenuissima ut hominum voluptatibus perfluentium, quos ut Cicero scribit Catil. II, 10: *pexo capillo nitidos aut imberbes aut paene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Non igitur e latinitate ecclesiastica hanc velorum significationem fluxisse, ut Vossius censeat, sed ex aurea latinitatis aetate. Addit Huschkius Lucan. VIII, 367: *Illic et laxas vestes et fluxa virorum Velamenta vides*, et X, 141. de Cleopatra: *Candida Sidonio perlucent pectora filo, Quod Nilotis acus compressum pectine Serum Solvit et extenso laxavit stamina velo.* Quae cum ita sint, optime vox convenit adiectivo *carbaseis*, quo nomine tenuissimi lini genus nominatum constat, quod primum in Hispania Tarraconensi repertum est teste Plinio XIX, 1. His igitur tenuibus velis siccari vult ossa cum cinere, tum condita in urna deponi in sepulcro marmoreo. domos enim sepulcra nominari post Statium observavit Ianus Rutgersius Venus. Lectt. c. 2. et Brouckhusius ad h. l. ac Vulpius, ex iisque Heynius. Saepe in Inscriptionibus legitur *aeterna domus*. Est euphemismus. — V. 23 sqq. Illic quas mittit etc. Cave cum Vossio construas: *Illic fundantur eodem* etc.; nam facile intelligitur, eodem propter lacrimas additum esse in altero membro, nec posse *illic eodem* uno commate iungi. Bonum vero

illic. Sensus: illic in sepulcro (*auf dem Grabe*) fundantur, effundantur odores pretiosi, lacrimaeque nostri memores eodem, leniter in fine mutata oratione per aliud pronomen. Statuit autem Vossius postquam ventum esset ad sepulcrum cum urna, illic vasculum unguentis impletum simul conditum in ea et additum ossibus esse, et lacrimas in cinerem fusas, tum clausam urnam et repositam. At enim mire poeta de vasculo unguentario in urna condito dixerit: odores fundantur in urnam, et cum sicca reponi velit ossa in sepulcro, non est probabile lacrimas in cinerem fusas. Quare ego Huschkio assentior de sepulcri potius adspersione agi contendenti et lacrimas etiam in sepulcrum fusas ante discessum puto intelligi debere ut I, 3, 8. Describitur eadem res in utroque loco. Atque haec quidem de his. Videamus reliqua. mittere est nota vox de peregrinis mercibus et laudat Heynius Burmann. ad Ovid. Art. Am. III, 213. — Panchaia, fabulosa insula Euemeri, cuius carmina transtulerat Ennius, Arabiae ab Oriente obiecta, turis et myrrhae ferax aliorumque aromatum odoriferorum, cf. Gierig. ad Ovid. Met. X, 307 sqq. et interpretes ad Virg. Georg. II, 139. Est dives, propter copiosum proventum talium rerum. — Eoi Arabes, h. e. odorati. Cum enim Oriens odorum optimorum sit dives, in tali nexu clarum est quid sibi velit epitheton *Eous*, minime illud otiosum. — pinguis Assyria, h. e. Syria, unde amomum, balsamum et mille alia unguentorum genera mittebantur, partim in ea nata, partim in mercatum adducta, ut Heynii verbis utar, qui sic defendit adiectivum *pinguis.* Brouckhusius audacter commutatis epithetis *pinguis Panchaia* et *dives Assyria* reposuit, atque ita saltem dicere debebat Lygdamus, si non dixit. Ceterum cf. ad I, 3, 7. Quo loco inspecto observabis simul quanto simplicius Tibullus haec tractaverit, qui cum satis habuerit Assyrios odores nominare, hic poeta contra quaerit nimium ornatum nominum. — Sic ego componi velim. Claudit his verbis descriptionem antecedentem, ut similiter supra 1, 14. Dicebantur autem *componi* proprie, quorum cineres et ossa colligebantur et vasculis includebantur et condebantur in sepulcro. Vide Kirchmann. de Fun. III, 8. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 9, 28. imprimisque Brouckhusium ad nostrum locum, qui v. c. laudat Catull. LXV, 95. Propert. II,

24, 35. Ovid. Fast. V, 426. Valer. Flacc. VII, 203. Ac vulgo dicunt Latini *componere* aliquem, rarius *componere ossa*, aut *cinerem*, quod cum Porsonus *Tracts and Miscellaneous Criticisms* etc. p. 381. negasset omnino factum, iure refutavit eum Huschkius et Propertium l. cit. incorruptum iudicans et Ovid. Fast. III, 547. opponens. Atque haec hactenus. — Iam v. 27 - ad fin. praecipit de titulo lapidi inscribendo. — V. 27 sqq. mortis causam. Inscriptam eam vulgo monumentis ostendunt Kirchmann. de Fun. III, 20. et Brouckhusius hoc loco, probantque marmora plurima, notante etiam Heynio. Factum id etiam, ubi quis sibi ipsi manum intulerat, quam rem tamen hoc loco poeta laudabili iudicio indirecte significabit. Tenendum vero *causam* est, quae propria hic vox, nec cum Huschkio *casum* ex aliquot libris reponendum, licet in fine etiam nomen *causa* recurrat. Neque enim hoc poeta dicit: Occubuisse me tristi casu mortis littera indicet, sed quae causa mortis fuerit, demonstret. — in celebri fronte scil. sepulcri, prope viam publicam, ut fere solebant poni sepulcra, qua frequens hominum transitus. Deprecatur hoc Propertius III, 16, 25: *Di faciant mea ne terra locet ossa frequenti, Qua facit assiduo tramite vulgus iter.* Lygdamus autem quam plurimos legere titulum vult cupidus miserationis praetereuntium, et videtur etiam alia causa fuisse, de qua mox. — littera haec carmina notet, h. e. signet, inscribat, ut *notae* sunt ductus scripturae s. litterae, veluti Horat. IV, 8, 13: *non incisa notis marmora publicis*, et *notare* est scribere ut Ovid. Epist. ex Ponto III, 4, 26: *venisset verbis charta notata tribus*, Metam. IX, 522: *damnatque tabellas et notat et delet;* Carm. Priap. II. ap. Burmann. p. 480: *Ergo quidquid id est quod otiosus Templi tui parietibus notavi.* Ad v. *carmina* conf. Ovid. Met. II, 326. Virg. Aen. III, 287. Eclog. V, 42. — causa perire constructio aliena a Tibullo, ceteroquin saepius lecta, ut constat, apud poetas atque etiam in prosa oratione interdum. Iuvabit de hac aliisque structuris infinitivi legere quae observat M. Schmidt in Programmate scholastico Ratibor. 1826. Atque haec hactenus. Restat ut de toto exitu nonnulla addamus, et indicemus quid in eo displiceat. Fac a propinquis positum hunc titulum: Lygdamus hic situs est, cui dolor et cura coniugis

ereptae causa perire fuit: non erit quod reprehendas. Nunc autem Neaera iubetur eum ponere et ipsa se publice causam dicere mortis, etiam nomine addito, quod ipse vides quam sit infeliciter et imprudenter excogitatum. Volebat poeta revocare Neaeram ad se et deterrere ab isto, quod meditabatur, coniugio; sed quod agit, ita comparatum est, ut non potuerit non magis abalienari eius animus. Notavit rem etiam Vossius.

E L E G I A III.

INTRODUCTIO.

Carmen propositum et quartum maxime imperfecta sunt in hoc libro. Initio queritur poeta quod, cum tot vota fecerit et tura blanda dederit diis, non opum et divitiarum causa, sed ut cum Neaera vitam transigere liceat in eiusque sinu postremo mori, nihil prosint haec omnia. Nam divitias quidem, quarum pleraque genera enumerat, non felicitatem afferre sed invidiam, se paupertatem cum Neaera securam praeferre opibus omnibus, atque precatur ut videat illum diem, quo puella sibi reddatur. At si non audiat deus vota, pergit, etiam opes non iuvant maximae, coniugium securum amatae cupio paupere licet cultu. Quod precatur Iunonem et Venerem ut concilient. Aut si fata negent reditum puellae, Orcus ut vocet optat dolentem. Haec hactenus. Vides quid velit. Neaera coniuge posse frui summum ei bonum videtur opibus maximis posthabendum, quod votis plurimis expetit et nisi consequatur, vitae deprecatur munus. Dividitur autem totum d u a b u s p a r t i b u s, quantum quidem in tali carmine affirmare licet. Exordium discretum non adest, sed *decurrit una perpetuitas rerum ab initio ad v.* 26. hoc sensu: non divitias precor,

sed coniugium Neaerae vel paupere cultu. *Inde sequitur repetitio antecedentium cum exitu* hoc sensu: At si non audiat deus vota, nec divitiae iuvant, sed cupio mortem. In prima parte locus de divitiis manifesto iusto longior est, neque opus erat ut omnia fere genera recenserentur, auri pondus, latifundia, domorum varia magnificentia, denique margaritae et purpureae vestes. Sed dabimus hoc: cum praeferat divitiis coniugium Neaerae, non solum de divitiis dici debebat, sed etiam de coniugii huius futura felicitate, quemadmodum iam Vossius sensit; ita et commoda poetae praecipiebant et tractationis poeticae concinnitas, quae oppositum locum pariter exornatum requirit. Nunc autem quid facit? Repetit identidem se divitem sine Neaera esse nolle, cupere ea coniuge frui etiam in paupertate, neque tamen descriptionem proponit felicis vitae, quam imaginatur, ut appareat quanto haec melior sit divitiis. Nempe, ut saepius moneo, nesciebat talia describere Lygdamus; locum de divitiis multis verbis tractat, quia delectatur huiusmodi rebus, licet contemtum earum iactet, alia vero quam externa nec descripsit nec describere potuit. Fuisset ordo rerum commodus, si post descriptam, quam sperabat in coniugio Neaerae, felicitatem, sic perrexisset: *O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem! O mihi felicem terque quaterque diem! Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis Et faveas concha, Cypria, vecta tua. Aut si fata negant reditum* etc. Nunc autem plena omnia ieiunis repetitionibus sunt, nec quidquam deterius et ineptius fingi potest altera parte carminis. Vide modo post illa: *At si, pro dulci reditu quaecunque voventur, Audiat aversa non meus aure deus, Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis* — hunc exitum: *Aut si fata negant reditum tristesque sorores, Stamina quae ducunt quaeque futura regunt, Me vocet in vastos amnes nigramque paludem Orcus*, ubi eadem plane protasis cum diversa apodosi, nec opus est ut plura addamus.

EXPLICATIO.

V. 1-26. Prima pars carminis. Queritur quod nihil prosint vota facta diis turaque oblata non divitiarum causa, sed ut Neaera coniuge frui liceat; nam divitiis se non iuvari, cupere vero maxime illum diem videre, qui Neaeram reddat.

V. 1 sqq. caelum votis implesse. Vulpius et Wunderlichius comparant Virg. Aen. IX, 24: *oneravitque aethera votis.* Mox Blanda tura sunt suaveolentia, quibus dii placantur. Etiam hostiam *blandam* dici notatur. Confert Vulpius Propert. IV, 6, 5. Ovid. Fast. V, 300. Horat. III, 23, 18. — marmorei prodirem e limine tecti. Circumscriptio poetica ad amplitudinem fortunae luculenter significandam. Comparat Vulpius Sil. Ital. VI, 442. verba Marciae ad Regulum maritum: *Tua, respice, sedes Haec est, unde ingens humeris fulgentibus ostro Vidisti Latios consul procedere fasces.* Contra de pauperis domo Horat. Sat. II, 7, 12: *unde mundior exiret vix libertinus honeste.* — clara domus est magnifica, ut patet, cum hic de solis divitiis agatur. Ceterum confert Heynius Cicer. Off. I, 39: *Cn. Octavio honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum.* — V. 5 sq. renovarent, inverterent ad novam sationem. Hic Vulpius et Heynius laudant Ovid. Amorr. I, 3, 9: *nec meus innumeris renovatur campus aratris.* Mox benigna terra ut supra I, 3, 62. Ceterum composuit domorum in urbe magnificentiam et agrorum latifundia etiam Tibullus II, 3, 41 sqq. — V. 7 sq. ut tecum sociarem, una caperem, partirer. Ovid. Met. X, 635: *unus eras, cum quo sociare cubilia possem.* Vide ad I, 6, 64 supra. — Inque tuo caderet etc. h. e. occideremque senex in sinu tuo. nostra senecta, ego, vid. ad I, 2, 11. Horat. II, 6, 6. Et *caderet* est pr. occideret, ut alias saepe simplicia pr. compositis ponunt, cf. ad I, 2, 80. Tamen hoc loco vox simul accommodata est bene infirmitati labenti senectutis. Ad sententiam Wunder-

LICHIUS confert PROPERT. IV, 11, 36. ubi VULPIUS Callimach. Epigr. 42. laudat. Adde ALBINOV. ad Liv. 89 sqq. — V. 9 sq. Tunc cum. Observa *tunc* praemissum ad maiorem vim in principio versus. Sic ap. PINDAR. Ol. VI, 75: τοῖς οἷς, Pyth. VIII, 39: τὸν ὅνπερ. — defunctus tempore, ut HORAT. Epist. II, 1, 21: *suisque temporibus defuncta*, et VIRG. Georg. IV, 475: *defunctaque corpora vita*, laudantibus WUNDERLICHIO et HUSCHKIO. Porro permenso, quod in optimis est, probarunt iam olim MURETUS, PULMANNUS, SCALIGER. Est passive dictum ut APPULEI. Met. VIII. p. 209: *aliquanto viae permenso spatio*. HUSCHKIUS, qui recte explosit *praemensae* probatum BROUCKHUSIO, HEYNIO, VOSSIO, ipse tamen male *permensae* amplexus est sequente GOLBERYO; dicitur non bene: permetiri lucem, licet lux pro vita sit. — Nudus. Sic quod comparant PROPERT. III, 5, 14: *nudus ab inferna, stulte, vehere rate*, ubi BURMANNUS laudat SIL. IT. V, 267: *modo quem Fortuna fovendo Congestis opibus donisque refersit opimis, Nudum Tartarea portabit navita cymba*. Hoc loco poeta posuit epitheton propter contemtum divitiarum, de quo dixit et statim iterum dicet. — Lethaea rate, ut infra 5, 24. Bassus *Ληθαίην ἄκατον* dicit, quem confert MENKIUS meus, Anthol. Palat. IX, 279. — Postremo ad totius loci perlecti constructionem attende: *Non ut — Aut ut — Sed ut*. Comparat WUNDERLICHIUS Horat. Epod. V, 5 sqq. In Tibulli elegiis nusquam tam longam periodum invenias, neque hic orationem obliquam tam diu continuavit. Singula disticha Lygdamus hic satis bene elaboravit. Observa vero aliud. Tibullus, postquam duobus distichis de divitiarum contemtu dictum erat, etiam oppositam coniugii felicitatem non paucioribus distichis illustrasset; nam haec est gravior pars sententiae. Lygdamus posuit quidem duo disticha in altera parte, secundum vero soli mortis notioni exornandae insumpsit, quo non opus erat. Nempe recordatur libenter mortis hic poeta, quare cum videret opportunitatem de ea dicendi, non praetermisit. Tibullus contra nusquam ad aliena aut inutilia discedit studio perverso abreptus, sed observat ubique accuratae compositionis leges. — V. 11 sqq. quid prodest? Iniucunde poeta interrogationis formam etiam in sequentibus per quinque disticha continuat, ut dimidia pars carminis interrogationes ha-

beat. — pondus divitis auri, ut I, 9, 31. Hic etiam oppositionis causa apta est phrasis. Aurum et agri legitime componuntur. — Phrygiis innixa columnis. Celebre genus marmoris apud Docimeam vicum Phrygiae in vicinia Synnadis caesum, unde etiam Synnadicum Romanis dicitur. Fuit candidum, sed maculis purpureis distinctum. STAT. Silv. I, 5, 37: *Purpura sola, cavo Phrygiae quam Synnados antro Ipse cruentavit maculis lucentibus Attis.* Vide etiam STRAB. IX. p. 437. XII. p. 865. unde disces in maximo id pretio habitum esse Romanis. Memorat etiam HORATIUS III, 1, 41. ubi cf. MITSCHERLICHIUM, ad nostrum vero locum BROUCKHUSIUM. — Taenare, sive tuis. Marmor Taenarium hoc est, quod Romae inde ab Augusti temporibus usurpatum videtur, cum Graecis diu ante in usu fuisset. Erat niger, et huius quidem generis celeberrimus, lapis. Laudat etiam PROPERTIUS III, 2, 9: *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis.* STRABO de Taenariis lapicidinis loquitur VIII, p. 367. Cave vero hoc marmor cum Laconico (*Serpentino*) confundas, quod viride fuit, caesum in Taygeto, memoratum a PAUSANIA III, 21, 4. aliisque multis apud BROUCKHUSIUM locis. — sive Caryste tuis. Marmor Carystium (*Cipollino*) apud Carystum in Euboea caesum ex eorum genere fuit, quae mature usurpata sunt. Virebat lapis marino colore et venis in modum fluctuum erat distinctum. STAT. Silv. II, 2, 93: *Hic Nomadum lucent flaventia saxa Thasosque Et Chios et gaudens fluctus aequare Carystos.* Adde alia apud BROUCKHUSIUM. — Denique ad totum locum confer *Descriptionis Romae* a PLATNERO, BUNSENIO, GERHARDO, ROESTELLIO nuper editae Tom. I. p. 336 sqq. ubi accurate exponitur de marmorum generibus apud Romanos usurpatis. Poetam vero observabis eum habuisse delectum, ut diversi coloris marmora tria nominaret. — V. 15. 16. Et nemora in domibus, in impluvio puta. HORAT. III, 10, 5: *Audis quo strepitu ianua, quo nemus Inter pulchra satum tecta remugiat Ventis?* ibiq. MITSCHERL. et HORAT. Epist. I, 10, 22: *Nempe inter varias nutritur silva columnas,* ibiq. SCHMID. Adde BROUCKHUSIUM et VULPIUM ad hunc locum et HEYNIUM, qui SITZMANNUM ad Rutil. Itin. I, 111. laudat. — sacros imitantia lucos scil. amoenitate, qualem describit VOSSIUS ad Virgil. Eclog. VI,

p. 326. — Aurataeque trabes. De hac luxuria multos locos collegit Vulpius. Sic v. c. Propertius dicit III, 2, 10: *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis, Nec camera* (Plafond) *auratas inter eburna trabes*, et Statius Silv. I, 3, 34: *Quid primum mediumve canam, quo fine quiescam, Auratasne trabes an Mauros undique postes Mirer?* Adde Brouckhusium et ad Horat. II, 18, init. Torrentium cum Mitscherlichio. Ac non tenuibus bracteolis, sed solido auro convestiebant trabes, ut Lipsius de Magnit. Rom. III, 14. docuit. Conf. etiam Vulpium. — marmoreumque solum, pavimentum aut tesselatum seu musivum aut simpliciter e marmore factum. Denique ad totum locum Heynius confert Anthol. Lat. Burmann. III, ep. 70. T. I. p. 511: *Quod tua mille domus solidas habet alta columnas, Quod tua marmoreo ianua poste nitet, Aurea quod summo splendent laqueāria tecto, Imum crusta tegit quod pretiosa solum.* Vides hic ut apud Lygdamum primo disticho externam faciem domorum describi, secundo quae intus sunt. — V. 17 sq. Quidve in Erythraeo sqq. conf. ad II, 4, 30. — Sidonio, correpta secunda syllaba, ut Virg. Aen. IV, 137. Alii producunt. *Tyrio murice* dixit Tibull. II, 4, 28. — Singulis explicatis de toto loco (v. 11-18.) verbum addo. Cum Lygdamus delectetur huiusmodi rebus, bene elaborata sunt etiam hic singula disticha, divisionem vero totam quod attinet, Tibullus meliore ratione inventa dixisset opinor primum de agrorum possessione, deinde de domorum magnificentia, denique de auro et gemmis; sed ne ita quidem dixisset, cum non repetiisset, quae iam in antecedentibus dicta erant. — V. 19 sq. Et quae praeterea populus miratur, quasi vero nondum satis sit enumeratarum rerum. — in illis Invidia est. Comparat Vulpius Aristot. Rhet. I. c. 5: *ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἔστιν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἔστιν ὁ φθόνος*, et Soph. Oed. R. 380 sqq.: *ὦ πλοῦτε καὶ τυραννὶ καὶ τέχνη τέχνης Ὑπερφέρουσα τῷ πολυζήλῳ βίῳ, Ὅσος παρ' ὑμῖν ὁ φθόνος φυλάσσεται.* Addit Huschkius locum, quem vir doctus in *Actis literar. Societatis Rheno-Trai.* Tom. III. p. 149. laudat, Plin. Panegyr. cap. 88, 5: *An satius fuit felicem vocare? quod non moribus sed fortunae datum est: satius magnum? cui plus invidiae quam pulchritudinis inest.* Alii denique dicunt: invidiam

habet fortuna, ut PROPERT. II, 25, 34. PINDAR. Pyth. XI, 29. — falso plurima vulgus amat, h. e. plurima, quae amat vulgus, falso amat. Vulgus amat quidem divitias, sed errat in hoc ut in aliis plurimis; nullum est vulgi iudicium in vero pretio rerum constituendo. — V. 21 sqq. mentes curaeque levantur, zeugma, veluti OVID. Met. X, 368: *curasque et corpora somnus Solverat.* Addit alia plura WUNDERLICHIUS. Semel etiam Tibullus zeugma habet, I, 4, 65. 66. — tempora, conditiones hominum, vicissitudines rerum, regit Fortuna sicut ipsi placet, non magis divitibus parcens quam aliis, atque ultima aetas liberae reipublicae satis exemplorum huius generis viderat. — Sit mihi paupertas etc., nihil amplius desidero. — At sine te. Male WUNDERLICHIUS *Et* probavit, laudans I, 8, 34. ubi displiceret *At*, ut h. loco *Et* ferri nequit propter additum *sine te.* Porro regum munera sunt opes. PROPERT. I, 14, 24: *Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor Regna nec Alcinoi munera despicere,* a quo constat Ulyssem largis donis donatum. Denique volo contra VOSSIUM *velim* praeferentem defendit HUSCHKIUS commode afferens CORNEL. NEP. XV, 4: *Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate.* — Iam sequi debebat felicitatis in coniugio Neaerae speratae descriptio disertior, quam clausisset bene distichon proximum: *O niveam, quae te poterit mihi reddere lucem* etc., quemadmodum in Introductione dixi. — niveam, vulgo candidam dicunt. Insolens usus. — quae te. VOSSIUS: *mihi te poterit quae*, pravam oppositionem inferens hanc: quae non alii te, sed mihi reddet; quod nihili. Collocationes verborum nullae poeticae sunt, quae non simul sententiae rationi conveniunt. — quae poterit reddere, quae efficere valebit ut redeas, cf. ad I, 7, 3. h. e. quo die redibis.

V. 27 - ad finem. Pars altera carminis. At sine Neaera ne opes quidem iuvare, cum ea felicissimum se pauperem fore; quodsi fata reditum puellae negent, mortem se sibi optare dicit.

V. 27 sqq. pro dulci reditu, scil. in gratiam et ad priores sensus amoris. Perperam quidam de itinere et discessu Neaerae cogitant, quasi cum matre abierit Roma, quod explosit SPOHNIUS Dissert. I. p. 54. Vide modo v. 35: *Aut si fata ne-*

gant reditum tristesque sorores, quod ex ista ratione significaret: si a Parcis constitutum est, ut Neaera nunquam redeat Romam. Enimvero apertum est de amoris coniunctione agi. — aversa aure. Illustrat Brouckhusius exemplis. — non meus deus, h. e. ut constat, iratus, infestus, ut meus, tuus, suus est propitius, veluti Ovid. Met. IV, 373. Heroid. XII, 84. Horat. Epod. IX, 30. Vide Brouckhusium, Vulpium, Heynium. Graecis est ἕτερος δαίμων, quod quis nescit! — iuvant, h. e. iuvabunt, ut in affirmatione. Suspicatur vero non auditum iri vota. — Lydius aurifer amnis, Pactolus, de quo trita omnia. — Nec quas terrarum sustinet orbis opes, ut supra in loco Cornel. Nep. *Orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate.* — V. 31 sq. liceat mihi etc. h. e. sim tecum pauper et fruar securus te cara coniuge, nihil desiderabo amplius. — paupere cultu scil. vitae. Est enim cultus omnino externa vivendi ratio, ut Cornel. Nep. Att. c. 14: *Cum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit.* — V. 33 sq. timidis votis. Vulpius ob superstitiosum metum dictum censet, cum quo omnia vota a veteribus nuncupata. Tu potius ad praesentem rem verbum referas. Sunt *timida* vota, quae timidus facit, vix audens sperare felicem eventum. Ceterum Iunonem implorat ut matrimonii praesidem, quemadmodum Venerem quoque inter coniugales deos fuisse constat, cf. Brouckhus. ad I, 3, 79. — concha, Cypria, vecta tua, cf. Brouckhusium et Heynium h. l. et Voss. Epist. Mytholog. II, 28. Sed quid hic significat mentio rei? Nempe vult venire Venerem e Cypro, ubi fere habitat, et praesentem sibi adesse in amore reparando. Horat. I, 19, 9: *In me tota ruens Venus Cyprum deseruit.* Adde ibid. I, 30. Ceterum Tibullus, etsi saepe Venerem commemorat, nusquam huiusmodi quid addidit, quia non amat mythologicum ornatum. — V. 36 sqq. quaeque futura neunt. Possis interpretari: nendo constituunt, ut Martial. I, 98. dicit: *cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.* Sed nimis inepta videtur talis hic variatio inutilis orationis; nam repetitio pronominis (*quae* — *quaeque*) indicare videtur, voluisse poetam, quemadmodum supra III, 2, 4., quod ante dictum erat, significantius repetere. Coniicio igitur *regunt;* sic quod ante mythice dixerat,

nunc proprie dicet clarius. HEINSIUS quod coniecit ad OVID. Epist. XVII, 194. *canunt*, vides plane alienum esse. — Me vocet. Est verbum mortis et fatorum, cf. BROUCKHUS. ad Propert. I, 14, 14. — vastos amnes, quorum vasta profunditas. VIRG. Aen. VI, 295: *Turbidus hic coeno* (Acheron) *vastaque voragine gurges Aestuat.* ALBINOV. II, 6: ratis *It redit in vastos semper onusta lacus.* — nigram paludem non Cocytum, ut VOSSIUS vult ad VIRG. Georg. IV, 478., sed Acherontem intellige. Nec contra libros cum eodem pr. in scribes *ad.* Est illud significantius hic. Conferes autem ALBINOV. locum modo laudatum. — Mox est Orcus Pluto, cf. CIC. Verrin. IV, 50. SERV. ad Virg. Aen. VI, 275. BURM. ad Sueton. Neron. 39. Res nota. Is quomodo sit dives, CICERO dicit de Nat. Deor. II, 26. Ac nunc quasi pro uno nomine est Dives Orcus, ut alias Dis Pater. Sed praeterea aliud epitheton luridus additum. Vide quae notavimus infra ad III, 5, 22. — in ignava aqua h. e. rex in locis inferis, quae amnibus et paludibus cincta. *Ignava* ut *βληχϱοὶ ποταμοί* PINDAR. Fragm. Thren. nr. I. nostr. edit. p. 238. Adde MITSCHERLICHIUM ad Horat. II, 14, 17. — Denique totius loci sensus est: Malo ad Orci tristissima loca descendere quam hic vivere diutius; tristitia ista ut graviter exprimatur, cumulat epitheta *vastus, niger, ignavus, luridus* et nomina *amnes, palus, aqua,* ut tamen meo iudicio nimius sit in repetenda *aquae* notione. Omnino notari debet data hac occasione, Lygdamum ubique ubi mortem cogitat, aquas infernas recordari atque ita designare Orcum, conf. supra v. 10., porro III, 1, fin. et III, 5, 21. 24.

ELEGIA IV.

INTRODUCTIO.

Neaera non redibat in gratiam cum Lygdamo, sed hic nunc tristi somnio edoctum se queritur ab Apolline, alii viro nubere velle puellam. Exponamus singula disertius. Commotus graviter animo poeta in exordio irrita orat deos ut sint insomnia modo visa, immo vanas dicit imagines. Esse enim somnia omnino falsa et mendacia et errare homines, qui ea vulgo placent. Tamen, ut est territus, redit ad vota initii precaturque Hecaten ut avertat malum. Post hoc exordium in medio carmine somnium ipsum quale fuerit narrat. Apparuisse dormienti iuvenem divinum, quo nihil visum sit formosius unquam, florentem aetate, redimitum lauro, indutum stola Pythia et lyram tenentem. Hic postquam praelusit cantu lyraque verbis dicendis, narrat alii nubere velle Neaeram carissimam. Neque tamen desperet hortatur; posse flecti animum precibus et servitio fideli, in quo suo ipsius exemplo pro documento utitur, qui Admeti quondam captus amore ad infimum vitae genus descenderit. Denique puellae nuntiari iubet, promitti hoc coniugium ei ab Apolline ipso, absistat alia cupere. Ita deus: Poeta autem dolenter affectus hoc somnio, non credere se posse multis verbis et imaginibus affirmat tam duram esse puellam, iterumque implorat deos ut in melius rem vertant. Qui est exitus. Haec hactenus. Iudicavit iam Heynius multa esse in hoc carmine, quae severiori iudicio displicere possint, quorum quaedam affert; dixerunt in eandem sententiam Vossius et Eichstadius et plura etiam vitia tractationis indicarunt. Nos, ut est ratio instituti nostri, de singulis locis infra in Explicatione dicemus, hic autem compositionem carminis omnino considerabimus,

de qua etiam in Dissertatione de Poesi Tibulli monitum quantum ibi satis.

Est hoc carmen unicum inter poemata Lygdami, quod tres elegiae partes principales, exordium, medium carmen, exitum, more Tibulliano distincte divisas habet, neque tamen cetera pariter arti Tibulli similia sunt. Primum quod est consilium elegiae? Est haud dubie idem, quod antecedentibus subesse vidimus, ut puellam abalienatam revocet ad se. Et nunc quidem cum de coniugio alio cogitari audivisset, in somnio finxit sibi rem ab Apolline nuntiatam, sperans hoc inventum magnam vim habiturum in Neaeram. Sed hic non reputavit leve negotium tribui insigni deo; oracula, monita, minas exspectaveris ab Apolline, non quod facillime aliunde cognosci poterat, alii nubere velle Neaeram. Notavit iam Heynius vitium inventionis. Porro, si revera commovere puellam cupiebat, credas hunc in modum adornari debuisse argumentum, ut post somnium narratum describeret luctum ingentem, quem hic nuntius sibi attulisset. Habuisset igitur compositio duas partes, quarum altera narrationem Apollinis exhiberet, altera dolores inde ortos. Exordio et exitu, ut nunc fit, implorari poterant dii ut averterent tristem rem. Sed quid facit poeta? Unice occupatur somnio describendo, alteram vero rerum partem, quam dixi, plane omisit, non ille sentiens quid postulet concinnitas, neque idoneus sensibus animi disertius describendis. Erat vero etiam alia forma tractationis, quae huic argumento adhiberi poterat, si ad deterrendam a proposito Neaeram omnia componebat. Sic in prima parte proponenda fuisset irati dei imago, qui ad minas veniret, et videres descriptionem divini habitus non inutilem, sed aptam, quae iusta pars esset totius carminis, cum quae nunc hic legitur pulchritudinis divinae laus, nihil prosit summo consilio carminis. In altera autem parte verba severa dei ad Neaeram et minae haberentur, si fidem falleret et alii nuberet. Exordium praepararet totum et nuntiaret non impune contemni iusiurandum et minas deorum, exitus vero vota haberet ut obtemperaret puella. Sed etiam his ita tractandis impar fuerit Lygdamus, cuius tota poesis lenis, non nervosa et gravis. At enim dicat alius, quid si ipsa lenitate et dulcedine rerum commovere voluit puellam? Apollinis habitus totus suavis et verba mollia dul-

cisque sonus. Quidni igitur etiam in tali specie proposita insit multum persuasionis? Quis enim resistat pulcherrimi dei pulchris verbis? Fortasse crederem hoc voluisse poetam, si modo sequerentur pulchra ad Neaeram verba et hortamenta dei, et congrueret altera pars priori. Nunc autem etiam hoc non videas; habet altera pars ieiunam consolationem Lygdami, cuius curas levare studet deus, ad Neaeram autem, quae commovenda crat, paucissima verba nulla vi. Est igitur plane certum non cogitasse clare Lygdamum, quid vellet hac sua compositione carminis, et posita est descriptio habitus divini nullo certo consilio, sed cum delectaretur poeta talibus descriptionibus, nec praetermitteret occasionem, ubi quid huiusmodi inferri posse videretur, immo eligeret prae aliis talia argumenta. Non cogitasse autem Lygdamum hic quid deberet scribere, denique etiam exordium probat, ubi fidem somniorum elevat et plane negat, atque ita vim narrationis sequentis evertit, qua commovere Neaeram volebat. Immo ipse Apollo repugnat, qui data opera veritatem dictorum suorum affirmat. Quod notavit etiam Vossius. Atque haec hactenus. Instituimus has longiores disputationes non tam propter Lygdamum quam propter Tibullum, quem non esse posse horum carminum auctorem ab omni parte docemus.

EXPLICATIO.

V. 1-16. **Exordium. Detestatur poeta somnium, quo hesterna nocte turbatus erat, et quamvis omnino negans fidem somniis habendam, malum tamen, quod perterruit animum, precatur deos ut avertant.**

V. 1 sq. **Dii meliora ferant.** Est formula eorum, qui abominantur aliquid et deprecantur, ut constat, et hic Statius, Vulpius, Heynius notant et ad Ovid. Met. VII, 37. copiose Heinsius docuit. Similiter dicitur *di melius*, Ovid. Art. Am. II, 388. Heroid. III, 128., aliisque in locis ap. Heinsium. — in-

somnia. Annotatum est, vocem imprimis de irrequietis somniis dictam videri, veluti PLINIUS XX, s. 72. *insomnia levari* dicat aniso in pulvino suspenso, ut dormientes olfaciant. — Mox vulgo *extrema* nocte. Nam somnia versus finem noctis vulgo vera esse veteres statuebant, cum dies instaret. Sic BROUCKHUSIUS Horat. Sat. I, 10, 33. laudat: *vetuit me tali voce Quirinus Post mediam noctem visus, cum somnia vera*, ubi cf. HEINDORFIUM. Vide etiam OVID. Heroid. XIX, 195: *Namque sub Auroram, iam dormitante lucerna, Somnia quo cerni tempore vera solent.* Adde DRAKENB. ad Sil. Ital. III, 200. Romanis haec quarta pars noctis fuit, Graecis tertia, cf. MOSCHI Europ. v. 2-5: *Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς — Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.* Sed non opus his omnibus; vera lectio meliorum hesterna est, h. e. nox modo praeterlapsa, veluti OVID. Heroid. XIX, 72. Quod bonum et sufficit; tempus noctis ut indicaret, necesse non erat. — V. 3. 4. locus ut in textu legitur corruptus, de quo sanando discrepant iudicia interpretum. Cum in maiore parte librorum vani legatur, defendit hoc nuper HUSCHKIUS sic, ut cum PASSERATIO vanidicos interpretes somniorum intelligendos contenderet. Frustra. Bene monuerat HEYNIUS: „Hos absolute *vanos* appellari qua ratione et exemplo dicas?" Nec probavit HUSCHKIUS. Praeterea aliena ab hoc loco est talium hominum mentio; insomnia deprecatur, interpretes somniorum cur immisceret, causa nulla erat, immo frangitur vis loci, ubi pro somniis interpretes somniorum abesse iubentur. Accedit quod nunc sensu carent sequentia: falsumque avertite visum, pro quibus quod HUSCHKIUS substituere velit cum WAARDENBURGIO: *falsum ne advertite visum*, quis non primo adspectu videt maxime ieiunum et ineptum esse? Haec igitur omnia nihili. Magis etiam perversa CYLLENII et STATII explicatio, qui simulatores mendaces somniorum interpretantur *vanos*, de quo iam VOSSIUS dixit. Quae cum ita sint, ferri nullo modo *vani* potest. Iam VOSSIUS *somni* coniecit; sed nec intelligitur quomodo hoc in *vani* abierit, nec sensus id requirit. Nam post verba: nec sint insomnia vera, Quae tulit hesterna pessima nocte quies, ubi sequitur: Ite procul, quis quaeso serio affirmaverit se nescire quam rem alloquatur poeta? Quodsi obscuritas non magna, no-

lim ab Heynio duram et contortam dictam hanc constructionem. Vivide sic transit a tertia persona ad secundam, quod imprimis saepe Propertius fecit, cf. Lachmannum ad Propert. III, 7. p. 252. et III, 13. p. 285. Ne multa; supple *insomnia* ad *Ite procul*, et praeterea revoca *vanum*, et ipsum in bonis codicibus lectum. Credibile enim habeo *vanum falsumque* a Lygdamo dictum cumulate, etsi Tibullo non tribuam. Denique etiam illud dubium non est, quin somnia visum avertere recte dicantur, nec apparet cur Heynius et Huschkius negent. Quamvis enim similis significationis sint *somnium* et *visus*, tamen etiam subiici potest alterum alteri. Ac Wunderlichius comparavit Horat. Sat. I, 5, 84: *tum immundo somnia visu Nocturnam vestem maculant*, Liv. III, 5: *portentaque alia aut obversata oculis aut vanas exterritis ostentavere species*, Virgil. Aen. XI, 271: *Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur*, et XII, 245: *Dat signum caelo, quo non praesentius ullum Turbavit mentis Italas monstroque fefellit*. Nos adducamus ante omnia Horat. Od. III, 39 sqq.: *an vitiis carentem ludit imago Vana, quae porta fugiens eburna Somnium ducit*. Hic imago ducit somnium, et tu negas somnium adducere posse imaginem seu visum? Quodsi adducere potest, potest etiam avertere. Quae cum ita sint, sensus nostri loci est: Ite procul cum vano falsoque visu, falsa imagine vestra. De asyndeto: *ite, avertite* conf. Tib. I, 1, 76. Atque haec hactenus. In pentametro denique simplicissimum quod Gyetus et Thierschius coniecerunt: *in nobis*, hoc sensu: Nolite sperare me fidem vobis habiturum. Vossius qui in hexametro *somni* reposuit pr. *vani*, in pentametro cum Mureto scripsit: *Desinite in vanis quaerere velle fidem* scil. vobis, Huschkius cum Italis legit *in somnis*, cum *vani* probasset in hexametro. Non opus est ut verbum de his addam. Bachius recepit: *desinite et vobis*, collat. Ovid. Art. Am. I, 612. Proponit etiam: *a nobis*. Quae elegantes sunt emendationes nec tamen verisimiles. Ac copula non tam necessaria videbitur, si memineris hexametrum pro una sententia esse. — V. 5 sqq. Sensus: Divi vera monent verbis per vates et oracula, signis vera monent nos exta; nam, ut constat, magna tum erat haruspicinae auctoritas. — Verba: venturae nuntia sortis Vossius incommode cum antecedenti *vera* construit ut

Cyllenius aliique, sunt vero cum *exta* iungenda. Ac ne quaeras cur in altero membro posuerit poeta quod tamen per se etiam priori conveniret sententiae, vidimus de hoc usu supra II, 3, 68. Praeterea Vossius postulans ut verba repetita: *vera monent* in principio sint secundi membri, fallitur etiam in hoc. Logica ratio proprie haec est: Divi vera monent, exta vera monent; nunc poeta pro extorum nomine praedicatum extorum in principio membri posuit, quod revera idem et innumeris locis factum eodem modo. — Tuscis probata h. e. examinata viris, quorum fuisse hanc disciplinam abunde constat, vide Müllerum in libro de Etruscis Tom. II. p. 180 sqq. Ceterum mirum videri potest quod sola haruspicina nominatur, cum etiam alia genera essent, nominatim sortes et aves. Sed his non credit Lygdamus neque agnoscit ea. Dissentit igitur a Tibullo, cuius sententiam discas I, 8, 3. 4. et II, 5, 11 sqq., estque hic locus notabilis propter hunc dissensum. — Mox Somnia ludunt, vox usitata de somniis, ut Horat. III, 27, 40. loco ante laudato, aliisque apud Broukhusium locis. — temeraria, quae temere accidunt, in quibus nihil consilii et providentiae. — fallaci nocte, quae tenebris suis adiuvat lusus vanarum imaginum, ut dies et sol veritati favent. — V. 9 sq. Et natum in curas etc. Statues fortasse obiurgationem inesse, explicans sic: Et nihilominus placant! Quae ratio a Lachmanno adoptata videtur, qui interrogationis signum subiecerit, sed meo iudicio nequit ferri propter adiecta: natum in curas, h. e. sollicitudinibus obnoxium genus hominum et anxium, ad metus factum et proclive propter innumeros casus, quibus vita humana exposita. Quid enim significabit haec sententia: Et nihilominus anxii homines placant somnia? Immo quia anxii sunt, eam ipsam ob causam placant etiam quae per se vana. Praefero igitur hunc sensum: Somnia vero ludunt homines terrentque falso timore, et homines solliciti natura anxiique placant ea, licet revera inania sint nec requiratur placatio. Etiam sic defenditur Et quod in libris, nec necessarium videbitur *At*, a Mureto coniectatum et in codicibus aliquot repertum. Atque haec hactenus. — Constructionem: genus hominum — placant, notabis non reperiri apud Tibullum. — Porro omina noctis, ut Propertius IV, 4, 23. dicit laudatus a Broukhusio

et Heynio: *Saepe illa immeritae causata est omina lunae*, h. e. somnia a luna missa, ubi vide Passeratium. Conferunt etiam Plaut. Mercat. II, 1, 2: *miris modis di ludos faciunt hominibus, Mirisque exemplis omina in somnis danunt.* — Mox Farre pio placant et saliente sale, h. e. mola, ut dixit Tibull. I, 5, 14., ubi vide. Est autem *far pium* quod religioso animo offertur et *sal saliens* est micans in igne, quae res boni ominis. Laudant Horat. III, 23, fin.: *Immunis aram si tetigit manus Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos Penates Farre pio et saliente mica*, et Virgil. Aen. V, 745. Haec hactenus. Contemnit igitur somnia Lygdamus, quod non facit Tibullus, cf. I, 5, 13. — V. 11 sqq. Et tamen. Legendum nunc videtur *At tamen* vel *Sed tamen*, oppositionis ratione flagitante; *et* bis ante lectum etiam malus poeta senserit nunc alienum esse. Mox utcunque est nollem placuisset poetae; nam prosae orationi convenientior haec formula et hoc genus transitus quam poeticae. Omnino tota sententia distichi non poetica est, ac ne recte quidem conformata. Nam logica ratio huius et sequentis distichi haec est, ut non quid credant homines quaerere debeas, sed quid sit. Dicere igitur debebat: sive vera sunt somnia sive falsa, non autem, ut videbis, de hominum loqui iudicio hoc illove. — sive illi vera moneri. Elegans est lectio: *vera moneri*, ut Vossius quoque vidit. *Illi* autem ferri nequit, quod ad *homines* relatum superfluum est. Scribe *illis*, h. e. verbis divinis et extis. Qui probant *illi vera monenti*, intelligunt seu deum seu haruspicem, Huschkius vates veridicos. At male post plurales v. 5. 6. lectos hunc singularem inferri, miramur non primo adspectu animadversum ab omnibus. — Porro Mendaci somno h. e. somnio, veluti Ovid. Remed. Am. 555. Plura Vossius affert ad v. 3. Ceterum vides poetam non mutare sententiam suam. Quodsi igitur sunt manentque vana somnia, cur tamen describit nobis suum? Monui de hac repugnantia in Introductione. — Lucina vulgo Iuno dicitur ut constat, nunc Hecate, seu Diana triformis, Catull. XXXIV, 14. Horat. III, 22., quae tanquam Hecate somnia mittit et averruncat. Nam haec videtur ei misisse triste somnium, in quam rem confer Propert. IV, 4, 23. loco supra laudato, et Tibull. I, 5, 16. — noctis timores, visus qui timorem iniece-

runt, veluti notante Wunderlichio *pavores*, *metus* dicuntur pro rebus pavorem, metum facientibus. Comparat Heynius *δεῖμα νύκτερον* in Soph. Electr. 410. et *δείματα νυχίων ὀνείρων* ap. Apollon. Rhod. IV, 685. Videbis hanc vocem etiam in locis apud Lobeckium in Aglaophamo p. 302. — pertimuisse. Dicitur vox absolute etiam Tacit. Annal. I, 29: *ubi pertimuerint, impune contemni.* — nec turpi obnoxia facto, h. e. si non obligavit se turpis facti, non meruit eius poenam. Ceterum *turpe factum*, ut adulterium, porro furum, latronum raptus, aliaque crimina sunt, quae recensentur III, 5, 7 sqq. Denique de impia lingua cf. I, 3, 52. — Explicatis singulis alia nonnulla de ratione exordii addo. Primum vides poetam in fine aliis verbis redire ad initium; precatur enim denuo ne eveniant, quae somnium nuntiavit. Revolvitur igitur exordium in orbem. Similia maxime apud Graecos reperias multa, atque e prosaicis confer Prooemium in Demosthenis oratione pro Corona, poetica exempla autem Pindarus offert, vide nos ad Pyth. XI. pag. 341. ad Nem. VIII, p. 478. ad Fragmenta p. 609. Illud vero male factum, quod figura mutatae sententiae uti nesciit ut debebat. Nam post prima vota, ne vera essent insomnia, poterat crescente affectu negare adeo omnem veritatem somniorum, debebat vero mox inde se revocare in viam. Nunc autem totum exordium tranquillius est quam vividius, et videmus incredulum hominem, sibi placentem in iis contemnendis, quae religio vulgaris credebat. Non est haec Tibulli ratio.

V. 17-80. Narrat somnium ipsum, in quo cum Apollo apparuerit, primum formam et habitum dei visi describit (a v. 17-42), deinde verba eius refert.

V. 17 sq. quadrigis. Vulgo bigas Nocti dari vidimus ad II, 1, 87. Observat tamen Heynius similiter Aurorae a Virgilio bigas Aen. VII, 26. et quadrigas VI, 535. datas. — aetherium Mundum, h. e. caelum. Similiter Auct. Culic. 101. et Senec. Hippol. 332. laudante Brouckhusio, et *mundus caeli* Ennius ap. Macrob. Sat. VI, 2. ut Wunderlichius refert. Porro *mundum* etiam absolute et nullo alio verbo adiecto passim pro caelo dictum notant Vulpius h. l. et Heinsius ad Ovid. Met. II, 157. et quos praeterea Heynius laudat, et ad Propert. III, 5, 26. Kuinoel.

Denique hic notandum est quod LACHMANNUS observat, Tibullum nusquam *mundum* pro caelo posuisse. — amne, Oceano, ut II, 5, 60. Epitheton caeruleus, etsi usitatum maris praedicatum, non tamen otiosum hic est; cum enim ex aethere in aquas descendisse dicat Noctem, addit id oppositionis distinctioris, fortioris causa, qualia saepe apud Tibullum laudavimus, cum vigorem habeant. Sic OVID. Met. I, 275. caelo Iovis pluviisque caeli opponitur *caeruleus* frater Neptunus. Non tenebat hoc VOSSIUS, qui a Noctis curru descendente nescio quomodo derivat hunc caeruleum colorem. Idem non recte reprehendit quod poeta rotas Noctis lavari statuat, quae quid pulveris contraxerint in caelesti via non appareat. Est vero hic *lavari* simpliciter de madefactis rotis, ac dixit eodem modo VIRGIL. Georg. III, 357: *Tum sol pallentis haud unquam discutit umbras, Nec cum invectus equis altum petit aethera, nec cum Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.* — V. 19 sqq. menti deus utilis aegrae, circumscriptio vere elegiaca. Mox Somnus bene est iunctum a VOSSIO cum sequentibus, quam interpunctionem primum a GUILELMO CANTERO Novv. Lectt. I, 18. monstratam HUSCHKIUS notat. Cum enim ex vulgari ratione hoc comma vi iusta careat, utpote destitutum etiam pronomine *ille*, quod necessarium absente substantivo, cf. ad I, 2, 58., nunc nervosa sunt omnia. — deficit. Ubi sollicitudo domum obsidet, intrare non valet somnus, defetiscitur nec superat limen. — summo prospexit ab ortu, cum iam altius super horizontem adscendisset, ut recte monet VOSSIUS. Nam primus ortus est proxima horizonti pars caeli, summus autem altior regio, ac nollem WUNDERLICHIUS Virgil. Aen. VII, 25. contulisset, ubi aether altus opponitur mari. Denique prospicere est proprie ex alto videre, ut supra II, 5, 58., OVID. Heroid. II, 124. ibiq. RUHNKEN. Dictata, qui etiam MARKLAND. ad Stat. Silv. II, 2, 45. laudat. — V. 23 sq. Hic, tunc, veluti VIRG. Aen. II, 199. Neque tamen Tibullus dixit. Mox casta lauro, quae proprie ob Daphnen castissimam virginem est dicta in laurum mutatam, nunc vides τὸ ἁγνόν Apollinis (cf. MÜLLER. Hist. Dor. I, p. 302.) designari, cuius etiam species casta est ut animus. — nostra ponere sede pedem. Carm. ad MESSALAM v. 13: *Molorcheis posuit vestigia tectis*, h. e. intravit. PROPERT. II, 9, 45: *nec*

domina ulla meo ponet vestigia lecto, inferet pedem. Ibid. I, 18, 11: *non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes.* — V. 25. 26. Accedimus ad corruptum locum, qui certis coniecturis sanari vix poterit. Ac Huschkius quidem cum Heynio etiam spurium eum censuit, quod non concedam. Descriptio huiusmodi longior, tota specialibus rebus contexta, si habet generalius quoddam dictum, singula quod complectatur, laudari hoc debet. Ac senserunt plerique omnes opinor aptum esse distichon. Sed quomodo emendabimus? Lachmannus acute coniicit: *heroum nec tulit ulla domus,* reliquis intactis. Ego tamen vereor ne post hexametri verba: non vidisse aut tulisse formosius quidquam ullam priorem aetatem, debilior sit ista sententia et minus, quam exspectes, antecedentibus addat. Quodsi hariolari licet, potius Heynii coniecturas praeferam in hexametro: *Non vidit quidquam* etc., in pentametro vero: *humanum nec fuit illud opus;* sic ultimis verbis deum fuisse significat, quod nondum dixit. Ac potuisse opus ita dici non dubitatur; docuit Vulpius, et ipse *fuit* probans cum Statio. Sic Iustin. XII, 16: *Qua nocte eum* (Alexandrum) *mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari, nec decepta somnio est; nam profecto maius humana mortalitate opus utero tulit.* Sic *θεῶν δαίδαλμα* de femina pulchra Theocritus I, 32. habet. — V. 27 sq. longa cervice. Ad pulchritudinem haec pertinet, contra crassa, brevis, obstipa dedecorat formam, ait Vulpius. — myrtea coma. Vossius flavam, auream putat intelligi posse. Sed observat Wunderlichius Isidoro XII, 1. myrteum colorem dici, qui pressus in purpura, h. e. subniger. Adde Longi Pastor. I, p. 22. ed. Schaef.: *καὶ ἡ μὲν εἴκασεν αὐτοῦ τὴν κόμην, ὅτι μέλαινα, μύρτοις.* Cum tamen vulgo flava et aurea apud poetas sit coma Apollinis, coniectatum est *myrrhea* a Cyllenio, Mureto, Heynio, collato Horatio III, 14, 22. Sed defendit libros Huschkius allata disputatione Sophoclis cum grammatista Eretrio ap. Athen. XIII, p. 604: *οὐδ' ὁ ποιητής, ἔφη (ἀρέσκει σοι) λέγων χρυσοκόμαν Ἀπόλλωνα; χρυσέας γὰρ εἰ ἐποίησεν ὁ ζωγράφος τὰς τοῦ θεοῦ κόμας καὶ μὴ μελαίνας, χεῖρον ἂν ἦν τὸ ζωγράφημα.* Unde liquet a pictoribus nigricantem Apollini datam comam. Quae res sic placuit huic poetae, ut eam etiam in poesin inferret contra vulgarem usum. —

Stillabat, ut Tibull. I, 7, 51. II, 2, 7. Adde Callimach. in Apoll. v. 38. ibiq. Spanhem. et Heins. ad Ovid. Heroid. XV, 72. — Syrio rore, e Syria advecto, ut fuit malobathrum, nardus, alia. Sic *rore Sabaeo* Valer. Flacc. VI, 709. et *Arabo rore* Ovid. Heroid. XV, 76. ubi vid. Heins. Notavit etiam Heynius. Sed miratur Vossius et mirum debet videri, quod non ambrosia madeant Apollinis crines. Nempe constat olim ξόανα deorum etiam uncta, ut Romae Capitolini dii cum alios ad ornandum ministros tum unctores habebant, cf. Augustin. de Civit. Dei VI, 10. Sic fieri potuit ut etiam vivos deos, sicubi ad homines venirent, humanis unguentorum generibus uti crederent, atque hoc nunc amplectitur Lygdamus, amans nova, insolita. Apud Tibullum II, 2, 7. Genius nardo tempora stillans venire iubetur, cuius imago in atrio haud dubie ungebatur festo die, sed dubito hunc ad maiores deos rem translaturum fuisse. Denique quaerunt quomodo noverit dormiens Lygdamus, Syrium esse unguentum, quod stillaret capite. Nempe visus est sibi odorari aut odorari potuit cum discedente deo expergisceretur. Verius tamen dicemus, finxisse eum hoc ut alia multa incogitantem. — V. 29 sq. praefert, ostendit. Ceterum comparatio usitatissima, ut Theocrit. II, 79. — V. 31 sqq. Tribus comparationibus utitur ornate ad illustrandam candoris et ruboris coniunctionem, veluti etiam Virg. Georg. IV, 261 sqq. tres sunt comparationes, et Hom. Il. XIV, 394. et alias. Abest vero res a Tibulli simplicitate. — virgo deducta marito. Nomina *maritus* et *coniunx* etiam ante deductionem usurpari notat Wunderlichius e Catull. LXI, 32. 55. 157. — Inficitur ore rubente, h. e. inficitur sic ut erubescat, seu potius inficitur dum erubescit os. Nam *rubente* est erubescente, quam significationem Forcellinius exemplis probat. Monuit Wunderlichius et Bachius. Sed Vossius *tota rubore* de coniectura intulit, in quo mireris ieiunam vocem *tota* placuisse homini, qui ipse poeta esset. — cum contexunt amarantis Lilia, cum coronas nectunt amarantis et liliis. *Amarantus* est nobis *Sammetblume*, ut notat Vossius. De eo Plin. XXI, 8 (23): „Est spica purpurea verius quam flos aliquis et ipse sine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi et laetius renasci. Provenit Augusto mense, durat in auctumnum. Alexandrino palma, qui decerptus

asservatur, mireque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit et hibernas coronas facit." — Denique Lygdamus addit: et candida mala rubent. Sic Longus Pastor. I, p. 22. ed. Schaef.: ὁ δὲ (εἴκασεν) μήλῳ τὸ πρόσωπον αὐτῆς, ὅτι λευκὸν καὶ ἐνερευθὲς ἦν. — Repetitionem vero eiusdem vocabuli *rubente* — *rubent* quod attinet, huius generis alia vidimus ad I, 1, 6. — V. 35 sq. palla, longa, talaris, citharoedica, de qua vidimus ad II, 5, 7. Ut vero hic poeta eleganter dixit talis illudere, alii *ferire pedes* ut Valer. Flacc. I, 385. ubi conf. interprett., atque Ovid. Met. XI, 166. loco simili: *verrit humum* (Apollo) *Tyrio saturata murice palla.* Ceterum agunt de palla Brouckhusius et Vulpius. — Namque haec etc. namque hac magnifica veste ornatus erat deus, ipsa stola Pythia venit vestitus. Ita defendit Huschkius poetam contra Vulpium et Heynium, qui ieiunum dixere pentametrum, ac lucramur aliquid saltem hoc modo. — V. 37 sq. fulgens testudine et auro. Constat variis modis lyras exornatas, auro, gemmis, ebore, testudine; hinc aurata lyra, eburnea, ἐλεφαντίνη, instructa gemmis (Ovid. Met. XI, 167.); atque Appulei. Florid. I, p. 342. de Apolline: *quid quod et lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegatur.* Nec minus testudinis marinae corticibus in laminas tenues dissectis ad ornandam lyram utebantur, ut ad alia opera. Monuerunt de his rebus Brouckhusius et Vulpius. Ceterum antiquissimi poetae simpliciores erant, apud quos aurea est lyra dei, nihil amplius. — Pendebat laeva parte, laevo humero suspensa, ut moris. — V. 39 sqq. primum veniens, h. e. simulatque advenerat. Vide quae Vossius laudat ad Virg. Georg. III, 398, p. 632. — modulatus. Vulgo dicunt carmen, sonos, versus modulari, modulari carmen lyra, fidibus. Deinde verbum passim ad instrumentum est translatum, ut bene illustrat Vossius, comparans Claudian. XXXIV, 15: *modulatus pectine nervos,* et Senec. Med. 626: *cuius ad chordas modulante* (eas) *plectro restitit torrens.* Addit Wunderlichius Horat. 1, 32, 4. Est igitur *modulari* nunc ita moderari lyram, ut sonos certis modis inflexos et temperatos reddat. Optime vero observat Eichstadius in Commentatione *quarta de Lygdami carminibus* nuper mens. Febr. ann. cIↃIↃcccxxxv. edita, quam nondum videram cum *Vita*

Tibulli typis traderetur, ubi pag. XXVII. tantummodo tres memorantur — in hac igitur Commentatione monet Vir elegantis iudicii hanc inversionem verborum lyricis et lyricae audaciae imitatoribus relinquendam fuisse, abhorrere vero a talis carminis simplicitate. Quare in hoc peccavit Lygdamus. — Felices cantus, hilare carmen, quod animum confirmaret et bona spe impleret, praeludens sic verbis mox dicendis, quorum initium triste, finis spem ostendit. Ita suspicor. Quis commenta infelicia talis poetae ubique certo assequatur? Heynius: „*Felices cantus* possunt esse propitii, favorem numinis ostendentes, aut quod cum Vulpio malo, faciles et feliciter provenientes. Possunt etiam esse excellentes, praestantes, divini.“ Quae mihi aliena videntur omnia, cum nullam vim habeant in sententia. — ore sonante, ut excitaret attentionem dormientis, opinor, unde etiam plectro nunc pulsat lyram. Nam de praeludendi more Mitscherlichius ad Horat. IV, 15, 2. bene comparat Ovid. Art. Am. II, 493 sqq., ubi similiter deus monitis edendis praeludit lyra, audientiam sibi facturus, ut hoc loco voce et lyra. — digiti locuti. Etsi in praeludiis etiam utrumque adhibitum videmus, ψιλὰς χεῖρας et πλῆκτρον, alterum post alterum, veluti Achill. Tat. I, 5., hic tamen intelligit digitos, quibus plectrum moverat. Phrasin ipsam quis defendat? Adscribam Eichstadii verba: „Mira loquendi ratio, quamvix defendas Virgilii loco Aen. X, 67. [opinor III, 176]: *tendoque supinas Ad caelum cum voce manus.* In hoc enim loco verbum *tendere* aptum est primario quod apponitur substantivo, facilioremque alterius, *vocis*, iuncturam admittit: nostro in loco quod *voci* proprium est verbum, *digitis* tribuitur. Sed totus versus etiamsi cum Vossio: *Sed postquam digiti fuerant* — reponatur, valde languet.“ — dulci modo h. e. sono; ut leniat, opinor, tristitiam, acerbitatem rei dulcedine vocis. Non opus est ut moneam, quam inepte haec omnia sint, et quam ridiculum se praebeat poeta mollis et deus cum cura sua. — V. 43 sqq. Salve, cura deum! Vide magnificam compellationem dei. Mox mire dictum rite castus observat Eichstadius. Neque enim *rite* favent iungas. Ceterum credat aliquis de notissima innocentia et integritate poetarum agi, quae diis curae cordique, cf. Mitscherlichium in Arg. ad Horat. I, 27. Probabile tamen habeo Lygdamum proprie intelligi voluisse

castitatem, oppositam levitati Neaerae, quae non fidelis fuerat amanti. Fortasse pertinet eodem lauro supra, qua redimitus venit Apollo, datum epitheton *casta;* castus deus amat castum poetam, non laudat infidam Neaeram. Ut denique de totius distichi consilio moneam, propter Neaeram ita scripsit, ut sciat in quo honore sit auctor apud deos. — V. 45 sqq. Haec demonstratio non ieiuna est tantum sed etiam inepta, ut notatum ante nos. Quid enim vult? Suam vaticinandi virtutem et auctoritatem in clara luce ponere. Cur? Dicturus levissimam rem, quam quivis homo docere poterat, perfidam esse Neaeram, posse vero precibus et servitio fortasse reconciliari. — d o c t a e s o r o r e s, Musae, ut Ovid. Met. V, 255. h. e. *σοφαί.* Atque etiam simpliciter *sorores* pr. Musis dici Propert. II, 30, 27. Huschkius notat. — D i c e r e n o n n o r u n t, languida phrasis. — s e q u e n s. Annotat Bachius: „Versus in particip. *ns* exeuntes reprehendit Servius ad Virg. Aen. III, 300. Ovidius tamen interdum admisit docente Burmann. ad Lotich. T. I. p. 239.“ Tibullus hunc exitum non habet, ut vidit etiam Eichstadius. — p o s s e v i d e r e d e d i t, ut Tibull. I, 8, 56: *dedit fallere posse.* De re autem conf. Müller. Histor. Dor. T. I. p. 309. Notavit etiam Brouckhusius. — Mox q u a e d i c o, Q u o d q u e f e r a m. Huschkius explicat: et hoc, quod cum maxime dico, et ea, quae deinceps dicam. „Magnifica scilicet sententia! Nihil vidi languidius,“ ait Eichstadius verissime. Immo bis repetit idem, quemadmodum etiam Vossius cepit. Cur? Ut fortius affirmet vere se loqui. „At enim tautologia haec magna.“ Nempe hanc nullis machinis summoveas. Bachium, qui scripsit: *qui dicor*, et *quodque* p. quodcunque explicuit, refutavit Eichstadius. Nam unum nunc ferebat deus, non quodcunque, nec laudabilis haec repetitio: n o n f a l l a x v a t e s — d e u s C y n t h i u s v e r o o r e. Post haec vides quid res sit: Scit deus aegre crediturum Lygdamum iniucundam rem, eaque de causa docet cur sibi credi debeat; tractat vero rem prolixe, ieiune, inepte. — V. 51 sqq. De forma periodi et longioris et minus nervose formatae, quam quales Tibullus format, monui verbo in Dissertatione de Elocutione Tibulli. Ad primum distichon Heynius notat: „Mirum poetam amorem suum Neaerae, speratae coniugis, comparare cum amore matris in filiam et mariti in uxorem suam.“

Sed cupidum virum cum Eichstadio amatorem interpretor. Nempe tangere voluit opinor matrem et rivalem sic: Quam magis amas matre et amatore novo. Cum autem tectius dicendum hoc putaret, mutavit in generalem sententiam; sed ita in aliud vitium incidit. Nam generaliter expressae displicent hae comparationes, altera ut dissimilior, altera ut similior. Ceterum observa constructionem: quantum nec — Quantum nec pr. quantum nec — nec, aut quantum non — quantum non. Similis forma est IV, 1, 62: *apta vel herbis aptaque vel cantu veteres mutare figuras.* — Somnus velavit amictu. Homer. Il. XIV, 359. dicit notante Huschkio *Ὕπνος* de Iove a se consopito: *ἐπεὶ αὐτῷ ἐγὼ μαλακὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυψα.* Add. Odyss. XVIII, 201. Seriores longius progressi Somno peplum dedere, quo velaret dormientes; quale habet in imaginibus apud Spanhem. ad Callimach. in Del. 234. notante Vossio. Apud Homerum vero de hoc noli cogitare. Aliis autem in locis, quae vulgarior est fictio, Somnus alatus alis suis soporis obumbrat atque amplectitur eos, quos opprimit, vid. supra ad II, 1, 89. — Vanum fallit imaginibus, cuius cogitatio noctu animum tuum deceptum imaginibus futurae felicitatis ludit. *Vanus* dicitur etiam qui in re quapiam frustratus est, ut Tacit. Hist. II, 2, 22. et cum genitivo Virg. Aen. X, 631. Sil. Ital. XII, 261. Dixit vero vanum fallit cumulate, quod bene defendit Huschkius, afferens Claudian. XXXIII, 98: *aut vanas tonitru deludimus aures*, et Ovid. Epist. ex Ponto II, 9, 29: *vana laborantis si fallit vota coloni.* Nihilominus cum Eichstadio observa quoties verbum *vanus* in hoc carmine repetitum sit. Nescit satis variare orationem hic poeta. Haec de verbis; aliud vero acute de toto disticho notat Eichstadius: „In sententia horum versuum inest ni fallor aliquid offendiculi ex eo, quod somnians poeta ipse de somnio cogitat. Vix enim satis apte, in secundario quidem loco, revocatur animus lectoris ad rem, in qua primarium carminis argumentum et tota inventio cernitur.“ Alius denique reprehendat, quod hic de diebus uno versu dicatur pentametro, de noctibus autem toto disticho; sed talia etiam apud Tibullum invenias, cf. I, 1, 69 sqq. — Carminibus celebrata tuis, sunt quae ante hunc librum scripta. — Diversasque suas agitat. Constat *diversum agi*, *duci* dici pr. in diversam

partem. Pronomen *suas* autem defendebat Eichstadius ex oppositione, quia ante de poetae curis dictum sit, quemadmodum Vossius. Pro exemplis positi cum aliqua vi pronominis Eichstadius afferebat Plaut. Mercat. IV, 5, 14. Trinum. II, 2, 34. Virgil. Aen. VI, 233. Cicer. pr. Sext. 65. ad Attic. VI, 2. relegans etiam ad ea, quae in Sanctii Minerva II, 12. congesta sunt. Nunc hoc addit tamen non eleganter hic ita dictum esse. Atque hoc ipsi etiam censemus, sed poetae ea culpa est, non librarii. Quare non recipimus coniecturam Lipsii *tuis*, probatam Brouckhusio, Vulpio, Heynio, Huschkio. — Nec gaudet nupta, ut Virgil. Georg. II, 510: *gaudent perfusi.* Porro nupta casta domo est pr. in casta domo, ut Propertius dicit II, 3, 54: *Mox Amythaonia nupta futura domo.* — casta domùs videtur esse, ubi fides amoris regnat, secundum ea quae ad v. 43. monuimus. Vossius intelligit verba de simplicitate et honesta paupertate, veluti dicit Lucan. IX, 201: *casta domus luxuque carens corruptaque nunquam Fortuna domini.* Et Sil. It. I, 609: *castaque beatos Paupertate patres.* Atque hoc probat Eichstadius. Sed ut nobis videtur, una eademque sententia inest in hoc et antecedenti disticho, dicitque deus aliis verbis hoc unum, infidam esse Neaeram. Saepe hic poeta bis et pluries repetere solet idem, quemadmodum etiam alii senserunt. Vide v. c. infra 6, 33-36. — V. 61 sq. crudele genus scil. femina, nec fidum nomen, qua locutione commune aliquid et cuidam generi proprium notant significari, vid. quos laudat Hand. ad Stat. T. I. p. 44. — Ah pereat etc. Nec os Apollinis decet haec exclamatio vaticinantis, monente Eichstadio, nec apta huic loco exsecratio puellae. — V. 64 sqq. cum multa brachia tende prece. Brouckhusius de victis cogitat, simul ad precandum, simul ut se victos fateantur, brachia tendentibus, quod recte repudians Huschkius tamen non minus male ab eorum consuetudine rem repetit, qui deos precantes in caelum brachia tendunt. Phrasis nunc nihil aliud significat quam suppliciter orare, veluti ap. Virgil. Aen. III, 592. est: *supplexque manus ad littora tendit*, et ap. Cicer. pr. Fontei. c. 17: *tendit ad vos Vestalis manus supplices.* Ipse vero iudicabis sitne hoc dignum coniuge futuro. Preces amantium saepe memorantur, at brachia tendi suppliciter cum prece,

ut nubat puella, non vidi alias. — Saevus Amor est immitis, asper. Sensus: Saepe qui adversum amorem habebant vel servilia opera non recusarunt, si vincere possent animum puellae, velut Tibullus II, 3, fin. dicit: *Ducite, ad imperium dominae sulcabimus agros, non ego me vinclis verberibusque nego.* Praestat enim ceteris lectio vetusti codicis Cuiaciani: validos tentare labores. Ac *tentare labores*, quod est experiri, tolerare, etiam a Virgilio Aen. V, 499. positum notavit Huschkius. *Validos* autem *labores* dixit, qui validas vires exigunt, idque praeter morem; nam locutio: *validum pondus* Virg. Georg. III. 172. non est plane similis. — verbera saeva ut I, 6, 37. Tamen etiam Lygdamus vix admittere potuit iniucundam repetitionem. Videtur potius scripsisse *posse*, quod ceteri praeter Cuiacianum offerunt. Denique ad sententiam distichi conf. pulchrum locum Propert. I, 1, 9 sqq. ubi longe suavius res dicta. — V. 67 sqq. niveas iuvencas. Huschkium *iuvencos* ideo praeferentem, quia femininum de grege usurpatum Graecorum potius sit quam Latinorum, refutabunt *incustoditae boves* Ovid. Met. II, 684. Tibullus *tauros* dixit II, 3, 11. — in vanum iocum, quia isto tempore haec ridebantur a plerisque, ut Tibullus II, 3, 31. significat. Deo tamen dignius erat hoc silentio praeterire. — cithara sonora. Monuit Vossius adiectivum *sonorus* nonnisi de graviore et vehementiore, etiam de rauco et ingenti sono dici, qualis esse solet fluminum (Virg. Aen. XII, 139.), ventorum ac tempestatum (Virg. Aen. I, 57.), tonitruum (Claudian. laud. Stilich. II, 26.), curruum (Claudian. in Eutrop. II, 105). Assentitur Eichstadius, qui ne Lucretii quidem *melicos sonores* V, 335. de instrumento dulcisono capere velit. Nunc si miraris, cur hoc epitheton citharae additum sit, respondemus quod Eichstadio in mentem venit, propter oppositionem *avenae* factum. — Nec similes chordis reddere voce sonos, nec canere ad citharam docte, quia aliena haec a pastoritia vita, cui fistula magis convenit. — perlucenti. Ineptum epitheton. Huschkius coniecit *permulcenti*. Ipsum servitium Apollinis melius descripsit Tibullus II, 3. — coniugium ferum, foedus amoris cum muliere dura, intractabili. — blandas adhibere querelas. Iubet Heynius elegantiam sermonis observari; nam adhibere preces solemne est, cf.

Burm. ad Ovid. Met. III, 376. Ceterum vides poetam redire ad v. 64. Praecipit maxime preces deus. Quod interponit de servitio suo et de laboribus verberibusque ferendis pro amore, si voluit alterum esse quo commoveri deberet Neaera, male adornavit totum locum, qui v. 65. non faciat transitum tanquam ad secundum praeceptum, in fine autem male p. Ergo ex antecedentibus diversis rebus ad superiora redeat. — Quod si vera canunt etc. h. e. quodsi vera sunt oracula in templis meis cantata, si vera praedico alias hominibus, verum etiam hoc quod dicam habeat Neaera, s. quam vera sunt oracula nostra in templis edita, tam verum etiam hoc quod Neaerae nuntio. Credideramus vero iam supra deum satis superque de auctoritate sua dixisse! Omnino inepta sententia. — Felix hoc, scil. coniugio, ut Ovid. Ep. ex Ponto IV, 11, 22. Iunxerunt ita Salmasius ad Spartian. p. 31., Huschkius, Eichstadius. Solemnis phrasis *felix coniuge*, cf. Gierig. ad Metam. IX, 333. —

V. 81-ad finem. Exitus. Negat poeta se credere posse rem et tantam crudelitatem tribuere puellae, quae non monstris immanibus nata sit, sed mitissimis parentibus, oratque iterum deos, ut in melius vertant haec somnia.

V. 81 sqq. ignavus. Notissimum epitheton somni, Ovid. Met. XI, 593. Bene vero defendit Huschkius librorum plurimorum lectionem corpore; etsi enim somnus alias corpora, alias pectora occupare dicitur, Virgil. Aen. IV, 522. Cul. 205. et ibid. 92., 159. Heroid. XVIII, 27., nunc tamen ignavia ad totum corpus pertinet. Dicit: atque ego solutus languore expergefactus sum. *pectore* probat Eichstadius; poetam non reformidasse saepius repetere idem verbum. — defluxit. Est: abire, excedere, evanescere, proprie et tropice, Propert. I, 20, 2. Sallust. Iugurth. 10, 67. Horat. Epist. II, 1, 158. Et confer e Graecis ἀποῤῥεῖν, ἐκρυῆναι ap. Bährium ad Plutarch. Pyrrh. pag. 239. Nunc quidem *defluere* dicitur somnus sponte cedens, contra *excutitur* qui repentino strepitu abrumpitur. — Nec tibi crediderim scil. esse, quod est e sequenti *inesse* eliciendum. Pro votis Heynius emendat *nostris*, veluti Huschkio monente Propert. I, 5, 9 *nostris* et *votis* permutantur. Mox pectore tuo inesse.

Primum dicebatur *inesse in*, ut apud antiquos poetas et Ciceronem, deinde dativus usurpari coeptus *inesse alicui*, ut Tib. I, 6, 34. Sed hoc loco est memorabilis structura *pectore inesse* pr. in pectore esse, quam cum Huschkio nuper Eichstadius defendit. Atque hic comparat Plauti fragmentum ap. Festum v. *fiber: Sic me subes quotidie quasi fiber salicem.* Ille laudat Cortium ad Sallustii Catil. II, 9: *aliquo negotio intentos*, Burmannum ad Sueton. Caes. 66: *vetustissima nave impositos*, et Ruhnkenium ad Terent. Phorm. I, 4, 2: *Ita nunc imparatum subito tanta me impendent mala.* — V. 85 sqq. Sequitur magna copia comparationum et imaginum, quas nemo non videt ineptissime cumulatas. — Nam te nec vasti etc. Primus est Homerus Il. XVI, 34. hac locutione usus ad crudelem animum designandum. Apud Tibullum vidimus rem I, 2, 42. Adde Catull. LXI, 155. aliosque multos locos apud Brouckhusium, quibus etiam sequentia illustrantur. Est autem vasti, deserti, a cultu humano alieni. — flammam volvens, evomens, Virg. Georg. I, 472. — anguinea redimitus terga caterva, cuius collum et tergum centum serpentibus cinctum. Forma *anguineus* defenditur a Vossio et Huschkio. — Scyllaque. Virgo corpore in caudam marinae belluae exeunte, inguina succincta habens canibus latrantibus, cf. Cicer. Verrin. V, 56. Lucret. V, 893. Ovid. Met. XIII, 732. Virgil. Eclog. VI, 74., quae attulit Brouckhusius. Adde Voss. ad Virg. l. cit. et in Epist. Mythol. I, 33. — tulit, scil. utero, cf. Iustin. XII, 16. locum a nobis supra laudatum ad v. 26. Non est igitur opus ut *tulit* p. protulit, edidit explicemus. — horrendave Syrtis. Etiam hae regiones saepius in talibus memorantur, cf. Catull. LXI, 156. Ovid. Met. VIII, 120. — duris non habitanda, ubi locus non est duris. — V. 93 sqq. Male Bachius cum Vossio *Sed* recepit e quibusdam inferioris generis libris pr. Et. Nec convenit Lygdami orationi haec nervosa repetitio. — longe ante alias omnes mitissima mater. Inepte cumulata haec esse observavit ante nos Eichstadius; nam sufficiebat unum, veluti Virgil. Aen. I, 347: *Pygmalio scelere ante alios immanior omnes*, et infra IV, 13, 16: *Quae sola ante alios est mihi magna deos.* Ceterum *ante alias omnes* intellige matres. Apud Tibull. II, 4, 24: *Sed Venus ante alios est vio-*

landa mihi, est ante alios deos. — Isque pater, quo non alter amabilior, languida phrasis. — in melius vertat. Moschus collatus ab Heynio: *ἀλλά μοι εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρίνειαν ὄνειρον.* Notum etiam Graecum *ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν* Aristophan. Nub. 590. —

ELEGIA V.

INTRODUCTIO.

Poeta graviter aegrotans ex febri scribit hanc elegiam ad amicos, qui in thermas Etruriae abierant. Queritur se in mortis periculo versari, et precatur primum Proserpinam ut sibi parcat, qui nec meruerit mortem factis nefandis verbisve impiis, et iuvenis adhuc sit necdum terminos naturales vitae attigerit. Tum iterum ad preces redit ut abstineant inferi dii, mandatque in fine etiam amicis, ut sacrificia promittant Plutoni pro salute sua. Vides simplex esse carmen. Domi solus aegrotus iacens poeta procul ab amicis, ut fit, gravius commotus cogitatione mortis effundit iis sensus suos. Regnat igitur in toto mortis metus, et redeunt omnia ad precationem deorum ut parcant. Iam videamus divisionem poeticam carminis. Si quis ita dividat totum, ut a v. 1-6. exordium ponat, deinde a v. 7-28. medium carmen, postremo exitum ad amicos, habebit exordium precationem Proserpinae, medium carmen autem causas precationis *et* repetitam precationem inferorum deorum, h. e. compositum erit medium carmen ex dissimilibus partibus, quarum posterior alieno loco posita. Laudarem, si exitus repetitam precationem exordii haberet expositis in medio carmine causis precationis, talis enim divisio concinna,

illa vero plane inconcinna et deformis est, quia medii carminis structura mala. Quod sentiet qui attendit ad dispositiones poeticas carminum et dividere recte argumenta didicit. Ne multa, constat proposita elegia manifesto duabus omnino partibus. Prior ab initio ad v. 20. una perpetuitate decurrit et precationem Proserpinae cum causis suis habet; exordium a sequentibus separari nequit. Tum sequitur altera pars a v. 20. ad finem, ubi repetitur precatio, sed nunc quidem omnes dii inferi implorantur, et in fine etiam amici rogantur ut sacrificio succurrant. Quae quidem bipartita divisio carminis, etsi non est Tibulliana, tamen in tali argumento placet; quid enim in mortis metu magis consentaneum quam iterare preces ad deos et huc revocare totum? Male vero eandem ex repetitione formam Lygdamus tertio carmini adhibuit, ubi quam sit ieiuna supra vidimus. Post haec ut de ceteris moneamus, non habet quidem proposita elegia affectum et impetum Tibulli in simili casu eleg. I, 3. conspicuum, sed multo lenior est, minus tamen in suo genere displicet aliis, immo suavem dicimus oppositionem amicorum feliciorum, qui thermis salubribus utuntur, et poetae domi morbo laborantis. Iure vero reprehendas quod in commemoratione scelerum, quae non commiserit, nimius est; accedunt alia reprehensione digna in singulis locis compluribus, de quibus in Explicatione dictum.

EXPLICATIO.

V. 1 - 20. Prior pars carminis. Amici poetae dum thermis salubribus Etruriae utuntur, ipse queritur mortem sibi imminere. Orat igitur Proserpinam ut parcat sibi, qui nihil meruerit et adhuc iuvenis sit.

V. 1 sq. manat quae fontibus unda. Huschkius confert Virgil. Cul. 146: *His suberat gelidis manans e fontibus unda.* Vossius sine causa *montibus* scripserat. — Etruscis. Annotat Heynius: „Habuit olim ut nunc Etruria aquas salubres

pluribus locis. De nostro aevo v. Bacium de Thermis p. 54., et de vetere aetate Dionys. Halicarn. I, 37. et Strabon. V, pag. 227: *πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν, ἅπερ τῷ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασται πολὺ πάντων μάλιστα.* Fuere inter eas thermas imprimis clarae Caeretanae, vid. Strab. V, p. 337, c. Aquae Clusinae, sed eae frigidae, vid. Horat. Epist. I, 15, 19. Tauri Thermae, vid. Rutil. I, 250. Et Thermae Pisanae etiamnum satis celebres, de quibus Ant. Cocchius peculiari libro egit (*de' Bagni di Pisa*)." Quaenam vero hae fuerint, quas poetae amici adierant, frustra quaeras. Haec de his. Observabis nunc etiam hoc, sententiam hexametri esse mancam. Vult dicere: Dum vos tenent undae *salubres* Etruriae, ego domi aegroto. Nunc autem dixit: Dum vos unda Etrusca tenet, dum vos in Etruria versamini ad aquas, aquas salubres: ubi vides male novo demum et separato commate addi quod statim in primo hic membro requiritur. Nempe repetitio substantivi, qualis nunc v. *unda*, est bona, ubi prius membrum omnia continet, quibus opus, tum aliud insuper addendum videtur; aliter usurpata mendosa est. — Unda sub aestivum non adeunda Canem. Huschkius Plin. Epist. V, 6. comparat: *Amavi curam et sollicitudinem tuam, quod cum audisses me aestate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Et sane gravis et pestilens ora Tuscorum, quae per littus extenditur; sed hi procul a mari recesserunt.* Vides ipse hoc loco nihil effici, cum ubi fuerint hae thermae, in littore an in mediterraneis regionibus, non constet. Verius Heynius observat in istis regionibus per canicularium dierum aestum non uti homines calidis aquis, sed potius discedere ex thermis in agros. Sic Martial. IV, 57, 5: *Horrida sed fervent Nemeaei pectora monstri, Nec satis est Baias igne calere suo: Ergo sacri fontes et littora sacra valete, Nympharum pariter Nereidumque domus. Herculeos montes gelida vos vincite bruma, Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.* Ubi poeta dicit hieme Baiis commorandum esse propter caeli clementiam, at aestivo tempore secedendum in agrum Tiburtinum. Idem puta de aliis thermis valere. — V. 3 sqq. Nunc autem sacris etc. Notatum est particula *autem* non usum Tibullum, licet alii poetae

utantur. Porro **sacris** scil. numine Nympharum, ut sunt omnes fontes, imprimis vero qui salubres. Sed de constructione et sensu loci multa disputata et coniectata sunt, quae operam perderem si referre omnia vellem. Lectio librorum est **maxima**; videamus quid ea faciamus. Primum nunc Baiae omnino pro thermis quibuscunque dictae erunt, ut accepit Scaliger aliique post eum; constructionem vero perperam statuas hanc ut explices: unda thermarum optima propter sacras lymphas, vel unda optima propter sacras lymphas thermarum, quam putidam rationem miror nuper etiam Huschkio probatam. Neque etiam *maxima* pro *maior* est dictum et sic cum ablativo iunctum, ut aliis quibusdam visum (cf. Boissonad. ad Gregor. Corinth. p. 114. Weichert. ad Pompon. Melam III, 7, 2.), sed vera et iusta una tantum constructio haec, qua **lymphis** pro dativo accipias. Nam superlativus cum dativo sine controversia recte iungitur pro genitivo, siquidem v. c. quae pulcherrima est puellis, haec haud dubie est puellarum pulcherrima. Hinc Pindar. Pyth. VI, 40 sqq. de Archilocho: *ἐδόκησέν τε τῶν πάλαι γενεᾷ Ὁπλοτέροισιν, ἔργον πελώριον τελέσαις, ὕπατος ἀμφὶ τοκεῦσιν ἔμμεν πρὸς ἀρετάν*, h. e. gloriam eam habebat et iudicabatur iunioribus veterum heroum princeps esse, s. inter iuniores veterum heroum princeps esse, pietate adversus parentes. Similiter accipimus Pompon. Mel. III, 7, 2. Iam grammaticus sensus loci erit: unda autem verno tempore praestantissima inter sacras lymphas thermarum. Videamus nunc quid obstet huic explicationi. Ac primum quidem docuit sane Brouckhusius lacus privatos ditiorum in hortis deliciarum causa factos Baias dictos, ut Cicer. pr. Coel. c. 15. 16. 20. adduxeratque iam Scaliger Martial. X, 13, 3. et Sidon. Apollin. XVIII, fin.; at enim non probatum est naturales thermas omnes communi nomine Baias appellatas, et vehementer dubito cum Heynio hoc fieri potuisse. Potuit per comparationem dici: hae sunt alterae Baiae et quae similes sunt locutiones, sed haec: proficiscor Baias, versor Baiis, et alia similia, quis credat unquam aliter quam de Puteolanis aquis intellecta? Atque hoc loco ducit eodem ipsa nominum distinctio et comparatio. Nam quis post Etruscas aquas Baiarum nomen memorari videns non statim de Campaniae urbe cogitet, quis non sentiat duorum nominum pro-

priorum iniucunde in tali nexu alterum proprie, alterum improprie accipi? Obiici porro huic explicationi debet, quod etiam HEYNIUS monet, non fuisse in Etruria aquas Baianis praestantiores, quas constat ceteris omnibus praelatas, cf. STRABO loco supra apposito et MARTIAL. VI, 42, 7. ne afferamus plura. His igitur rationibus ductus, quibus fortasse etiam alia addere possem, corruptam credo lectionem *maxima*, et amplector coniecturam facillimam et optimam *proxima*, a SCIOPPIO in Paradoxis literariis propositam et probatam HEINSIO in Adversariis nec non BROUCKHUSIO et VULPIO, qui recepit, aliisque. Saepe permutari in libris *maximus* et *proximus* notatum est, laudavitque iam HEYNIUS in Observationibus BURMANN. ad Lucan. X, 408., ad Ovid. Met. II, 323., ad Paterc. II, 36. 127. IUSTIN. XIV, 4. Est autem *proxima* ut saepe alias conditione, dignitate et praestantia, veluti OVID. Met. XII, 398: *pectoraque artificum laudatis proxima signis*, CICER. ad Att. II, 6: *proxima est illi municipio haec Antiatium civitas.* Vide plura apud HEYNIUM et VULPIUM. Nec denique comparationem aquarum salubrium cum Baiis Campanis infrequentem esse constat, cf. FREHER. ad Ausonii Mosellam 212. laudante eodem HEYNIO. Sic igitur omnes difficultates evanescunt facillime. Alias coniecturas ut VOSSII: *nunc aequans sacris Baiarum munia lymphis*, aut HUSCHKII: *nunc augens sacris Baiarum munera lymphis*, animi causa ab eo propositam, praetereo; nolumus enim hariolari et in alia omnia abire, sed illud tenere quod quam proxime absit a scriptura librorum. BACHIUS coniicit: *ante sacras — lymphas*, sed vel sententia displicet; neque enim quidquam Baiis fuit nobilius. Unum restat quod consideremus. HEYNIUS enim secundum et tertium versum omnino insertum putat ab aliena manu, et absurdam atque ineptam sententiam: *Unda sub aestivum non adeunda Canem*, in quo tamen iudicio non omnia laudamus. Poeta cum nollet nude dicere: Vos tenent Etruriae aquae salubres, oppositione sententiam illustrandam censuit, ut saepe bene fit in initiis carminum et alias. Nihilominus verum hanc quidem oppositionem frigere maxime. Sententia vera cum haec sit: Vos tenent undae saluberrimae, ego morbo gravi laboro, vides iam simpliciter ita dicendum fuisse: Vos tenet Etruscis manat quae fontibus unda sacris Baiarum proxima lymphis, cetera

vero aliena esse. Neque tamen eiici quidquam debet, sed Lygdamus peccavit ut toties. HEYNIUS qui totum locum v. 2. et 3. insertum dicit, atque ita iungit: *Vos tenet Etruscis manat quae fontibus unda, Dum se purpureo vere remittit hiems,* non animadvertit iterum ieiunum et plane inutilem pentametrum haberi, praeterea vero nunc deesse id, in quo oppositio poetica loci versatur. Redeundum igitur est ad id, quod ante dixi. — purpureo vere, propter flores, ut VIRGIL. Eclog. IX, 40. PINDAR. Pyth. IV, 64: *φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ*, Isthm. III, 36: *ποικίλων μηνῶν*, ubi vide annotationem nostram. — se remittit, ex frigore, quo adstricta fuerat. OVID. Fast. IV, 126: *vere nitent terrae, vere remissus ager.* Vide MITSCHERLICHIUM ad Horat. I, 4, 10. et ad initium odae. HEYNIUS laudat HEINS. et BURMANN. ad Ovid. Heroid. II, 123. — V. 5. 6. nigram horam, ut PROPERT. II, 24, 34: *niger dies.* Nunc opposuit locutionem, ut amat, verbis *purpureo vere.* Porro denuntiat, vox minax. PROPERT. laudante VULPIO IV, 3, 61: *ille dies hornis caedem denuntiat agnis.* Adde BROUCKHUSIUM. At PINDAR. Isthm. VII (VIII), 55: *δῶμα Φερσεφόνας μανύειν* dixit. — parce nocere, abstine, ut VIRG. Aen. III, 42. OVID. Met. X, 545. Trist. III, 3, 51. Res nota. — V. 7 sqq. Quemadmodum universum genus humanum temeritate, audacia, impietate morbos sibi attraxit et mortem acceleravit, cf. HORAT. I, 3., sic etiam singuli homines morbos graviores, in quos incidissent, ab ira deorum culpaque temere contracta repetebant. Solemnis vero scelerum, quae quis non commiserit, enumeratio apud poetas, veluti HEYNIUS laudat CLAUDIAN. Rapt. Proserp. II, 255 sqq. PETRON. c. 133., sed Lygdamus iterum nimius est in ea re, immemor Tibulli, quem compara I, 3, 51. 52. Neque vero hoc aliam ob causam fecit quam quia delectabatur enumerationibus, ac noli VOSSIO credere, qui iactantiae causa factum dicit. — laudandae sacra deae sunt quae Tibullus I, 6, 22. dixit: *sacra Bonae maribus non adeunda Deae,* quae qui violasset corporis animique poenis divinitus afficiebatur. *Laudandam* dicit quae nonnisi bonis verbis, bono nomine appellanda esset, nam Bona dicebatur; sed parum placet ieiuna circumscriptio. — tentavi Audax pr. ausus sum, et docere sacra est evulgare. Erat evulgatio iure inter maxima crimina; aditus vero clandestinus taciti

amatoris iam tum minus nefarius visus, ut videmus Tib. I, 6, 23. Quod annoto propter virum doctum OEBBEKE, qui in Programmate scholastico Aquisgranensi ann. 1832. etiam ex hoc loco probare vult Lygdamum Tibullo fuisse priorem aetate: nam detestari Lygdamum quod postea Tibullus audere non dubitet. At enim non de eadem re loquuntur. — nulli temeranda virorum, h. e. violanda, quod faciunt adeuntes aut etiam evulgantes. Nam temerare est omnino violare et contaminare sacra, ut FESTUS ait et HUSCHKIUS contra BROUCKHUSIUM monet, statuentem perperam irrumpendi notionem verbo per se inesse. Generatim significat, videre aut facere quod nefas. At *virorum* idem HUSCHKIUS posthabet Italicae lectioni *piorum*, h. e. initiatorum; nam vulgatam *deorum* corruptam esse patet. Sed de sacris Cereris et Liberae agi, de quibus CICER. Verrin. V, 72., iisque initiatum poetam minime probabile, neque haec simpliciter sacra laudandae deae dici potuerunt. — V. 9 sq. mortiferis succis, venenis, ut patet. Porro infecit pocula, ut VIRG. Georg. II, 128: *pocula si quando saevae infecere novercae.* — Pergit: nec cuiquam venena dedit. Vides igitur duas res distingui; nam vel parat et infundit aliquis clam venena poculo, quod alter sumet, aut ipse dat poculum et offert bibendum. Comparavit WUNDERLICHIUS Moschi Idyll. III, 118: *τίς δὲ βροτὸς τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι, Ἢ δοῦναι λαλέοντι τὸ φάρμακον, ἔκφυγεν ᾠδάν;* Addit HUSCHKIUS Cicer. Philipp. XI, 6. de Domitio Apulo: *At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit.* — Denique cum LACHMANNO teneo trita, licet vulgo *tetra venena* dicantur, cf. BROUCKHUSIUM ad Propert. II, 17, 14. Comparat HUSCHKIUS, etsi non probans *trita*, WYTTENBACHII annotationem ad PLATON. Phaedon. p. 327. ubi deinceps haec leguntur p. 96: *καὶ ὁ παῖς ἐξελθὼν καὶ συχνὸν χρόνον διατρίψας ἧκεν ἄγων τὸν μέλλοντα δώσειν τὸ φάρμακον, ἐν κύλικι φέροντα τετριμμένον.* Tuetur idem LACHMANNUS Propert. II, 17, 14. l. cit. Qui alteram lectionem *certa* tuentur, conferunt talia: hasta, sagitta certa. — V. 11 sqq. sacrilegi. Est latine sacrilegium omnino id, quo sacra violantur, ut etiam lexica docent, et sacrilegus quicunque sacrorum violator. Exquisitior quidem altera lectio *sacrilegos*, cf. OVID. Met. XIV, 539: *Irrita sacrilega iactas incendia dextra*, et quem

Gebhardus comparavit, Quintil. Declamat. XI. p. 156: *sacrilegum continuo flagrasset incendium*, sed quis probabit Lygdamum certo ita scripsisse, cum Cuiacianus nominativum exhibeat? Ceterum templorum incendia inter facinora maxime impia fuisse constat. Collegit locos Brouckhusius. — facta nefanda Wunderlichius interpretatur impetus grassatorum et latronum, comparans Catull. XXIII, 10: *non facta impia nec dolos veneni*, ubi tamen opinor praeter latronum rapinas etiam caedes et incendia intelliguntur et quidquid praeterea violentorum facinorum dolis opponi potest. Explico igitur sic potius: Omnino nihil nefandi feci; quibus complectitur et claudit antecedentium rerum enumerationem, memoraturus deinde verba impia, plane ut supra III, 4, 15. sibi opposuit haec: *Si mea nec turpi mens est obnoxia facto, nec laesit magnos impia lingua deos.* — In sequentibus: iurgia insanae mentis quod attinet, Lachmannus ad Propert. I, 3, 18. bene comparat locutionem *iurgia saevitiae.* Nam Tibulliana non est locutio. Sensus vero: neque ego criminationes iratas, insanas meditans, verba impia in deos dixi, si adversi videbantur. Tibullus II, 6, 18: *insana mente nefanda loqui.* — Porro solvimus ora. Saepe hac phrasi Ovidium usum Vulpius notat, veluti Met. I, 151. Hic compara imprimis Met. III, 261: *tum linguam ad iurgia solvit.* — V. 15 sqq. Sequitur nunc *altera causa*, quare mortem deprecatur. — nondum cani nigros laesere capillos, h. e. nondum cani immixti plurimi nigris, hos turparunt. Dixit igitur *laedere* latiori sensu, et comparat apte Vossius Lucan. V, 456: *laesum nube diem.* Excogitavit autem hanc phrasin Lygdamus propter oppositionem colorum, quam ubi potest infert. Melius idem Propertius dixit III, 5, 24: *Sparserit et nigras alba senecta comas*, aut Ovidius Trist. IV, 8: *Inficit et nigras alba senecta comas*, et Tibullus I, 8, 42: *Cum vetus infecit cana senecta caput.* — Mox cave iungas venit tardo pede, ut vulgo sane dicimus et dictum v. c. Ovid. Amorr. II, 670., sed hoc vult: necdum venit curva senectus tardo pede incedens, quemadmodum Wunderlichius et Bachius notarunt. Ambigue multa dixit Lygdamus. Porro recte monet Wunderlichius non personam Senectam cogitandam; intelligitur potius ipsa membrorum gravitas senilis. Designatur hic senectus ex canitie et tarditate. —

V. 17. 18. Natalem primo nostrum videre parentes sqq. Anno urbis 711. Hirtius et Pansa consules bello Mutinensi perierunt, ut constat; tum igitur primum visus est natalis poetae, quo tempore etiam Ovidius se natum testatur Trist. IV, 10, 6. transscripto hoc ipso pentametro. Fuit Lygdamus, ut vides, multo iunior Tibullo, sed eius amicus opinor; eum vel ante Tibullum mortuum videri, significavi in Dissertatione de Vita Tibulli. Sed alias hic locus disputationes excitavit eorum, qui haec carmina a Tibullo scripta putabant; nam vel mutare vel eiicere eum studuerunt certatim, ac Spohnius adeo tria haec disticha (v. 15-20) removere laboravit. Sed frustra. Affert primum poetam infra v. 23 sqq. iterum significare iuventutem suam: in quo non vidit etiam precationem repeti ut parcat Orcus, et omnino eam esse formam carminis, ut alterius partis consilium in repetitione versetur. Affert deinde ad amicos scribi, qui noverint aetatem poetae, nec diis, qui implorentur, eam ignotam. Sed hic non recordatur quam saepe usurpaverint veteres τὸ πρὸς εἰδότας λέγειν, quod dicitur. Iam Andromacha sic peccavit, si hoc est peccare, narrans Hom. Il. VI, 414 sqq. Hectori, quae hic sciebat. Vide praeterea nos ad Pindar. Pyth. IV, p. 222. Ergo talibus argumentis nihil efficitur. Ceterum minime laudo Lygdamum, quod ipsum adeo annum natalem indicat nimia diligentia, sufficiebant in poesi generalia dicta; sed hoc eiusdem est iudicii, cui tot alia reprehensione digna in his elegiis debemus. Tertium Spohnii argumentum ad sequentia videbimus. Meliora autem quam Spohnius nemo contra hunc locum protulit. — V. 19. 20. Etiam hoc distichon reddidit Ovid. Am. II, 14, 23. 24. fraudare vitem crescentibus uvis est: decerpere uvas immaturas, de qua comparatione vide Mitscherlichium ad Horat. II, 5, 10. Adde Auctorem epigrammatis 98. Anthol. Gr. Tom. II. p. 791. Iacobs.: *δακρυχαρὴς Πλούτων, οὐ πνεύματα πάντα βρότεια Σοὶ νέμεται; τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης;* Ceterum *fraudare* est omnino privare, conf. Munk. ad Hygin. fab. 89. — mala manu, nocente, perniciosa. — Spohnius etiam hoc distichon impugnat, et insertum putat; nam crescentes uvas et modo nata mala puerilem aetatem significare, cum tamen v. 6. poeta iuvenem se dicat. At enim in affectu loquitur Lygdamus, nec ita urgeri verba sua voluit. Concedimus

eum incaute locutum, sed non debet propterea spurium haberi distichon. —

V. 21 - ad finem. Altera pars carminis. Iterum precatur ut parcat Orcus vitae non maturae morti, mandatque in fine etiam amicis valedicens, ut succurrant et sacrificium promittant Plutoni.

V. 21 sq. quicunque tenetis. Antea Proserpinam precatus erat, nunc in repetita precatione intentior omnes deos inferos orat. Erat eorum magnus numerus. — pallentes undas, quae includunt Orcum. *Pallentes* ut supra III, 1, 28: *pallida aqua.* — Dura tertia regna. Agunt hic interpretes de duobus adiectivis diversi generis uni substantivo iunctis, Brouckhusius, Heynius, Bachius, quorum primus magnam copiam exemplorum attulit. Talia v. c. sunt Lucret. V, 33: *Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala — serpens*, Virg. Aen. VI, 603: *lucent genialibus altis Aurea fulcra toris.* Nos de ea re diximus ad Pindar. Pyth. IX, pag. 305. Vide etiam Censor. in Ephemer. Litt. Ienens. 1812. Nr. 160. p. 247. Ceterum hic usus etsi per se minime mirus atque etiam in prosa oratione, ut par est, hic illic obvius, frequentatur tamen imprimis in sublimiori poesi. Apud Lygdamum aliud exemplum legimus eleg. 3, fin., aliud videbimus eleg. 6, fin. Tibullus rem non habet. — V. 23 sqq. Elysios campos; nam dixit supra vitam suam culpa vacuam. — cognoscere, adire, visere. Propert. I, 6, 13: *nec mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas.* Pindarus Olymp. XIII, 3: *γνώσομαι τὰν ὀλβίαν Κόρινθον.* Aptissima locutio ubi sermo de praeclaris locis. — Cimmerios lacus, flumina paludosa ante Orcum. Albinov. II, 6: *It redit in vastos semper onusta lacus*, de rate mortuos transvehente. *Cimmerios*, h. e. inferos; cum hic populus habitaret ante Orcum. Tibullus non amat doctrinam mythologicam. — Cum mea rugosa sqq. Ubi Vossius didicerit laetari poetam rugis et pallore senectutis, nescio. — Et referam pueris etc. Similia verba Tibullus I, 10, 44. habet, sed sensus locorum diversus. Tibullo illic hilarior obversatur imago senectutis, Lygdamus de tristitia eius agit. Dicit enim: Ad inferos descendam, ubi tristis senectus aderit, ubi rugae venient ori et pallor, nec quid agam habebo nisi ut pueris tempora prisca describam.

Ceterum Tibullus proprie dixit: temporis prisci facta referre, Lygdamus minus proprie: tempora prisca referre. — Postremo de toto loco observabis, *quomodo* nunc repetat poeta superiora. Si eodem fere modo iterum dixisset de innocentia sua et iuventute ut supra, vituperari deberet graviter, sed hoc non fecit, redit alio modo ad ea; et puram vitam significat Elysios campos memorans, iuventutem vero, olim dicens se aditurum Orcum cum rugae senectutis venerint. Quare profecto sine causa Spohnius propter haec eiici voluit superiora. — Atque utinam vano etc. Utinam febris, qua laboro, frustra me terreat aestu suo neque mortifera sit. — Languent ter quinos sqq. Non desiderabamus numerum dierum. Poetica talia sic tantum sunt, si sacer est numerus, in quo sit ominis aliquid boni malive, quod hic non video. Peccavit igitur ut supra, cum annum nobis natalem indicaret. Quam vero Vossius hic adscripsit annotationem, ea ineptissima est. Dicit: Poterat medicus respondere: bono sis animo, decrescit paulatim febris et tu iam versus facis. Sed hoc est calumniari. Undenam tu nosti imminutam febrim, ut rideas poetam mortem timentem? Et cum Tibullus in simili periculo versans faciat et tamen mortem timeat, hunc non vituperas, Lygdamum autem propterea ineptire vis! — V. 29 sqq. Tuscae celebrantur numina lymphae. Cum salubritas aquarum a numine repeteretur quod inesset, *numina lymphae* pro viribus salubribus eius dicta vides. — et pellitur unda manu. Erant enim natationes in balneis, piscinae dictae, ad exercitationem et ad morbos sanandos. Vide, quem Heynius laudat, Bacium de Thermis libr. VII. c. 8. et 24. Suavis vero oratio. *Pellere* supra vidimus de natante I, 4, 12. Facilis unda, cedens natanti. Bene confert Heynius Propert. I, 11, 12: *Alternae facilis cedere lympha manu.* Denique lenta est flexibilis, mobilis, Ovid. Heroid. XIX, 48: *Lentaque dimotis brachia iactat aquis*, comparante Heynio. Suaviter igitur expressus est gestus natantium. — nos fata fuisse velint, per notum euphemismum dictum, cf. Heins. ad Ovid. Heroid. XVII, 192. laudante Vulpio et Heynio. — V. 33. 34. nigras pecudes promittite Diti. Inferis diis animas pecudum pro hominum vita et animabus oblatas constat; talem substitutam animam dicebant meliorem. Conf.

Virg. Aen. V, 438. Ovid. Fast. VI, 162. quae Vulpius laudat, et adde Müllerum in libro de Etruscis Tom. II. p. 179. Hae hostiae dicebantur animales, quas etiam hoc loco intelligunt. Sed ego vix credo de mystica re poetam cogitasse, qui pecudes, non pecudem offerri vult Diti. Potius vulgarem usum sacrificiorum intelligas. Ceterum de nigris pecudibus res nota. Ac promittite est vovete, veluti Iuven. Sat. XIII, 232. — Et nivei lactis pocula mixta mero. Nam ex sanguine, lacte, vino potissimum constabat, ut notum, sacrum quod inferis ferebatur. Laudat Brouckhusius Senec. Oed. 563: *sanguinem libat focis Solidasque pecudes urit et multo specum Saturat cruore. Libat et niveum insuper Lactis liquorem, fundit et Bacchum manu Laeva.* Adde Virg. Aen. V, 77 sqq. Mortuorum libamina omnia qui cognoscere cupit, adeat modo Blomfield. ad Aeschyl. Pers. v. 616. Glossar. —

E L E G I A VI.

INTRODUCTIO.

Successum non habuerant priora carmina, Neaera non redierat in gratiam cum poeta, sed desierat eum amare. Hic igitur cum aliud nihil faciendum videat, tandem relinquens puellam curas vino diluere studet in compotatione amicorum. Atque initium hoc est: invocat Bacchum ut adsit et auferat dolorem, hortatur puerum ut infundat Falerna et amicos excitat dux et magister bibendi; modestam compotationem futuram, at nimis severos a deo punitum iri. Sed ita dum hortatur eos, ecce redit in animum dolor, precaturque mala puellae perfidae; reprimit tamen statim

iram et ad vina mentem revocat. Nihilominus nondum res succedit, et relabitur denuo ad querelas; sed mox iterum se consolatur reputans docensque periuria amantium solemnia esse, quibus fidem habere stultum sit. Etiam nunc tamen resurgit iterum desiderium Neaerae, sed fugatis statim etiam his curis tandem in fine carminis ad hilaritatem maiorem pervenit, iocatur de usu puellae, fortius merum postulat et iamdudum caput unguentis delibutum et coronatum velit. Amor Neaerae victus est. Vides rationem carminis: redeunt omnia eo, ut curae amoris pellantur, quae res cum non statim succedat et identidem relabatur animus ad dolorem et querelam, nascitur sic argumentum elegiae, quae luctantem exhibet poetam cum curis amoris, donec eas vincat. Atque haec est quam laudant varietas affectuum, tu vides luctam esse cum eodem, ter relabente poeta ad querelam, ter se erigente rursus. Tibulli spiritum nervosque etiam haec elegia non habet, nusquam ad vim Tibulliani affectus, ad Tibullianae orationis vigorem assurgens, nec valedixit tali carmine Tibullus amatae prius Deliae, sed tacite discessit. Artem vero Tibulli qui novit, desiderabit statim descriptiones disertiores affectuum alias atque alias (*wechselnde Gemählde des Schmerzes und der Fröhlichkeit*), maxime hic necessarias; verum dolor omnino non depingitur accuratius, sed vix ortus statim deprimitur, hilaritas autem sic fere declaratur semper, ut ad bibendum se exhortetur poeta et curas abire iubeat, nulla pulchriore variatione sententiarum adhibita, ac nisi locus de periuriis amantium adesset (45-50), ubi aliquid certe dicitur amplius, propemodum nihil praeter verba in tota elegia videres. Quae inopia rerum quomodo Tibulliana videri potuerit, difficile est assequi. Facit haec inopia, ut totum carmen nihil nisi inanem lusum duorum motuum offerat, qui fastidium facit toties repetitus. Postremo aliud de forma compositionis moneo. Etenim divisio carminis, quales vulgo habentur, hic est nulla: non habent hic principium et finis aliud negotium quam medium carmen, sed uniformis a primo versu ad ultimum decurrit tractatio; nam post principium laetum transit ad contrarium sensum, inde fit reditus ad laeta, a quibus relabitur ad tristitiam et sic porro, ut supra narravi. Habemus igitur hic exemplum talis compositionis, ubi sine ulla maiore divisione perpetuo cursu ab initio ad finem ab-

solvitur argumentum. Usurparunt hanc perpetuitatem continuam tractationis etiam alii elegiaci, a Tibulli vero ratione aliena est.

EXPLICATIO.

V. 1-32. Curas amoris ut diluat poeta, excitat se et amicos ad bibendum; potare recusantibus poenas Bacchi denuntiat. Ecce vero resurgit dolor! Sed hic statim reprimitur et revocatur animus ad mensam. Nihilominus nondum succedit res et relabitur rursus poeta ad tristitiam. — Dispescui carmen in duas partes explicationis commodioris causa; compositio poetica hanc divisionem non agnoscit.

V. 1 sqq. Candide Liber. Confert Brouckhusius Ovid. Fast. III, 772. et Senec. Oed. 508: *Altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos, Candida formosi venerabimur ora Lyaei.* Est igitur *candidus* pr. pulcher; tamen simul laetum esse recordaberis candorem pulchritudinis; nam laeta pulchritudine splendentem appellat, ut laetitiae faustum datorem designet. Hunc enim vocat. — sic sit, cf. de formula ad I, 4, 1. At mystica vitis quo sensu dicatur obscurum est. Vellem thyrsus intelligi posset, sed non constat de hoc usu vitis. Turnebus Adv. L. XIX, c. 30. implexos vitium pampinis thyrsos respici putat ab initiatis gestos, Brouckhusius caput vite tectum in orgiis memorat Ovid. Met. VI, 592. Unde Heynius scribit: *mystica*, quia eius usus in mysteriis atque orgiis Bacchi. Müllerus meus monet me in Vasculis Italicis, quae dicuntur, saepius manu vitem pro thyrso tenentem conspici Bacchum, quem usum sacrum si respexit poeta, convenit pentameter. Habes imaginem dei hedera caput vincti, manu vitem gerentis. — Pro *feras* Itali maluerunt geras, recte. Sic Virg. Aen. VI, 772: *umbrata gerunt civili tempora quercu.* Ac non videtur *ferre* hoc modo dictum de parte corporis. — Mox construe: et aufer. Tum *meum* interpositum nota, cf. ad I, 9, 25. — ipse pariter medicande, qui ipse etiam amoribus

obnoxius dolores eius sensisti et sentis eosque pariter vino diluis. Obsecrat igitur eum per similes sensus, similem fortunam, ut PROPERT. III, 17, 5 sqq. de Baccho: *Per te iunguntur, per te solvuntur amantes, Tu vitium ex animo dilue Bacche meo. Te quoque enim non esse rudem testatur in astris Lyncibus in caelum vecta Ariadna tuis*, h. e. tu ipse etiam amorem nosti. Ac nunc quidem errant, qui ad solos priores amores dei provocant, cum Lygdamus de praesenti tempore loquatur. Nempe amat Bacchus etiamnunc et curis amoris conflictatur ut olim; nam perpetuus vini socius amor. Ceterum librorum lectio *medicando* non solum contra metrum est, cum aevo Augusti incognita fuerit haec correptio, vide quos laudant HEYNIUS et BACHIUS, sed etiam contra sensum, cum verba *ipse pariter* sic explicari non possint. — Ad verba cecidit amor WUNDERLICHIUS cum LACHMANNO ad Propert. p. 52. confert CATULL. XI, 21: *Nec meum respectat ut ante amorem, Qui illius culpa cecidit.* Idem monet saepius iuncta vv. *victus cadit*, ut VALER. FLACC. I, 300. Sententiam PROPERT. l. cit. v. 4. sic exprimit: *Curarumque tuo fit medicina mero.* — V. 5 sq. Care puer. Comparat HUSCHKIUS Stat. Silv. III, 4, 60: *Care puer, superis qui praelibare verendum Nectar et ingentem toties contingere dextram Electus.* „Solitos autem pueros ad cyathos eligi pulcherrimos dominisque carissimos.“ Non incredibile est fuisse formulam, qua tales pueros alloquerentur. Sed nihilominus verum, hic quidem exile esse et languere *care*, ut sensit optime MITSCHERLICHIUS ad Horat. II, 11, 18.; neque tamen emendari debet cum eodem et mutari in *larga*, sed relinqui iudicio Lygdami. — madeant. HEYNIUS alium poetam *spument* aut simile positurum fuisse ait, et MITSCHERLICHIUS in eandem sententiam *larga* coniecit. Sane omnino lenior et minus vivida ac nervosa est oratio Lygdami, nunc tamen etiam illud notabis, in pentametro additum huiusmodi quid. — prona. Bene VULPIUS: „Prona manus est ad pocillandum et ministrandum inclinata, quae largiorem vini potum non invideat, sed ἀφθόνως fundat.“ Ceterum patet esse et tenendum; hoc scripsit Lygdamus, vividius *i* SCALIGER intulit. Ac sequitur statim *Ite.* HUSCHKIUS *Tu* infert ex v. 62., male; nulla enim hic oppositio. — V. 7 sqq. durum genus. Cum VOSSIUS *dirum* receperit, HUSCH-

KIUS confert VIRG. Aen. IV, 487: *Haec se carminibus promittit solvere mentes, Quas velit, ast aliis duras immittere curas.* Porro labores sunt πόνοι, dolores animi graviores, ut constat. — hic Delius, hic sol, hic dies, ut cum LIVINEIO HEYNIUS interpretatur. Nove dictum; tamen dubitari nequit. Vulgo quidem Phoebus, non Apollo, pro sole dicitur ut constat, sed isto tempore a multis Apollinem, maxime Delium, pro sole habitum scito. — Fulserit, ortus sit, venerit, adiecta felicitatis notione, ac comparat WUNDERLICHIUS Catull. VIII, 3: *Fulsere quondam candidi tibi soles.* Denique niveis alitibus h. e. fausto omine. OVID. Amorr. II, 12, 2: *Omina non albae concinuistis aves.* Iam sensus pentametri: bono omine hic dies exortus sit, sit laetus dies. Mire VOSSIUS locum cepit: Veniat Apollo fulgens in curru cycnis tracto, excitetque nos ad cantum. Quae non opus est ut refutemus. — V. 10 sqq. neget se comitem. VALER. FLACC. III, 698: *an sese comitem tam tristibus actis abneget*, comparante VULPIO. Omisso pronomine HORAT. I, 35, 22: *nec comitem abnegat.* Est autem dux, ut vides, magister bibendi et convivii rex. — vini certamen, compotationem, ut *iaculi certamina* VIRGIL. Georg. II, 530, *certamen bibendi* PLINIUS dicit XXXVI, 21, fin. — mite, ubi non insane certatur bibendo et modica ac verecunda est compotatio. *At ne quis modici transsiliat munera Liberi Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata,* ait HORAT. I, 18, 7. — V. 13 sqq. Ille facit dites animos. Cum sequentia eo redeant manifesto, ut mansuefacere dicatur animos Amor, aliena est haec sententia praemissa, postulatque res ipsa ut *mites* legamus pr. *dites*, quod oblatum in Excerptis LIPSII probarunt HEYNIUS et ad Horat. II, 4, 2. MITSCHERLICHIUS et nuper recepit VOSSIUS. Obloquitur quidem HUSCHKIUS, comma ad Bacchum referens, quem constat dites animos facere, cf. PINDAR. Fragm. incert. nr. 136. ibique annotationem nostram pag. 671. Esse igitur *ille — ille* pr. *alter — alter*, et componi inter se Bacchum et Amorem. At enim primum quae posita in fine loci sunt: *Haec Amor et maiora valet*, satis ostendunt totum ad unum Amorem pertinere. Deinde quid nunc sibi vult haec sententia? Vult poeta curas amoris levari, exhilarari animos vino, at dites facere Bacchum quid hic ad rem? Ac tota

oppositio, alterum deum dites facere, alterum mites, quorsum spectat? Redeamus potius ad coniecturam *mites*, quae formam sententiae claram affert. Nempe primum generaliter dicit, deinde specialius et per partes explicat rem, in quo notabis usum anaphorae. Fallitur enim Bachius repetito *ille* — *ille* diversas res distingui censens eaque de causa et ipse tenens *dites;* nam certum est anaphoram etiam ibi locum habere, ubi partibus sententiae cuiusdam praemittitur generalior eiusdem enuntiatio, conf. quae exposui in dissertatione de Elocutione Tibulli. Qui usus cum etiam ab Huschkio ignoraretur, hic quoque male defendit *dites*, quo nihil magis alienum. Nunc autem unitatem loco redditam vides. — contudit, domuit, fregit. Collegit multa exempla Brouckhusius. Et ferox est, qui amorem adspernatur, cf. Mitscherlichium ad Horat. II, 4, 2. — dominae misit in arbitrium, subiecit arbitrio puellae. Virg. Aen. XII, 190: *paribus se legibus ambae Invictae gentes aeterna in foedera mittunt.* Conferri etiam potest locutio *ire sub imperium*, II, 4, 54. supra. — Armenias, adiective, cf. Gierig. ad Ovid. Met. XV, 86. Et vide Heins. ad Ovid. Art. Am. II, 183. Mox fulvas leaenas dicit oppositionis causa adiecto epitheto, cum alius sit tigrium color. Saepe notavimus hunc morem poeticum. Etsi vero placere possit Vossii Bachiique lectio *fulvos leones*, ut variavit Ovidius Met. XV, 56: *Armeniaeque tigres iracundique leones*, est tamen parendum codicum auctoritati. — Perlectis singulis restant quaedam de toto loco monenda. Est hic locus unus ex paucis apud Lygdamum, qui melius elaborati; vides descriptionem nervosam, quales hic poeta paucissimas habet, plurimas egregias Tibullus. Sed quid vult sibi res hic? Dixerat *mite* certamen vini futurum. Iam pergit: Amor enim, cui servimus omnes, mitis deus est, ut etiam compotatio nostra quieta, placida esse debeat, atque hinc illustravit vim Amoris mansuefacientem. Indicavi nexum; sed vides quid peccaverit Lygdamus. Primum enim cum antecedens sententia haec sit: *et si quis certamen vini recusat, infelix sit in amore*, nec magnam vim habeat epitheton *mite* ibi quasi obiter insertum, nemo profecto exspectabat hoc ipsum nunc illustratum iri data opera, nec si abesset locus, desiderares quidquam. Est praeter necessitatem interpositus. Deinde etiam transitus malus est. Quis

enim *ille deus* sit, ex fine quidem discis, ex antecedentibus autem aegre colligas, ubi de Baccho tantum deo sermo fuerat. — Sed poscite Bacchi munera. In viam redit a digressione; hic est sensus particulae *sed.* Male Vossius, quem sequitur Bachius, ita interpretatur: Amorem, quamvis magna vis est illius, negligite, Bacchum vero colite. Ceterum poscere hic proprium, ut constat. Cic. Verr. III, 26: *Hortatur hospes: poscunt maioribus poculis.* — V. 19 sqq. Convenit ex aequo. Heynius: „Malim *convenire* accipere pro adire, itare ad, et quartum casum subintelligere. Hos Bacchus aequus et lenis convenit. Ex aequo est aequus, placidus, placide.“ Quae verissima videntur. Verbis *ex aequo* in sequentibus opponitur iratus, et docet eundem sensum quod statim subiicitur: *nec torvus est.* Qui formulam ad comparationem Amoris Bacchique traxerunt, obliti sunt de Amore per digressionem locutum poetam, nunc autem ad Bacchum redilsse orationem. Huschkius scribit: „Haec formula ad convivas pertinet aequa lege bibentes.“ Supplet igitur *bibere* ad *convenit*, quod durissimum. — torvus in illis pr. *in illos*, noto usu; cf. Brouckhus. ad h. l., Burmann. ad Ovid. Met. IX, 472. Cerda ad Virg. Aen. II, 541. Perizon. ad Valer. Max. IV, 1, 10. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 43, 8. Similiter Graeci, ut constat, veluti Sophocl. Ai. 366: ἐν ἀφόβοις με θηρσὶ δεινὸν χέρας. Cultoribus igitur suis levis est deus neque urget eos graviter furore immisso, sed exhilarat suaviter levatque curas. — Non venit — severus. Eximie Lachmannus *convenit — severos* coniecit, quod unice verum habeo. Sunt autem *severi* h. l. sobrii. Laudant Catull. XXVII, 5: *abite lymphae, Vini pernicies ad severos Migrate*, et Horat. Epist. I, 19, 8. — Mox quales qualis, ut saepe Graeci οἷος οἷα, ὅσος ὅσα, vid. Iacobs. ad Anthol. Gr. T. VIII. p. 395. Monck. ad Eurip. Alcest. 145. Reisig. ad Soph. Oed. Col. Comment. crit. p. 306. Porro qualis quantusque, ut Virg. Aen. III, 641: *qualis quantusque cavo Polyphemus in antro Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat*, aliisque in locis apud Vulpium. Hoc loco sensus: quam gravis quamque potens; neque enim huc pertinet quod Brouckhusius docet, deos iratos solito maiores apparere creditos. Heynius, qui hoc intellexit, ipse tamen non minus errans de perpetua specie

augusta deorum cogitat. Ceterum a Tibulli oratione abest haec pronominum coniunctio. — Cadmeae matris praeda cruenta docet, h. e. Pentheus a matre Agave et Bacchis discerptus, ut notum. Sed profecto ineptum in praesenti re tam terribilem poenam ostendere, quasi qui non bibat satis, ei statim tales poenae metuendae sint. Omnino iure quaeras quorsum tam multis verbis exhortetur amicos ad bibendum, qui de se et de suis sensibus hic agere debeat. Languet manifesto totus locus. — V. 25 sq. illaque, si qua est etc. Nexum cum alii indicarunt tum Vossius: Et si deus non rite a nobis colitur bibendo, si laeditur nimia severitate nostra, illa potius perfida poenas dei luat, quae causa mihi tristitiae. Redit igitur nunc, ut vides, ira et dolor ob perfidiam puellae, quem pellere volebat vino. Tamen iusto brevius dixit, nam vix intelligitur quid velit. Ad verba: *si qua est*, Livineius supplet ira dei ex sequentibus, quod probo. Huschkius transposita velit verba sic: *iraque — illa dei.* Sed recte praeposuit poeta *illa* propter oppositionem. Postremo de traiectione verbi sentiat, positi in eo commate, cui vel praemittendum erat vel postponendum, vide ad I, 9, 25. Ita singula illustrata vides; toti periodo nulla similis apud Tibullum, qui perspicuitatem maiorem amat. — V. 27 sqq. Quid precor ah demens! Vide ut statim se revocet, postquam vix prodidit iram. Infra v. 33. certe duo disticha implevit querela. — aeriae nubes, ut sublime ferantur in aerem. Catullus XXVIII, 10: *Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.* Porro circumscriptione diripienda ferant simul significatur, ut Wunderlichius ait, digna esse, quae diripiantur. — cura, amor, III, 1, 19. — Mox securae mensae, ubi curae absunt. Porro reddamus tempora mensae, redeamus ad vini gaudia. Neque enim *reddere* est pr. *dare* positum, ut quidam volunt. — post multos scil. non serenos. Brachylogia propemodum necessaria. Pr. *multos* Vossius recepit *multas* et Bachius, cum Mureto, Passeratio, aliis; sed plurali numero v. *dies* masculini generis est. — V. 33 sqq. Hinc novum carmen ordiri codices et editiones ante Muretum in annotatione critica indicavimus. Quem statum non debebat revocare Golberyus, sed obsequi Mureto, Scaligero ceterisque intelligentibus viris, qui viderunt unius carminis esse haec et antecedentia. At-

que exordium elegiae legisti supra v. 1 sqq., haec autem quae v. 33 sqq. legis, per se apparet non esse exordium, sed medii carminis partem. Credas facile discerni posse quid sit exordium, quid non sit. Sed pergamus in explicatione. Igitur poetae denuo redit dolor. Ad v. imitari gaudia WUNDERLICHIUS confert TAC. Ann. I, 24: *vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores.* Add. OVID. Art. Am. I, 611. — componitur, fingitur, simulatur. Infra IV, 7, 9: *vultus componere famae taedet.* SENEC. Consol. ad Helviam c. 16: *Per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur.* — Porro ebria verba sunt hilaria, procacia, petulantia. Haec non bene sonant, non tam laete sonant, quam ubi vere hilares loquuntur; non bene succedit sollicitis ebria hilaritas verborum. Ceterum secundo hoc disticho vides aliis verbis repeti, quod in primo dictum. Inops est Lygdamus sententiarum. Iam iterum abrumpit.

V. 37 - ad finem. Redit denuo ad hilaritatem, et nunc quidem longius in ea versatur. Tamen vel sic desiderium puellae redit. Sed vincitur etiam hoc et clauditur carmen laetissime.

V. 39 sqq. Gnosia, Ariadne, ignoto sola relicta mari, h. l. peregrino in littore. PROPERT. I, 14, 1: *Tu licet abiectus Tiberina molliter unda Lesbia Mentoreo vina bibas opere.* Add. LACHMANNUM ad II, 13, 39. p. 148. Similiter accipe PROPERT. I, 15, 10: *Desertis olim fleverat aequoribus,* nam de allocutione maris ibi in sequentibus demum dicitur. Verum viderunt HEYNIUS et VOSSIUS. At WUNDERLICHIUS, BACHIUS iungunt *flevisti mari,* quod hic minus commodum. Attende ad epitheton *ignoto,* et sentias necesse est iungi debere *ignoto mari sola relicta.* Ac similiter OVID. Art. Am. III, 36: *in ignoto sola relicta loco.* — Sic cecinit pro te Catullus, carm. LXIV, 52 sqq. Pro te, cum Theseum perfidum et ingratum ostenderet, ipso pentametro explicante. Doctus, peritus in poesi artifex, cf. WUNDERLICHIUM h. l. et nos ad I, 4, 61. Catulli epitheton idem recurrit OVID. Amorr. III, 9, 62. MARTIAL. I, 61. VII, 98. et videtur id simul ad Graecarum litterarum et fabularum scientiam et tractationem scitam pertinere. Denique quod Lygdamus ad

Catulli testimonium provocat, HUSCHKIUS Euripidem confert Med. 411-446., ubi hic perfidiam virorum et mulierum exponit, atque ad aliorum poetarum carmina provocat. Noli vero VOSSIO credere, qui hunc sensum statuit: Vir te decepit, sed vir etiam te defendit, et ob eam causam v. 41. pr. *sic* recepit unius codicis lectionem *sed*. Lygdamus nihil nisi hoc vult: „Semper fuit perfidia in amore. Atque alio tempore Catullus cecinit Ariadnae dolores a Theseo olim relictae, *vos ego nunc moneo*.“ Vir doctus OBBEKE in Dissertatione supra a nobis in Vita Tibulli memorata etiam ex hoc loco colligit Lygdamum proxime post Catullum vixisse, quod vides non sequi: potius contrarium sequitur, remotiorem aetate fuisse Catullum: talem enim hic poetam commemorare debuit. — V. 43 sqq. V o s. Praesentes alloquitur amicos. — F e l i x, q u i c u n q u e d o l o r e etc. Dixi in annotatione critica videri c a v e r e veriorem lectionem. Neque tamen est t u o in *tuum* mutandum. Sententiam et constructionis rationem illustrabit OVID. Art. Am. III, 455: *Discite ab alterius vestris timuisse querelis*. Ut OVIDIUS dicit: discite ab alterius querelis spretis timere, ne vestrae quoque querelae possint sperni, sic Lygdamus: felix, qui alterius dolore infelici disces cavere posse, ne ipse quoque doleas infeliciter. D i s c e s c a v e r e p o s s e, disces resistere posse amori atque ita cavere etc. Hinc addidit *posse*. Ceterum nescio cur Lygdamus *quicunque* posuerit; debebat *felix qui* dici. — N e c v o s a u t c a p i a n t etc. Sequitur locus, qui ex melioribus apud Lygdamum. Etsi enim inest quod non recte dictum, laudabilis tamen descriptio poetica. Modo plura talia haberet auctor. — p e n d e n t i a c o l l o. Constructionem illustrat BURMANN. ad Ovid. Met. I, 485. laudatus ab HEYNIO. — s o r d i d a, avara, quae blanditiis deceptum amatorem exspoliare studet. Exspectabam nonnisi talia hic verba, quae simul in Neaeram quadrarent, nunc autem libertinas cogitat. — p e r q u e s u o s o c e l l o s, ut moris, infra IV, 5, 8. PLAUT. Menaechm. V, 9, 1. PROPERT. I, 15, 33. OVID. Amorr. III, 3, 10. Plura habet BROUCKHUSIUS. — I u n o n e m s u a m, quae feminarum patrona erat ut Genius virorum, cf. BURMANN. ad Petron. 25. MÜLLER. in libro de Etruscis Tom. II. p. 90. Iuramenti per Iunonem exempla VULPIUS habet, quale est infra IV, 13, 15. — i u r a v i t: etsi iuravit sanctissime,

nullam fidem praestabit. Verum est enim *iuravit*, non *iurabit* aut *iurarit*. Poeta alloquitur amicos bibentes, qui et ipsi amoribus indulgebant, nec futuram forte rem ponit, sed factam, quod multo hic melius. Etsi quis vestrum revera datum sibi habet iusiurandum puellae, ne credat: hoc est quod dicit. — Nulla fides inerit scil. ei, ut STATIO comparante MANILIUS IV, 578. dicit: *nulla fides inerit natis*, aut verbis eius. Postremo HUSCHKIUS pr. fallax proponit *pellax* aut *audax;* ferri enim non posse sententiam: *etsi iurabit* (ita enim scribit) *fallax* —, *nulla tamen fides inerit fallaci vel iuramento falso*, recepitque ipse *audax*. Sane peccavit hic Lygdamus, etsi *fallax* substantive accipias pr. fallax puella, neque vero mutabis quidquam. — V. 53 sq. Quam vellem etc. Cum seria verba procul abire iusserit, hilaria et lasciva tentat; sed ardens desiderium puellae etiamnunc dolorem reducit. — longos pervigilare dies, inter iocos puta lususque amoris. Sed ieiuna locutio, in quam oppositionis studio incidit. — nec merito nobis inimica merenti. Sic primum SCALIGER per archaismum constructionis non nimis durum iungens reposuit e libris; assentitur BROUCKHUSIUS, nec non RUHNKENIUS in Dictatis ad Terent. Eunuch. IV, 3, 7. ubi est *absente nobis*, quemadmodum CATULLUS habet CIII, 5. 6: *insperanti nobis*. Quae iam BROUCKHUSIUS laudavit. Adde HEINS. ad Virg. Aen. VI, 209. Imitatur quidem Lygdamus orationem Tibulli, sed quot insolita nihilominus vidimus! Est autem *merens* bono sensu, qui fide et amore bene meruit, veluti *merentissimus maritus*, *merentissima uxor* in Inscriptionibus dicitur, cf. GRUTER. p. 760. nr. 3., p. 932. nr. 7. Ac nervosum sarcasmum habet cumulata dictio: nec merito, et immerito, inimica merenti. Contra ieiuna manifesto altera minoris auctoritatis lectio, quam HEYNIUS, VOSSIUS, BACHIUS, HUSCHKIUS, GOLBERYUS probarunt: *Perfida nec merita nobis, nec amica merenti*. Profecto enim ieiune est dictum: perfida immerito, nec amica merenti; at nervose alterum: perfida et immerito inimica merenti. Nervosa autem totius distichi oratio hic est, nec debet hac laude privari Lygdamus toties reprehensus; nam pentameter plane egregius, cui similis nullus per totum Tibullum. — V. 57 sqq. Ad hilaritatem redit. Naida Bacchus amat. Proverbialis, ut videtur, locutio, nunc aptissima. Similes vide

apud Mitscherlichium ad Horat. III, 19, 11. — Marcia lympha, a Q. Marcio rege in urbem ducta et a Q. Marcio Rege praetore restituta. Plin. XXXI, 3, s. 24: *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, praeconio urbis, Marcia est, inter reliqua deum munera urbi tributa.* Adde Vulpium h. l., et Graev. Thes. Antiqq. Rom. III, p. 383. IV, p. 1747. — Mox verbis: Non ego, si fugiat etc. non videri castam Neaeram designari, et Vossius notat et post eum Huschkius, quae vix in tali loco conspecta fuerit, at libertinas convivia amicorum adiisse (cf. nos ad I, 5, 65.). Explicant igitur: Quid praeterita curo? Non ego, si hoc ipso convivio libertina adsit et repente aufugiat ad alium amatorem, tota nocte dolebo, veluti laudante Brouckhusio de Cinara est ap. Horat. Epist. I, 7, 28: *Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.* Sed fateberis tamen, cum in antecedentibus semper de Neaera dictum sit, admodum durum esse repente aliam intelligere. Et quidni hypothetice de Neaera ipsa ita locutus sit, non quasi haec soleat venire ad talia convivia, sed sententiae causa, quam dicturus est, ponens rem petulantius? Ne praesens quidem si adsit Neaera convivio nostro, ait, et repente aufugiat et amori meo se eripiat, dolebo, nedum praeterita curem et dudum erepta. Hic nexus videtur. Tamen reprehendam Lygdamum, quod, etsi valedicens, non sic de Neaera loquitur ut decebat; sed iam supra v. 45 sqq. in idem vitium incidit. — Ignotum torum, ignoti et ignobilis hominis amplexum, cf. IV, 10, 6. — suspiria repetere est continuare tota nocte. — Male Huschkius eiicit *Tu* lectum in optimis et omnino plerisque omnibus, positum vero rectissime hic ut in oppositione. Nam ante de se dixerat. — liquidum, veluti Horat. Epist. I, 14, 34. (*geklärten*) defaecatum. Colum. XII, 37: *Sed curandum est, ut cum diffundis, liquidum et sine faece diffundas.* — fortius adiectivum, ut videtur Scaligero, Huschkio, aliis. Graece ζωρότερον, Il. IX, 202. Notabis igitur iterum duo adiectiva uni substantivo iuncta, conf. ad carm. 5. v. 22. — Iam dudum et debueram, impatienter, cf. Mitscherlichium ad Horat. I, 37, 4. —

COMMENTARIUS IN TIBULLI
LIBRUM QUARTUM.

C A R M E N I.

AD MESSALAM.

INTRODUCTIO.

M. Val. Messala Corvinus, quem ex superioribus novimus, ann. 723. cum Caesare Octaviano consulatum inierat, quo tempore bellum contra Antonium instabat; quare auctor huius carminis qui iam olim magna parte agrorum spoliatum se significat, nova pericula timens patrocinium consulis egregii ambit oblato hoc panegyrico poemate, ubi omnes laudes viri data opera complectitur, seque ei in perpetuum addictum profitetur. Constat diversa esse virorum doctorum de carmine hoc eiusque auctore iudicia; nos ut ordine agamus, primum ipsius carminis rationem considerabimus, deinde de auctore dicemus. Igitur argumentum hoc est: In e x o r d i o poeta excusat exilitatem ingenii sui. Cantaturum se Messalam, licet virtus egregia deterrere possit infirmum; quodsi vero etiam impar deprehendatur carmen debitis laudibus et ipse humilis conditor appareat tantis actis, certe voluisse satis esse. Ostendit deinde exemplis ex mythologia et cultu deorum petitis etiam deos parva dona non respuere, rogatque sic Messalam ut parvum laborem benigne excipiat. Alia argumenta relinquit aliis, at suae Camenae quodcunque possint, id omne Messalae vovet. Esse enim maximam praestantiam viri, qui etiam gentis antiquae gloriam su-

perare studeat et maius ipse posteris futurus sit decus, quam maiores sibi sint. Magnis voluminibus opus fore ad tantas laudes, quibus canendis qui certaturi sint poetae et pedestres scriptores, in his ut ipse victor sit optat. Post hoc exordium *in duas partes dispescit argumentum:* est Messala orator insignis et bellicus dux, nec dici potest utro in genere maior sit, sed pariter excellit in utroque. Ac *primum quidem* de eloquentia agit, sed breviter, cuius vis coram populo et in iudiciis spectetur; posse neminem melius regere et sedare animos dicendo. In quo eum etiam Nestori et Ulyssi praefert, licet ille tria saecula vixerit, hic diuturnis erroribus per orbem multa didicerit; ac cum fatorum Ulyssis memorabilium narrationem etiam ornatum carmini allaturam crederet poeta, evagatur longius et totum errorum ordinem ad finem persequitur. His absolutis ad *alteram rerum partem*, ad militarem Messalae laudem praedicandam pergit. Quem locum ita tractavit, ut gradatim a minoribus ad maiora et maxima procederet, et postremo tantam huic viro praedicit gloriam, quantam nemo mortalium assecutus est. Orditur vero a peritia castrimetationis et tactices, sine qua bonus dux esse nequit, tum facta egregia celebrat, bellum ab Octaviano in Illyrico et Pannonia gestum memorans, in quo Messalae egregiae partes fuerant. Nec contentus laudasse praeterita, porro etiam ad futura pergit, quae in posterum per orbem terrarum Messala gesturus sit. Cum enim consul creatus nuper Kalendis Ianuariis magistratum solemniter auspicaretur, tam manifesta signa favoris deorum esse visa, orto per universam rerum naturam post priorum mensium tempestates miro silentio et tranquillitate, ut dubitari nequeat maximam ei gloriam destinatam. Messalae nec Gallia nec Hispania resistere poterit, ait poeta, et cum instaret bellum adversus Antonium, qui orientalis imperii copiis sociisque multis imperabat, auguratur porro eum Africam et Aegyptum et Asiam universam cum victore exercitu peragraturum usque ad Oceani ambientis undas. Sed ne hic quidem rerum finis erit; datum est homini singulari, ut etiam in alteram partem orbis penetret zonamque australem factorum suorum splendore impleat. In quo poeta nova digressione intexta totum locum de divisione zonarum exponit. Atque haec quidem de Messala. Sequitur e x i t u s carminis. Fatetur nunc iterum se

tantis praeconiis non esse parem, promittit tamen licet adversa fortuna afflictus, erepta magna parte praedii aviti, etiam in posterum se non cessaturum Messalam canere, immo pro tanto viro omnia se tentare et tolerare paratum esse. Quare si modo placeat hic labor, nullum se finem canendi facturum, atque adeo si mortuus ex migratione in alia animalia redierit in humanam naturam, continuaturum inceptam laudem. Ita poeta.

Videamus nunc quid de ratione carminis iudicandum sit. Divisio et dispositio rerum clara est et non mala. Dicit poeta, ut vidimus, post laudatam praestantiam Messalae generatim in exordio, specialiter de eloquentia et militari laude, et hanc quidem sic dividit ut tum peritiam castrimetationis et tactices laudet, tum facta ac res egregias, quas et gesserit et gesturus sit in posterum vir eximius. Qua divisione totum argumentum bene exhaustum est, ac negari nequit spiritus poetici vim quandam conspici in tanta descripta amplitudine laudis; in quo iudicio simul genus poeseos respicio. Noluit auctor odam scribere, quae summa tantum fastigia rerum lyrico volatu tangeret, noluit elegiam, ubi publicae laudes Messalae cum poetae doloribus aut gaudiis mixtae essent et bellicarum rerum praeconia temperata haberentur vini, amoris, rusticae vitae levioribus modis, sed voluit epicum carmen condere, unice Messalae dedicatum, cuius laudes eam ob causam per omnia potiora momenta erant deducendae. Hoc igitur ego non vitupero, ut alii fecerunt. At enim considerari etiam tractatio argumenti descripti debet, atque haec est quae plurima classico poeta indigna habet. Disputavit de vitiis carminis disertius etiam Bachius in Epist. critica in Tibullum, Pseudo-Tibullum et Propertium. Goth. 1812. pag. 27 sqq., et in editione Tibulli p. XLV. XLVI, qui multa recte monuit, quaedam iniuria vituperavit. Nos alia in Explicatione vel defendemus vel reprehendemus, hic autem quae maxime notanda videntur, ordine indicabimus. Atque ut primum de exordio et exitu dicamus, hic quidem auctor *nimiam et paene servilem modestiam ac submissiorem animum, quam decet habere ingenuum hominem*, ostendit. Sic conveniens quidem erat in exordio tenuitatem virium excusari, neque id per se aliquis reprehendat, sed vide quam multa ibi verba faciat de re, quam generosior poeta breviter significat, utque adeo deos

comparet, qui similiter munera parva non respuant. Tractavit haec per septendecim versus et tamen iam v. 26. redit iterum ad confessionem similem. Porro in exitu postquam de futuris victoriis Messalae dixit, si simpliciter addidisset: *Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis* (v. 177), nemo id iure vituperare posset, consentanea enim talis repetitio in exitus principio post tantae futurae gloriae praedictionem; sed in eo rursus modum excedit quod pergit: *Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.* Adde denique paullo post v. 197 sqq. locum, ubi submissis verbis favorem Messalae ambit: *nostri si parvula cura Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna Lydia, non magni potior sit fama Gylippi, Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.* Quae quomodo placere possunt liberaliter educato homini? Sed ne constat quidem sibi plane poeta, qui revera paullo plus sibi tribuebat, nec tam levem de se opinionem habebat quam secundum antecedentia credas, idque ridicule vel iis ipsis locis ostendit ubi modestiam affectat. Sic statim post locum modo allatum pergit: *Quod tibi si versus noster totusve minusve Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore, Nulla mihi statuent finem te fata canendi.* Alius hic simpliciter dixisset: Quodsi versus mei tibi non plane displicuerint etc.; hic autem cur *totus* addit, cur: *vel bene sit notus?* Similiter in exordio v. 24 sqq.: *At quodcunque meae poterunt audere Camenae, Seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra, Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus Hoc tibi*, cur dicit: *seu tibi par poterunt*, ne urgeam sequentia fortasse corrupta, si tanta est infirmitas virium, quantam supra in aliis locis significavit? Idem ibidem paullo post optat, ut cum multi poetae et pedestres scriptores certaturi sint laude Messalae canenda, ipse victor evadat, opinans igitur fieri posse ut superet hos omnes arte. Atque ita repugnat, ut vides, inepte sibi ipse, quia licet minime carere se confidens ingenio, simul tamen quovis modo conatus suos extenuandos censuit adulationis causa. — Deducimur hinc ad aliud vitium carminis explicandum, quod in *nimia adulatione* et *laudis exaggeratione inepta* positum est. Non reprehendam ego hoc nomine quod Nestori et Ulyssi Messalam in eloquentia praefert, illud potius iure displiceret si Demosthenem aut Ciceronem eo inferiores dixisset. Poesis mythica exempla

amat, erant autem illa nomina in rhetorum scholis celeberrima. Sed adulatio nimia manifesto deprehenditur mox in loco de silentio rerum naturae, quo die magistratum inierit Messala, qui eiusmodi est ut Principi, orbis terrarum imperatori, celebrando aptior sit quam alii duci licet egregio, atque etiam in Principis laude talia adulatoria dicas. Illud ibi aliis quoque displicuit, quod ipsum Iovem Optimum Maximum ad haec sacra ex Olympo descendere facit contra usum. Considera nunc porro mecum sequentia, ubi de futura militari gloria Messalae agitur v. 137 sqq. Iterum enim loquitur sic de hoc viro poeta, ut alius de Caesare aut Augusto loqui potuisset, cui totius imperii copiae parebant. Nec Gallia nec Hispania, ait, nec Africa et Aegyptus et Asia ad Oceanum usque resistet Messalae, quasi Octavianus ceterique eius duces nullo numero sint, sed unus omnia gesturus sit Messala solusque domiturus orbem. Ac ne his quidem contentus porro zonam australem addit praedicitque Messalae etiam huius debellationem, quale commentum quis alius proposuerit nisi pariter ineptus laudator? Hic autem ut longe excedit modum in laudis tractatione, ita etiam ubi in exitu carminis penitus addictum Messalae se profitetur, ridicula adulatione peccat. Nam v. 193 sqq. dicit: *Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas, Adversis hiberna licet tumeant freta ventis, Pro te vel densis solus subsistere turmis Vel parvum Aetnaeae corpus committere flamma,* et in fine, non satis habens iam ante per totam hanc vitam se consecrasse Messalae, et iterum iterumque promisisse laudem et carmina sua, v. 17. 24 sqq., 191. 203. ad fastidium, denique eo usque procedit ut, etiam ubi post mortem ex migratione anima in humanam naturam redierit, continuare velit inceptas laudes. Cui quaeso alii talia venerunt in mentem? Atque haec quidem de adulatione. — Tertio loco alia colligimus reprehensione digna. Talis est *malus usus doctrinae*, ut quod v. 9 sqq. deos parva munera respuere longe petitis exemplis mythologicis probat, quod vv. 79. 80. litem doctorum tangit de erroribus Ulyssis, utrum in mari mediterraneo an in Oceano Atlantico fuerint, quod v. 199. Gylippum Spartanum commemorat ubi non exspectes, denique quod digressiones duas longiores adscivit ornatus inani studio. Nam ubi Messalam etiam in altero orbe celebrem dicit futurum, data opera totum lo-

cum de divisione zonarum exponit, et ubi eum Ulyssi in eloquentia praefert, simul huius errores omnes persequitur. Dicas zonarum saltem rationem explicari debuisse ut intelligeret lector, quid vellet poeta de altero orbe dicens. Audio, modo deinde illum alterum orbem ipsum terrasque et populos, quos ibi debellaturus esset Messala, diserta descriptione propius ob oculos nobis posuisset, hoc enim exspectat lector in re tam mira. Sed de his poeta ipse nihil noverat; sic redeunt omnia ad physicam zonarum descriptionem, nec apparet quomodo eo venturus nec quomodo ibi res gesturus sit Messala. Est igitur plane inanis ornatus, quem poeta intulit, expeditionem ipsam nemo credit propterea. In altera digressione de Ulysse etiam apertior inutilitas. Nempe mali poetae, compositionis accuratioris ignari, cupide arripiunt si quid ornatum et splendorem afferre videtur, vera autem lex in usu digressionum est ut poeta, etsi videatur digredi longius a themate quasi ardore ingenii abreptus, revera tamen ne verbum quidem dicat supervacaneum, et quod non postuletur summo consilio carminis et huic prosit, quemadmodum Pindarus fecit. Ab hoc enim discere licet veram huius rei rationem, et si qui sunt hodieque qui cum Hermanno huius fabulas pro aberrationibus habeant cum reliquo carmine parum nexis, videant ne magnam iniuriam faciant summo poetae et cum tali versificatore eum comparent. Sed in viam redimus. Sunt enim in hoc carmine praeterea etiam minora varia inepte posita et in quibus iudicium desideres. Sic v. 40 sqq. ubi laudem forensem et militarem aequalem dicit in Messala, haec res comparatione trutinae inepta illustratur, ad cuius mensuram talia nemo examinare cupit. Similis generis sunt putidae divisiones et distinctiones v. 25 sqq., v. 201 sqq. Denique non tenet eam elocutionis poeticae artem poeta, quae periodos variae magnitudinis componit, nunc breviores, nunc longiores, sed singulis versibus fere per totum carmen sententiae terminantur. Verum satis nunc de his, alia in Explicatione notamus. Studuit quidem auctor ornatui, sed non assecutus est veram epicae orationis magnificentiam. Vidimus tractationem carminis.

Post haec si de auctore quaeritur, potuisse hunc poetam pro Tibullo a quoquam haberi maxime mirum videri debet. Qui enim vitia modo indicata et universum colorem carminis attente consi-

deraverit, sentiat necesse est imperfecti opus nos tenere, non classici poetae. Dicunt Scaliger, Vulpius, Huschkius in adolescentia id Albium fecisse. At enim scriptum certe est post initum a Messala consulatum ann. 723. quo anno etiam prima elegia libri primi scripta, quam secuta est ann. 725. tertia eiusdem libri. In his autem carminibus cum summa vis et virtus Tibulli conspiciatur, quomodo credi potest eodem tempore tam dissimile opus ab eo compositum? Atque etiamsi fieri posset, quod fieri nequit, ut aliquot annis prius poneretur scriptum, res eadem maneret: egregius hic poeta etiam in adolescentia non potuit haec canere, non potuit, inquam, qui generosa animi indole, vigore affectuum, elegantia iudicii, arte compositionis, elocutionis dignitate et simplicitate a mythologico alioque inani ornatu aliena tantopere eminet inter elegiacos, adolescens adulatorium et paene servile, ieiunum, ineptum ingenium habere. Quare etiam Vossius non audiendus est censens fortasse *noluisse* poetam aliter scribere quam hic factum, quo nihil legi magis mire dictum. Ac ne esse quidem malum carmen iudicat, sed bene temperatum laudis magnificentia et modestiae simplicitate, sic scilicet appellans quae supra ob oculos posuimus lectori. Quanto melius Huschkius, qui interpolata quaedam dicere malebat inesse, ut vv. 197-203., ne nimis indigna tribuerentur Tibullo. Sed contra Vossium ceterosque, qui Tibullum auctorem habent, disputavit etiam Bachius verissime. Neque ea res dubia. Abiudicarunt dudum Tibullo carmen Heynius, Mitscherlichius ad Horat. III, 25, p. 245., Eichstadius in Programmate Ienensi ann. 1806., iam supra laudato, aliique. Ac Heynius originem eius his verbis explicat: „Plura habemus huiusmodi carmina, serioris aetatis fetus, quibus poetica ars ad rhetoricas praeceptiunculus revocari coepit. Quod autem in declamationibus facere solebant ut nobile ex vetere historia nomen et factum proponerent, in quo iuvenile ingenium controversiis forensibus praeluderet, idem instituisse videntur magistri poetices, ut ex vetere, Augusteo inprimis, saeculo materiem exercitationis peterent suaeque praeceptionis exempla proponerent. In Anthologia Latina plura carmina occurrunt, quae in hunc censum referenda sunt ut iam ad Catalecta Virgilii monuimus. Sunt nonnulla ex iis in quibus ingenii vena est non obscura, alia orationis

ornatu ac dignitate imprimisque latinitate eminent, in omnibus fere lectionis bonorum poetarum et imitationis etsi plerumque molestae et ieiunae, vestigia exstant. — In laudatione autem et commendatione magnorum virorum imprimis se iactare debuerunt illorum hominum ingenia, et ex hoc genere habendum arbitror Tibullo perperam tributum hoc carmen panegyricum in Messalam, quod negari nequit nimis ieiunum, magis rhetoricum quam poeticum esse. Etiam versus asperi plures intertexti sunt.“ Disputavit nuper in eandem sententiam vir doctissimus, amicus Augustus Weichertus in Poet. Latin. Reliqq. p. 214 sqq. Ego tamen Bacchio potius assentior, auctorem poematis unum ex iis iuvenibus fuisse censenti, qui eadem qua Tibullus aliique publica calamitate afflicti et patriis bonis exuti essent. Quod enim maximi momenti videri debet in iudicanda hac quaestione, Latinitas pura est, nec ab Augustei saeculi usu recedit, concedentibus omnibus, nullum in oratione reperiri serioris aetatis vestigium. At adulationem nimiam, et exaggerationem laudis et quae alia huiusmodi supra indicavimus, serioris aetatis dices? Verum non certa signa sunt talia per se, quae etiam ab ingenio poetae eiusque minus culto iudicio repeti possunt, ac nescio an omnino tota tractationis ars imperfectior etiam inde aliquam excusationem habeat, quod Virgilianae poeseos epicae magnificentia nondum exstabat. Argumentum porro ex Valgii mentione mira petitum infirmabimus infra in Explicatione, nec Salassorum praeterita in laude Messalae debellatio eiusmodi videtur, ut seriorem aetatem probet. Quae cum ita sint, genuinum habeo hoc carmen, h. e. vere scriptum consulatus Messalae tempore et huic missum, postea vero cum altera parte libri quarti editum, sive quod Tibullus auctor videretur, sive quod propter Messalae nomen cum Tibullianis id coniungi placeret. Illud mihi probabile videtur, quemadmodum dixi in Vita Tibulli, hoc amicorum cuidam meorum placebat.

EXPLICATIO.

V. 1-38. **Exordium.** **Excusat poeta tenuitatem ingenii, orat Messalam ut benigne recipiat carmen, quo possit in posterum ei etiam alia consecrare, optatque ut victor discedat inter laudatores viri, maiores claros fama superaturi.** —

V. 1 sqq. **Te, Messala, canam.** Non displicebit spero, quod copula nulla sequitur. Nervosior est haec per se posita nuntiatio thematis. — **cognita virtus** haud dubie Messalae, ut notant etiam WUNDERLICHIUS et HUSCHKIUS; neque enim de poetica facultate cum BROUCKHUSIO et VULPIO cogitari posse satis patet. Ceterum de usu verbi HUSCHKIUS comparat PROPERT. I, 11, 17. IV, 6, 37. VALER. FLACC. I, 788. — **me et** LACHMANNUS de coniectura scripsit, sententia tamen melior, quantum video, si abest *et*. — **subsistere**, sufficere, ac comparat HEYNIUS Cic. Epist. ad Div. XI, 10: *Non si Varronis thesauros haberem, subsistere sumtui possem.* Adde OVID. Epist. ex Ponto III, 4, 83: *Res quoque tanta fuit, quantae subsistere summo Aeneidos vati grande fuisset opus.* — Lectionem **nequeant** a SCALIGERO e CUIACIANO receptam LACHMANNUS sic explicat, esse *ut* concedentis. Erit igitur constructio: ut nequeant s. etiamsi nequeant subsistere vires, incipiam tamen. In quo grammaticae quidem satisfactum est, poeta vero nunc pertinacior videbitur quam modestior. Quare etiamnunc magis placet **valeant**. Non bene separantur verba **terret ut**, quae mens sponte coniungit, ubi autem ea coniunxeris, concinnior totus locus erit perpetuitate constructionis. Quod eiusmodi est, ut etiam deteriorem scriptorem fugere non possit. Ac probarunt hoc plerique, ut nuper HEYNIUS, WUNDERLICHIUS, VOSSIUS, BACHIUS, HUSCHKIUS, GOLBERYUS. Sic **ut** est *ne non*, uti explicuit ACHILLES STATIUS, nota constructione verborum metuendi, timendi, terrendi, v. c. HORAT. I, 2, 5: *Terruit gentes, grave ne rediret Saeculum Pyrrhae.* Qui CUIACIANUM codicem descripsit, videtur mihi *ut* pr. ita ut accepisse, unde *nequeant* emendavit pr. *valeant.* Nam illud quidem manifestum est,

ortam varietatem cum de constructione particulae *ut* dubitaretur. — Sequitur nunc locus etiam difficilior, cuius quae sit vera constructio, anceps est iudicium. Videamus varias rationes, quas inire possis. Primum possunt omnia una periodo comprehendi, ut Scaliger fecit, sic: At si carmina mea laudes meritas deficiant, humilis sim laudator tantis actis neque omnino quisquam facta tua praeter te satis digne describere possit, est nobis voluisse satis. Sequuntur hoc vulgo interpretes, nisi quod Heynius, Wunderlichius et Bachius Mureti aliorumque lectionem *ac* praeferunt, quandoquidem non tam oppositio hic esse videtur quam continuatio antecedentium. Atque ita etiam mihi placet. Porro Vossius cum Heinsio asyndeton removet scribens: *tantisque humilis.* Sed hoc modo collocatio verborum deterior fit, cum vis sententiae in v. humilis sit, ac patet causa asyndeti, si quidem ipsa sententia antecedens repetitur explicatius cum gradatione quadam, clauditur autem gradatio sententiae tertio demum membro, ubi copula. Tamen non nego poeticae orationi in tali re magis convenire copulationem omnium membrorum quam asyndeton in medio loco. Atque haec quidem de his. Alio modo Huschkius est omnia complexus una periodo sic: At si carmina poesios deficiant laudes tuas, si (pr. sim) humilis historiarum conditor tantis actis scil. deficiat, neque alius quisquam facta tua praeter te digne describere queat, est nobis voluisse satis. Quae nemini placitura credo; quod imaginatur vir doctus carminis heroici conditorem et pedestrem scriptorem historiarum sibi opponi, distinctioribus verbis id fieri debebat quam hic est factum, ne dicam de ceteris quae displicent. Videamus porro alios modos. Nam quae in antecedentibus una est visa periodus, potest etiam dividi, et primum quidem sic: At si carmina mea laudes tuas deficiant, esto sim humilis tantis actis conditor, nec poterit omnino quisquam digne te laudare praeter te ipsum. Est nobis voluisse satis. Sed minime placet nobis ut Golberyo hoc genus constructionis. Restat igitur ultima ratio consideranda, quam probare Lachmannus videtur. Cum enim vulgo *a meritis* legatur, sic construit: „Si ex praestantia iudices carmina s. si a meritis ea laudes, haec quidem deficiant, humilis sim conditor tantis actis neque omnino quisquam res tuas digne laudaverit. Est nobis voluisse satis.“ Nam *meritum* est etiam

dignitas, virtus innata, qua quaelibet res censetur et in pretio est. MARTIAL. VIII, 65: *Grande loci meritum testantur et altera dona.* Imprimisque apud seriores saepius reperiri hanc significationem docet FORCELLINIUS. Contra in antecedentibus posuimus ubique aliam locutionem hanc: si carmina mea meritas laudes deficiant, h. e. si poesis mea non reddat laudes meritas, sed debilior, exilior sit et desit laudibus rite dicendis, quod etsi plane similibus exemplis illustrari nequit, tamen ab usu vulgari v. *deficere* non abhorret. Atque haec hactenus. Viderit his enarratis lector ipse quid eligat. Aut primum aut ultimum explicata ratio vera, atque ego illam veriorem habeo. Nam melius tamen hypothetice loquitur, si reperiatur inferior, at voluisse satis esse, quam ex altera ratione statim concedit merita non habiturum carmen. Accedit quod locus sic non tam multas pausas habet et divisa membra, sed unitate grandioris structurae placet; praeterea non bene dixerit poeta de se loquens: si carmina mea laudes a meritis pr. iudices. — Pergamus ad singula. Conditor, auctor, narrator, scriptor. OVID. Trist. II, 335: *Divitis ingenii est immania Caesaris acta Condere.* VIRG. Eclog. VI, 7: *tristia condere bella.* Sed vituperatus est poeta, quod non genitivi constructionem praetulerit, veluti OVID. Trist. V, 1, 10. dicat: *Sumque argumenti conditor ipse mei.* Frustra. Dativus hic significantior est. Genitivi sensus esset: si condiderim humiliter acta tanta; dativi hic est: si ad tanta acta rite canenda humilis esse deprehendar conditor. Ceterum ad v. *humilis* cf. PETRON. Sat. 83: *Ego poeta sum et ut spero non humillimi spiritus.* — Mox praeter te dicit, cum Messala pacis artibus non minus clarus esset quam belli. In poematio Ciris (v. 36. appellatur doctissimus iuvenum, et constat celebre eius nomen inter oratores fuisse, cf. SPALDING. ad Quintil. I, 5, 15. et ELLENDTII Proleg. in Cic. Brut. pag. CXXXVI. Praeterea poeseos et philosophiae laude eximia florebat, cf. VIRGIL. Catal. XI. et HORAT. III, 21, 9. Talis igitur vir etiam res gestas suas optime descripserit, ut comparante VULPIO Livius de Cicerone dicit ap. SENEC. RHETOR. Suasor. 6: *Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit et in cuius laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.* — Porro chartis intexere est man-

dare litteris et describere. Constat *texere* cum compositis metaphorice dictum de scriptis, cf. Brouckhus. infra ad v. 211. Comparat Forcellinius Petron. 118: *Sensum teneriorem verborum ambitu intexuit.* Adde etiam Pindar. Isthm. I, 16: *ἐναρμόξαι μιν ὕμνῳ*, et Callim. in Del. 28: *εἰ δὲ λίην πολέες σε περιτροχόωσιν ἀοιδαί, ποίῃ ἐνιπλέξω σε;* — dictis ut non maiora supersint. Auctor Rhetor. ad Herenn. III, 6: *vereri nos, ne cum multa dixerimus, plura praetereamus*, quod confert Vulpius. Sed noster melius dixit. — Est nobis voluisse satis. Afferunt Vulpius et Heynius Panegyr. ad Pison. v. 202: *Quodsi digna tua minus est mea pagina laude, At voluisse sat est, animum non carmina iacto.* — V. 8 sqq. Comprobaturus diis ipsis munera parva placere, exempla e mythologia petit talia, de quibus in hoc argumento nemo facile cogitaverit. Castigat ineptam eruditionem poetae etiam Bachius in Epistola critica pag. 33. — Phoebo gratissima dona Cres tulit. Heynius: „Unice vera est Barthii sententia Advers. III, 6. fabulam ab Homero in Hymn. in Apoll. 391 sqq. memoratam respici. Apollinem cum occiso Pythone templum condidisset, ex omnibus sibi terrarum incolis, qui sacra facerent, homines quosdam probos ac pios ex Gnoso, Cretae urbe, delegisse. Hos per Cretem, *Κρῆτα*, collective singulari numero declarat. In hac sententia acquiescunt etiam Brouckhusius et Vulpius.“ Fabulam exponit etiam Müllerus Hist. Doriens. T. I. p. 210. et Hoeckius in Creta T. III. p. 149 sqq. Locutionem vero *dona ferre*, quae ad sacrificia pertinet, cum Passeratio Brouckhusius illustrat, comparans Virg. Aen. V, 101. VII, 86. alia. — Icarus. Vulpius: „Hic Atticam incolebat. Cum vero Bacchus vini utilitatem et suavitatem hominibus ostensurus peregrinaretur, ad Icarum devertit, qui eum liberaliter hospitio excepit. Deus hospitem utre vino pleno remuneratus est, iussitque ut ad finitimos vitis sationem ac vindemiam propagaret. Icarus deinde onerato plaustro cum Erigone filia et cane Maera ad vicinos quosdam pastores venit, et cum iis dei munus communicavit. Pastores cum immoderatius bibissent, ebrietate correpti sunt. Putantes igitur sibi venenum datum, Icarum fustibus occiderunt et cadaver insepultum abiecerunt. Canis autem id Erigonae monstravit, quae in arbore proxima se suspendit.

Sed a Baccho inter sidera relata est cum patre et cane. Volunt eam Virginem esse, Icarus Arcturus factus, canis Canicula.“ Idem locos affert ubi fabula narratur, ut Hygin. Astron. II, 4. — ut testantur sidera, Erigoneque Canisque, h. e. quam gratus fuerit Icarus Baccho, inde apparet, quod deus etiam filiam et canem inter sidera retulit. — longior aetas, remotior. Sil. Ital. VI, 627: *remeans longis Tirynthius oris.* — V. 13 sqq. Molorcheis tectis. Heynius: „Hercules cum ad leonem Nemeaeum interficiendum proficisceretur, iuxta Cleonas a Molorcho vinitore parvae casae hospitio exceptus est, vid. Apollod. II, 5, 1. qui locus classicus. Alia vide apud Brouckhusium. Hospitalitatem Molorchi etiam aliis locis poetarum celebratam videas, ut a Martial. IV, 64. extr.“ — posuit vestigia tectis, cf. ad III, 4, 24. Laeta, ipse laetus, lubens. — Parva mica, scil. turis, quod pauperes diis incendebant, aut salis cum farre pio mixti, ut est apud Horat. III, 23, 18-20., loco a Brouckhusio, Vulpio, Wunderlichio comparato: *Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos penates Farre pio et saliente mica*, ubi etiam oppositionem similem habes. De qua Heynius praeterea Burmannum laudat ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 37. Denique placavit est placare solet. — inaurato cornu. Constat de hoc usu primum ex Homero, Il. X, 292. Odyss. III, 384., deinde aliis ex locis abunde, ut Plin. XXXIII, 3, 12: *Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiae, maiores duntaxat, immolarentur.* Quae Brouckhusius iam attulit, addens obiter etiam minores victimas apud Graecos inauratas, ut Liv. XXV, 12. ostendit. — Mox labor de opere poetico, Virg. Eclog. X, 1. Similiter πόνος Graece, cf. nos ad Pindar. Nem. III, 12. — V. 18 sqq. Canat alius originem mundi et praeferat illud thema ceteris omnibus, meae vires tuae laudi consecratae erunt. Nobile argumentum poeseos cosmogonia ut constat, et didacticum carmen de rerum natura, cf. Virgil. Eclog. VI, 31 sqq. et annotationem supra ad II, 4, 17. — Alter, alius, ubi duo cogitantur, cf. I, 9, 79. — Qualis desederit, ut terra propter gravitatem suam descenderit et subsederit in aëre, infimum locum occupans Ovid. Met. I, 29. comparante Vulpio: *Densior his tellus elementaque grandia traxit Et pressa est gra-*

vitate sui. Ceterum vulgo poetae *subsidendi* verbo utuntur in hac re. *Desidere* tamen dixit Lucil. Aetn. 103. ubi alia ex Seneca comparat Iacobus p. 108. — Qualis et in curvum ĕtc., ut pontus a finibus terrae Oceano cinctis confluxerit natura sua curvum in orbem in centro. Videbatur enim terra ab ambitu versus centrum paulatim descendere depressa, et in medio mare mediterraneum esse, ut monet ad hunc locum Vossius. — V. 21 sqq. lego: Et vagus a terris sqq. tum Huic ut etc. h. e. ut qua surgere aër a terris nititur, ibi, in altioribus locis, contextus ei aether fluat. Sic recte Wunderlichius, nec video contortam hanc rationem esse, ut Huschkius opinatur. Manifestum est non de origine elementorum hic agi, ut alterum ex altero prodierit, sed de sedibus et de dispositione eorum per mundum, cui rei plane convenit proposita constructio. Neque opus erat ut separatim diceret de aëris sede et aetheris, seiunctis commatis, sed bene varians orationem una constructione verborum complexus est utrumque. Quis enim non videt aërem inter terram et aetherem s. ignem sublimem significari positum? Probamus igitur primum Barthii emendationem *a terris* egregiam; quod Vossius, ceteroquin Wunderlichii constructionem secutus, tamen *e terris* retinet et sic defendit, aërem e vaporibus terrae oriri et surgere, facile patet, quid huic rationi obstet. Nam qua aër e terra surgit, est superficies terrae; ibi autem quomodo ei aether dici potest contextus esse? Nihilominus secutus Vossium Bachius est. Altera vero locutio, qua vagus aër a terris surgere nititur, tam bene convenit superioribus locis, cum relicta vicinitate terrae aër liberius diffusus nititur penetrare altius, ut aegre credam aliud voluisse poetam. — Porro huic ut receperat iam Heynius. At contextus est connexus, transeunte altero in alterum. Denique passim fluat dictum suaviter pr. diffundatur expansus in omnes partes. Explicuit Mitscherlichius in Lectt. in Catullum p. 150. ad Carm. LXIX, 358. ubi verba: *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri, Quae passim rapido diffunditur Hellesponto.* Nunc imprimis apta locutio propter amplitudinem locorum superiorum. Est autem liquidus aether igneus, veluti *liquidus ignis* pr. aethere dictus Virg. Eclog. VI, 33. Haec hactenus. Aliam rationem excogitavit Huschkius sequente Golberyo. Scri-

bit et construit: ut vagus, e terris qua surgere nititur, aër, huic et contextus passim fluat igneus aether, h. e. ut aër vagus passim fluat ubi e terra surgit, et huic contextus aether scil. passim fluat. Primum vero cui placere potest haec repetitio vv. *passim fluat*, quae maxime ieiuna! Sed est malus poeta auctor. Adde igitur alterum: estne contextus aether aëri e terra surgenti? Minime, hoc ante iam monui. Vides igitur nihili esse haec. Verum satis de hoc loco. — Pendentique super recte iungit WUNDERLICHIUS, conferens HORAT. Epod. V, 80: *Tellure porrecta super.* — V. 25 sqq. Seu tibi par poterunt, h. e. factis tuis, seu ultra poterunt et plus pari, quod tamen spes abnuit. Sic BACHIUS reposuerat et nunc etiam LACHMANNUS restituit iubentibus libris. Nec caret hic poeta vanitate. Aliter cum VULPIO scribitur: *sed — — ultro;* quod velles librorum auctoritate niteretur, nam removetur sic tertium ineptum momentum. Atque ita HEYNIUS malebat et WUNDERLICHIUS. — vovemus. SIDON. APOLL. c. VI, 35. comparante HUSCHKIO: *Publicus hic pater est, vovi cui carmen, Avitus, Materia est maior, si mihi Musa minor.* Alteram lectionem *movemus* praetulit VOSSIUS cum PASSERATIO, laudans VIRG. Aen. VII, 45: *maius opus moveo*, v. 641: *cantus movete*, OVID. Fast. VI, 760: *nimiae moverat artis opus.* Placuit idem BACHIO in Epist. crit. p. 35 sqq. et in editione sua Tibulli. Sed recte observat HUSCHKIUS: „Futura carmina simul omnia nunc *movere* quo tandem modo possit poeta? At potest quae fortasse aliquando *movebit*, iam nunc omnia *vovere* patrono.“ — tanto carmine HUSCHKIUS positum suspicatur pr. tanti nominis, tanti ponderis carmine et inde manasse ex interpretatione verba: *nomine* et *pondere*, quae in nonnullis libris. VOSSIUS male *pondere* recepit, quod sequitur BACHIUS, HEYNIUS *nomine.* Idem confert HORAT. IV, 9, 30: *Non ego te meis Chartis inornatum silebo.* — V. 28 sqq. antiquae gentis. Quis Valeriam gentem ignorat, claram per omnia tempora reipublicae? superant tibi. SALLUST. Cat. 21: *Quis tolerare potest illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse?* — tua gloria, tu, cf. ad I, 2, 11. Conferunt PROPERT. II, 7, 17. — quaque index sub imagine, vulgo titulus dictus, indicans breviter nomen et merita viri. VALER. MAXIM. V, 8, 3. de Torquato Manlio: *Vi*

debat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat, prudentissimoque viro succurrebat effigies maiorum cum titulis suis idcirco in prima aedium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. Vide Lips. Elector. I, 29. et quae Passeratius, Brouckhusius, Vulpius laudant. De imaginibus autem ipsis classicus locus est, ut constat, ap. Polybium VI, 35. cum annotatione Schweighaeuseri Tom. VI, p. 392. — Nec quaeris quid dicat. Heynius: „nec curas te maiores habere tot honoribus et triumphis claros, ut eorum laude contentus ipse ignavus desideas." — V. 33 sqq. sub nomine. Non est cur mutetur haec lectio. Sub imagine nomen fuit, cui subscripta facta viri. Ab imaginibus cera expressis differebant stemmata post Ciceronem memorata, h. e. serta foliorum quae discurrebant ad pictas imagines in atrio positas, ut series cognationis perspiceretur. Vide Plin. XXXV, 2. Senec. de Benef. III, 28. Quae Wunderlichius iam contulit. Confudit cereas imagines et pictas Lipsius; noster poeta de illis dicit. — Aeterno versu, qui aeternam servet memoriam rerum tuarum; non interitura enim sunt quae docta poetarum arte celebrantur. — quique canent vincto pede, quique soluto, in quo *canent* per zeugma etiam ad historicos translatum. Ceterum Heynius comparat Stat. Silv. II, 7, 22: *qui vos geminas tulit per artes Et vinctae pede vocis et solutae.* De duplicato pronomine *quique* cf. Vossium ad Virgil. Georg. II, p. 316. — Quis potior, certamen erit. Notabis auctorem recitationes poetarum in animo habere publicas, de quibus dixit Lipsius Epist. Centur. 2. ad Belg. ep. 48. — Ut nostrum tantis inscribam etc. Qui palmam fert inter recitatores, edit opus suum, ceteri sua retinent. Victori igitur continget, ut nomen suum publice legatur in magnis Messalae actis inscriptum (s. in carmine tanta acta celebrante) hisque rebus societur. Hic est sensus verborum.

V. 39-81. Ad laudes ipsas accedit, ac cum duo sint in Messala aeque praeclara, forensis laus et militaris, primum de forensi laude dicit, quo loco Nestorem et Ulyssem comparans mox evagatur in huius errores.

V. 38 sqq. Cum multi Romani eloquentiam cum scientia militari coniunctam haberent, nemo tamen maior in his rebus fuit Messala, cuius parem in utroque genere laudem trutinae comparatione illustrat. Veluti cum libra, ait, pari pondere premitur et aequalia pondera gerit utrinque, nec subsidit pronior hic et elevatur illic. Sedet, ut LUCRET. V, 475: *Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent.* Comparativum plus autem WUNDERLICHIUS recte cum prona iungit, veluti est NEMESIAN. Eclog. 4, 72: *Plus tamen ipse meus, plus est formosus Iolas.* Nam *sedere* per se opponitur verbo *surgere*, et convenit utrumque inaequalibus lancibus. Atque hic quidem absolvitur comparatio. Sed poeta, quod minime necessarium erat, ultimum versum perverso iudicio illustrandum censuit novo disticho. Dixerat enim: Nec altera parte deprimitur, altera elevatur. Nunc pergit: Ut fit, si quando inaequatum onus in lancibus est. Tunc enim instabilis natat, h. e. vacillat, huc illuc fertur. De qua significatione v. *natare* WUNDERLICHIUS comparat SENEC. Epist. 35: *Mutatio voluntatis indicat animum natare*, et HORAT. Sat. II, 7, 6: *Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget Propositum: pars multa natat, modo recta capessens, Interdum pravis obnoxia*, ubi adde HEINDORF. Nam de animo quidem fluctuante saepius dicitur hoc verbum, ut constat. — alterno depressior orbe, nunc dextra lance, nunc sinistra magis inclinata. Est igitur *orbis* hic lanx librae rotunda. Atque haec hactenus. Ut denique de comparatione ipsa verbum addam, VOSSIUS monet trutinae comparatione in describendo certamine pari Troianorum et Achivorum HOMERUM uti Il. XII, 433. Sane; et illic quidem optime res habet. Hoc loco vero HEYNIUS recte sensit putidam esse comparationem. Satis profecto erat simpliciter dicere, parem Messalae esse in utroque genere laudem; ostendere vero data opera tam exactam esse aequalitatem, ut ponderum in trutinae aequilibrio, ridiculum est, quia nemo hoc postulat aut exspectat in tali sententia. — V. 45 sq. Nam seu diversi sqq. h. e. seu vulgus dissidens in comitiis variis agitatus sententiis fremat; in quo *fremere* est de clamoribus dissidentium, et *diversus* in varias partes tractus. LUCAN. IX, 217: *fremit discordia vulgi.* Comparat BROUCKHUSIUS Virg. Aen. II, 39: *Scinditur incertum*

studia in contraria vulgus. — Non alius sedare queat, scil. praeter te. Vide ne etiam hoc, sic dictum, nimiae sit adulationis. Iuvabit autem conferre egregium locum Virgil. Aen. I, 148 sqq. laudatum a Vulpio, nisi quod illic de seditione sermo est, hic autem de notis certaminibus comitiorum, quae et ipsa componit eloquentia praepollens magni viri. — seu indicis ira cet. h. e. seu pro reo causa publica agenda est. Nam, ut dicit Cicero Partition. Orator. c. 4: *Est propositum* (accusatori) *ut iratum efficiat iudicem.* — V. 48 sqq. Non Pylos aut Ithace sqq. Comparat nunc heroes Homericos. Sed cur hos? Nempe originem eloquentiae repetebant veteres ex mythica aetate praeeuntibus sophistis, et iam in Homericorum heroum orationibus tria, quae distinguebantur genera dicendi, sibi videbantur reperire rhetores. Gell. Noctt. Att. VII, 14, 7: *Sed ea ipsa genera dicendi iam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus: magnificum in Ulixe et uber est, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore.* Ac principatum in eloquentia Nestori et Ulyssi tribui ab Homero statuebant, qui iam apud Platonem Phaedr. p. 261, B. hoc nomine laudantur, ubi plura de his rebus citata vide ab Astio. Addo locum Syriani in Comment. in Hermog. ideas fol. 35, b., apud Spengelium in libro de Artium scriptoribus laudatum pag. 119: *Περὶ δὲ τοῦ Ὀδυσσέως φησὶν: ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι οἱ λόγοι αὐτοῦ, αἰνιττόμενος τὸ πλῆθος τοῦ λόγου ὑψηλόν τε καὶ πυκνὸν καὶ καταπληκτικὸν καὶ τὸ μεστὸν τῶν ἐνθυμημάτων καὶ τούτων ἀθρόως λεγομένων, ὁποῖός τίς ἐστιν ὁ Δημοσθένης· ἐπεισάγει δὲ τὸν Νέστορα, χαρακτηρίζοντα τὸν Ἰσοκράτη· ἔχει γὰρ τὸ πιθανὸν ἐκ τῆς ἡδύτητος τοῦ λόγου καὶ τὸ ἀξιόπιστον ἐκ τῆς πλαγιότητος καὶ πείρας τῶν ἱστοριῶν· πλήρης γὰρ δογμάτων καὶ Ἰσοκράτης, κεκαλλωπισμένος τὸν λόγον εἴπερ τὶς ἄλλος. ὅθεν καὶ οἱ τεχνικοὶ τὰ παραδείγματα τῶν παρισώσεων καὶ ἰσοκώλων καὶ ἐπαναφορῶν καὶ ἐπαναστροφῶν καὶ πάντων τῶν σχημάτων τῶν λόγον καλλωπιζόντων ἐξ αὐτοῦ παρειλήφασιν, ἃ καὶ περὶ Νέστορος ὁ ποιητὴς ἐπιμαρτύρεται λέγων· τοῖσι δὲ Νέστωρ κ. τ. λ.* Il. I, 247 sqq. Ubi vides Ulyssem cum Demosthene et Nestorem cum Isocrate comparatum, atque Ulyssi *τὸ δικανικὸν* tribuebant, Nestori *τὸ συμβουλευτικὸν*, cf. Auctor. Prolegg. in Hermog. p. 4. apud Aldum. Quare, cum

Messala in utroque genere excelleret, hos duos commemorandos censuit poeta. Eosdem Statius laudat Silv. V, 3, 114. — decurreret. Wunderlichius, quem sequitur Huschkius, perfectum *decurrerit* praefert, quia praecedens *vixerit* non aoristi, sed perfecti proprie dicti vim habeat, cui non credit recte iungi imperfectum. Sed certissimum est nihil incommodius hic inferri posse perfecto, nihilque aptius et verius esse imperfecto. Vide ad I, 2, 65. — per orbem, per caelum, I, 2, 50. — terna Saecula, Graeci *γενεάς* dicunt, quae tamen breviores, ut constat, Italicis saeculis. Sic factum ut Latini trecentos annos Nestori dederint, de quibus non cogitavit Homerus. — fertilibus horis, h. e. tempestatibus anni, veluti Horat. notissim. loc. I, 12, 16: *variisque mundum Temperat horis.* Construes autem *terna saecula fertilibus horis.* Infra dicit: *Centum fecundos Titan renovaverit annos*, et v. 122: *fertilis anni.* In vicissitudine temporum causam fertilitatis positam quis nescit, unde Graecis *Ὧραι εὔκαρποι, ἀγλαόκαρποι.* Quaeras porro quam utilitatem hoc loco habeat fertilitatis mentio. Nempe in elegiis Tibulli non sane occurrit huiusmodi quid, quod non adiuvet sententiam, sed nunc in epico carmine versamur, quod genus multa habet ornamenta non singulorum locorum causa posita, sed ut color universae orationis splendidior fiat. — per ignotas urbes. Et quamquam, ait, ille *πόλλων ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*, et plurima didicit in his erroribus. — Qua maris extremis cet., ubi terra Oceano includitur, qui postea etiam mare dictus. Comparat Heynius Sever. Aetn. 94: *Quacunque immensus terrae se porrigit orbis, Extremique maris curvis incingitur undis.* Adde Cicer. Somn. Scip. c. 6: *Omnis terra parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris.* Ceterum indicat poeta his verbis terminum errorum, unde vides erraverit qua includitur esse breviter dictum pr. erraverit usque eo qua. Conf. infra 147. et sic Pindar. Nem. III, 25. de Hercule: *διά τ᾽ ἐξερεύνασε τεναγέων Ῥοάς, ὅπα πόμπιμον κατέβαινε νόστου τέλος*, et perscrutatus est vadorum fluenta quousque ad extremam veniret navigationis metam. — V. 54 sqq. Ciconumque manus reppulit, scil. cum urbem caperet, quod factum

ante fugam, Odyss. IX, 39 sqq.; unde Odyss. XXIII, 310. simpliciter dicitur *Κικόνας δαμάσαι*, quod respexisse Huschkius putabat poetam. — Lotos. Vide fructum descriptum a Vossio ad Virg. Georg. II, p. 292 sqq. V. avertere est absolute dictum pr. avertere a via. — cessit, vincere non potuit orbatus oculo. Aetnaeae incola rupis, sub Aetna habitans, ut post Homerum credebant plurimi, cf. Voss. ad Virgil. Georg. I, 471. Cluver. Sicil. antiq. I, 2. — Victa Maroneo lumina Baccho, quod vinum Ismaro direpta secum abstulerant, Odyss. IX, 165 sqq. Voss. ad Virg. Georg. II, 37. — foedatus lumina. Comparat Wunderlichius Virg. Aen. VII, 575: *foedatique ora Galesi*, Tacit. Hist. III, 77: *Iulianus verberibus foedatus*, Ovid. Met. XIV, 190: *brachia tabo foedata.* — V. 59 sq. Incultos, feros, a cultu humano plane alienos, fere ut *illaudatus Busiris* est dictus. — Artacie, Odyss. X, 108. Tum ad verba: quos irrigat conf. infra v. 146. et Pindar. Ol. IV, 12: *καὶ σεμνοὺς ὀχετούς, Ἵππαρις οἷσιν ἄρδει στρατόν.* — V. 61 sqq. Solum, inter socios. — doctae, magicarum artium peritae. — apta, ut infra v. 82. *tenet aptius* pr. doctius, peritius, et *apta mutare*, veluti *idoneus* c. infinitivo dicitur. Porro notabis cumulatam dictionem *apta vel herbis Aptaque vel cantu*, pr. simpliciori legitima: apta vel herbis vel cantu, aut: apta herbis aptaque cantu. Conf. ad III, 4, 52. Wunderlichius comparat Virg. Eclog. X, 11: *Nam neque — nam neque.* Denique veteres est priores, ut Passeratius Vulpiusque conferunt Virg. Aen. VI, 448: *iuvenis quondam, nunc femina Caeneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram.* — V. 64 sqq. Cimmerion Graeca flexione, vulgo rariore in nominibus populorum, vid. Schneid. Grammat. Lat. Tom. I, p. 83. defensa tamen recte a Vossio. Ac plura Graece flexa nomina in hoc carmine. Forma Latina *um*, veluti est *Argivum*, *Danaum*, cur usus non sit hic, ipse vides. — arces, ut Homerus *πόλιν* commemorat, Odyss. XI, 14. — Quis nunquam etc. h. e. quibus nunquam sol ortus est pulchro lumine suo, sive supra terram versans sive infra, quod patet de die et nocte dici, statuente poeta solem descendentem vespere infra noctu lucere, donec mane ad nos redeat. Sic apud Pindarum Fragm. Thren. I. sol hic noster noctu in Elysio lucet, mane ad

nos redit. Non igitur ad verbum expressit poeta HOMERUM Odyss. XI, 15: *οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὐδ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχησι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, Οὐδ᾽ ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προτράπηται*, licet ante oculos habuerit, sed alias opiniones secutus est. Habitabant autem in extrema terrae ora Cimmerii, ut vel superni vel inferni solis lumine tacti fuissent, nisi densae nebulae iis incubuissent, *nebulae caligine mixtae*, ut OVIDIUS Met. XI, 595. dicit. Quare expeditus videtur locus. VOSSII lectionem „*candente dies apparuit aestu*," non probabis, quippe non una de causa damnandam, sed illud potius tenebis, *candentem ortum diei* proprie dici Romanis solis ortum. Sic OVIDIUS dicit Met. VI, 49: *Ut solet aër Purpureus fieri, cum primum Aurora movetur, Et breve post tempus candescere solis ab ortu.* Differt *albescere* et *albens coelum*, quod de prima luce est ante Auroram. — V. 68 sq. Magna deum proles, *θεῶν ἐρικύδεα τέκνα* ODYSS. XI, 631. HEYNIUS comparat. Sunt heroes. Porro levibus discurreret umbris dictum ut „incedere forma humana." Sunt enim ipsi heroes nunc levis umbrae, ut vidit PASSERATIUS, ususque est poeta locutione, *magna deum proles*, huius ipsius oppositionis causa. *Discurrere* est errare, vagari per Orcum. Nam sic alias *vagari* ponitur, ut OVID. Trist. III, 3, 63. Met. VII, 611., et Graeci *ἀλᾶσθαι* dicunt de umbris in Orco, v. c. AESCHYL. Eumenid. v. 98. Errat autem vehementer HUSCHKIUS *discurrerit* scribens; vidit aoristum esse cui non liquet? — V. 70 sqq. inter geminae confinia mortis, inter Scyllam et Charybdin, nantem, navigantem. Imitatur CLAUDIAN. XLIV, 70. notante VOSSIO et WUNDERLICHIO. Cum HOMERUS Odyss. XII, 73 sqq. duos scopulos memoret, per quos transeundum esset Ulyssi, HUSCHKIUS lectionem: *inter gemini confinia montis* praetulit, non sentiens quanto illa sit pulchrior. — Scyllae impetus, Scylla impetum faciens in socios saevo ore, quorum sex abripuit. Est vero saevo ore collective dictum, ut supra I, 3, 71: *Tum niger in porta serpentum Cerberus ore Stridet*, nam erant ei *ἓξ δειραὶ περιμήκεες*. — Mox construe: Cum canibus fera, h. e. collis et faucibus saevis canum instructa, serperet inter undas. Unice verum est *fera*. HOM. Odyss. XII, 79 sqq.: *Τῆς δ᾽ ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα πάντες ἄωροι,*

Ἓξ δέ τέ οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ Σμερδαλέη κεφαλή, ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες, Πυκνοὶ καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο. Μέσση μέν τε κατὰ σπείους κοίλοιο δέδυκεν. Ἔξω δ' ἐξίσχει κεφαλὰς δεινοῖο βερέθρου, Αὐτοῦ δ' ἰχθυάᾳ, σκόπελον περιμαιμώωσα, Δελφῖνάς τε κύνας τε, καὶ εἴποτε μεῖζον ἕλῃσιν Κῆτος, ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη. Capita Vossius Epist. Mythol. I, 33, et ad Virgil. Eclog. VI, 74. intelligit anguina, secutus Scholia ad v. 91: *Σμερδαλέη κεφαλή· κατὰ μὲν τοὺς πολλοὺς κυνός, πιθανώτερον δὲ δράκοντος· καὶ γὰρ μόνος δράκων τρεῖς στίχους ἔχει ὀδόντων.* Tamen noster poeta cum plerisque canina fuisse statuit, cum etiam *πόδες* memorati serpenti non conveniant. His igitur collis Scylla serpens inter undas venationis causa, repente elatis faucibus abripuit sociorum partem. Quare omnia sic clara sunt. Alii cum Passeratio *canibus rapidas undas* probant et interpretantur insanum in modum concitas et commotas a latrantibus monstris, quibus succincta Scylla, in quo ne de succincta canibus Scylla dicam ab Homero aliena, cf. ad III, 4, 89., etiamsi colla canina intelligas, ineptissima conspicitur iunctura verborum, quae unquam excogitari potuit. Quare iure mireris Huschkium, qui scribens: *quin canibus rapidas inter freta curreret undas*, ad Ulyssem relato hoc versu, simili sensu *canibus rapidas* iungit, intelligitque rapaces per canes Scyllae. Quae quis concoquat hodie? Eandem perversam constructionem Vossius adoptavit et Bacchius, explicant autem marinis monstris plenas infestasque naviganti, nova re illata, de qua Homerus ceterique scriptores tacent, solam Scyllam et Charybdin, non alia praeterea minora monstra, in istis fretis memorantes. Et recte quidem non memorant; quis enim leviora talia recordetur inter maxima ista miracula? Ne plura; satis defendimus explicationem nostram. — V. 74 sq. Nec suo consumsit more Charybdis, h. e. neque etiam eo modo interiit, quo ab altera parte Charybdis perdere solet. Vides *suo more* optime dictum propter oppositionem antecedentium, et minime otiosum ut videbatur Heynio; quare etiam Vossius erravit, e prava librorum complurium scriptura „*in ore*" qui censuerit „*in orbe*" esse eliciendum, idque continuo in textum intulerit. Taceo alias aliorum coniecturas *sua mole*, *sua morte*. — fluctu consurgeret imo, sublato imo fluctu. Constructio

nota. PINDAR. Nem. X, 69: ἐφορμαθεὶς ἄκοντι θοῷ. VIRGIL. Aen. X, 299: *consurgere tonsis.* — interrupto gurgite. PROPERT. III, 12, 28: *alternas scissa Charybdis aquas.* Cum nunc contrarius motus describatur, VOSSIUS verbum postulans, quod v. *sublimis* oppositum sit, *infra rupto* de coniectura scripsit, male. Recte quidem postulat in principio versus verbum antecedentibus oppositum, sed hoc revera adest. Ante enim surgens est fluctus descriptus, nunc dehiscens describitur unda, quod ipsum manifesto est oppositum. — nudaret pontum. Comparat HUSCHKIUS Liv. XXVI, 45: *Acer etiam septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quo aestus ferebat, et adeo nudaverat vada.* Ac *pontum* dixit ima profundi maris. Constat enim in hac voce profunditatis notionem inesse. — V. 76 sqq. violata pascua, abductis inde armentis et mactatis. Exquisite dictum. — vagi Solis, ut CATULL. LXIV, 272., et *vaga luna* HORAT. Sat. I, 8, 21. Nempe *vagari* de motu siderum dicitur quae non fixa, et significat alia atque alia loca adire, ut monet etiam WUNDERLICHIUS, qui *errantem lunam* comparat VIRG. Aen. I, 742., cum HEINDORFIO ad Horat. l. cit. Ac ne certus cursus solis, lunae, planetarum male te habeat in ea re, apud APPULEIUM IX, p. 184. asinus in mola *vagatur errore certo.* Eiusdem generis sunt πολύπλαγκτα ἔτη SOPH. Ai. 1175. a WUNDERLICHIO memorata. — fecunda arva, ager fertilis et amoenus Ortygiae laudatus ab HOMERO. — Mox erroris miseri SCALIGER, BROUCKHUSIUS, VULPIUS. Nam *miseri* vulgo libri habent et *erroris* CUIACIANUS. Recte. PROPERT. III, 12, 36. de Ulysse: *Errorisque sui sic statuisse modum.* ALDINA 1515. et MURETUS, STATIUS, PASSERATIUS, HEYNIUS, VOSSIUS, BACHIUS, HUSCHKIUS, GOLBERYUS *errorum misero* praetulere ex aliis. Sed sunt hae emendationes loci non necessariae, olim factae. — V. 79 sqq. Dubitabatur inter veteres, ut BROUCKHUSIUS et HEYNIUS annotant, Ulyssis errores in nostro orbe an extra eum in Oceano Atlantico fuissent. De quo copiose secundum vetustiores STRABO egit libr. I. Vide etiam SENEC. Epist. 88: *Quaeris, Ulysses ubi erraverit, potius quam efficias, ne nos semper erremus. Non vacat audire utrum inter Italiam et Siciliam iactatus sit an extra notum nobis orbem; neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.* Item-

que Gell. Noct. Att. XIV, 6, 3: *Atque illud etiam scriptum fuit — utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulixes erraverit κατὰ Ἀρίσταρχον, an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα.* Res nota. Disputavit de ea quaestione etiam Cluverius Sicil. Antiq. II, 17. Sed veram Homeri sententiam nuper optime explicuit Völcker, vir doctissimus, in libro de Geographia Homeri. Redeamus ad nostrum poetam, qui melius tacuisset hanc doctorum litem, nec poetica est talium rerum mentio; sed luculentiore formula claudere voluit hunc locum. Est autem nostras inter terras cognita pr. visa, facta in mediterraneo mari, nostris terris interiecto.

V. 82-176. De militari gloria Messalae. Ac primum quidem a v. 82-117. de scientia militari et rebus hucusque bello ab eo gestis.

V. 82 sqq. Iam transitioni inservit, ut saepe. Sensus: Iam illud commemorandum est, ut nemo te melius militares artes teneat. Eundem transitum habet v. 98. ubi castrorum ratione tractata ad tacticen accedit. Omnino in transitionibus repetitiones reperiuntur neque magna est ars poetae in hoc genere. — In sequentibus obliquam orationem per quindecim versus continuatam videbis, nimis diu, credo. Nam in poesi variationibus constructionis opus est multo magis quam in prosa oratione, hoc autem obliquum dicendi genus optimus quisque poetarum vel imprimis cavit ne continuaret nimis diu. Sed videamus singula. — Qua deceat cet. Primum dicit de castrorum ratione. — praeducere. Tacit. Ann. XIV, 32: *neque vallum neque fossam praeduxerunt.* — Qualiter, quo pacto. Tum cervi sunt stipites furcati, valli a similitudine cervinorum cornuum. Sil. Ital. X, 413. comparatus Vulpio: *Quaque patet campus planis ingressibus hostis, Cervorum ambustis imitantur cornua ramis.* Magnum numerum eorum, qui de his dixere, recenset Brouckhusius. — Quemve locum sqq. Quem locum eligere castris conveniat. — Fontibus ut dulces etc. Passeratius: „Ducum est in castrametatione providere, ne castra ponantur in arido loco et aquae inopi. Nam apud Caesarem d. Bello Civ. libr. I. Afranius et Petreius ob male posita castra in colle coguntur siti ad deditionem.“ Sunt vero dulces liquores nec falsi nec amari. Et erumpat active dixit pr. effundat usu non infre-

quenti. Cic. ad Att. XVI, 3: *Ne in me stomachum erumpant, cum tibi sint irati.* — Verba: Laudis et assiduo etc. Heynius sic explicat: ut locus idoneus relictus sit exercitationi campestri militum. Sic tria posuerit poeta in locis castrorum eligendis spectanda, ut aqua adsit bona, ut aditus hosti difficilis, ut spatium satis planum aptumque sit exercitationibus militum. Vulpius autem sic intelligit: ut aditus arduus sit hosti et in tutis castris procul ab insidiis hostium exerceri assidue possit miles, arcte iungens, ut vides, hunc versum proxime antecedentibus verbis. Sed praefero alterum, et non duo sed tria momenta poni credo, quorum ultimum sequentia docent non minimum esse. Additur hoc per copulam, uti saepe ultima membra, ne quis *ut* malit cum Dousa, Vossio, Wunderlichio, Bachio. Ceterum Brouckhusius de laudatione castrensi versum interpretatur, in quo eum errare certum. — V. 89 sqq. Haec priores interpretes ad ipsum Messalam referebant, ut facta mentione exercitationis castrensis iam ostendat poeta ducem ipsum in his artibus milites suos superantem, sitque haec nova pars laudis. Ex hac ratione igitur punctum ponitur post *miles*, et interrogationis signa in sequentibus, coniunctivis autem usus fuerit poeta, ut etiam postea v. 100. dicit: *Tunc tibi non desit.* Nec assentiendum Heynio est in eo, quod putidam appellat talem explicationem loci. Similiter enim olim M. Valerius Corvus in exercitu suo his talibus artibus eminebat, de quo praeclare Niebuhrius dixit Hist. Rom. Tom. III, p. 143. Nihilominus in eam partem inclino, ut veriorem rationem ab Heynio initam credam, qui colon posuit post *miles* et totum locum per digressionem adiectum statuit antecedentibus, ut militum exercitatio commemorari coepta nunc describatur amplius. Secuti sunt Vossius, Bachius, Huschkius, Golberyus. Nam fatendum est v. 88., licet elegans sit oratio, per se obscuriorem, explicatione egere, et quodammodo postulare ut sequentia sibi adiungantur; fatendum etiam haec eiusmodi esse, ut vix inde divelli possint. Nam in tali consecutione verborum: ut assiduo certamine laudis vigeat miles, quis melius iecerit cet., quomodo de Messala cogitari potest, nullo verbo addito, unde discas non de militibus, sed de duce agi? Dicendum enim certe erat: Quis te melius cet. etsi vel sic ad Messalam oratio abruptius transiret

Quae cum ita sint, probamus Heynii rationem cum Vossio et Huschkio; adest quidem nunc digressio Messalae laudi inutilis, sed in hoc vitium saepius incidit hic poeta, cum ornatum quaereret. Videamus iam singula. De exercitatione militari Romanorum egit Le Beau in Actis Paris. Acad. Inscriptt. Tom. XXXV, pag. 246 sqq. — tardamve sudem, h. e. gravem. Exercebantur milites sudibus aliisque missilibus iaciendis ad palum, cf. Veget. d. R. Mil. I, 24. Hoc est *vibrare sudem* Sil. Ital. VIII, v. 552. ubi de Scipionis exercitiis agitur. — perfregerit obvia pilo. Liv. IX, 19: *Pilum haud paullo quam hasta vehementius ictu missuque telum.* — lento, quod intortum sedet ac tenaciter haeret. — V. 91 sqq. Cum lectio sit *celeremve arcto*, Itali *celerem arctato* coniecerunt, quod vulgo receptum; Lachmannus cum Ayrmanno *celeremque* praefert, nisi totum vocabulum ex v. 89. huc venerit. Hoc ultimum nos verum habemus; excidit adiectivum genuinum trium syllabarum. Nam nec *arctato* placet, nec ferri potest *celeremque*, cum in altero commate non sit praemissum *tardo*, ut debebat fieri ex hac ratione, veluti paullo ante vidisti: *Ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti*, adde Tibull. II, 4, 27. Nunc effusas primum locum commatis tenet, oppositum illud verbis: *arcto campescere fraeno.* Ceterum compara locum I, 4, 11: *Hic placet, angustis quod equum compescit habenis.* — V. 93 sqq. In verbis Seu libeat observa variationem orationis aptam, ut alias post *modo* legitur *interdum*, *rursus*, *saepe*, *nunc*, et si quid aliud est huiusmodi. — gyro. Vides duo exercitia distingui, incitare equum directo cursu vel adductis fraenis retortum breviore gyro circumagere. Vox propria in equitatione, cf. Heynium ad h. l. Pro *contendere* autem, quod bis hic dici nequit, substitutum a Brouckhusio *compellere* bene explosit Vossius, unde Huschkius cum Crusio *convertere* coniicit, comparans Cic. Acad. II, 20. de Cynosura: *Quae cursu interiore brevi convertitur orbe.* Cum exciderit vera vox, non depravata sit scribendo, possis etiam *decurrere* commendare, ut est Colum. X, 225: *Me mea Calliope cura leviore vagantem Iam revocat parvoque iubet decurrere gyro.* Vossius hic *contendere* retinet, et in antecedenti versu *propellere* emendat pro *contendere*, quod tamen Huschkius tuetur collato Virgil. Aen. V, 291: *Hic qui*

forte velint rapido contendere cursu, Invitat pretiis animos et praemia ponit. Ex quo loco ne hic quoque velis *cursu* reponere, est bene dictum passu directo, quemadmodum acti in gyrum obliquo passu feruntur. — V. 95 sqq. Construe: Quis parma tueri scil. possit, seu dextra velit seu laeva, h. e. seu dextram seu laevam partem; neque tamen omissum est substantivum *latera*, ut monet etiam Wunderlichius; cave etiam cum Bachio hostium dextram, laevam partem intelligas. Sequentia sic iunge: Sive hac sive illac venit grandis hastae impetus amplior. Verbum *amplior* vulgo pr. potior, praestantior accipiunt et cum *tueri* construunt, quod vides fieri non posse. Optime igitur Lachmannus interpunctionem mutavit. Hasta alia velitaris est et levis, alia grandis et gravis. *Amplior* impetus autem dictus ut *vires amplae* Lucret. V, 1173. et *irae ampliores* Terent. Hecyr. III, 1, 9. Sermo est de levis armaturae militibus, quales tum iaculatores, sagittarii, funditores, memorarem primo loco velites, nisi hi sub finem liberae reipublicae aboliti viderentur, et docet nos poeta sic hos exercitos esse, ut etiam adversus gravioris hastae vim parma se tueri scirent. — sive venit, indicativus ne male te habeat, licet oratio obliqua sit. Coniunctivus requireretur, si haec non possent non ex certantium mente dicta esse; nunc autem ex sua mente addit rem poeta, quo intellecto videbis non solum coniunctivum, sed etiam indicativum locum habere commode. — signata, signis distincta. — V. 98 sqq. De tactices scientia agit. — parent, parabunt. Videtur igitur venient verum, etiam Lachmanno iudice. Convenit sic optime constructione cum *desit*. — Non tibi desit componere, non tibi desit peritia, scias, possis; datum tibi ut possis. Locutionem illustravit Heinsius ad Sil. Ital. VII, 497: *Pascere nec Poeno pravum ac nutrire furorem Deerat* notante Huschkio, qui praeterea laudat Ruhnkenium ad Rutil. Lup. pag. 132. et Cort. ad Sallust. Iugurth. c. 110, 3. — faciem componere pugnae, aciei formam fingere, exercitum ordinare, componere ad pugnam. Distinguit autem in sequentibus, quantum quidem intelligitur, duas omnino rationes, aciem continuam et bipartitam. — quadratum agmen proprie est compositus ad pugnam exercitus iter faciens (*der Marsch in Schlachtordnung*), ut dicitur ire, incedere

quadrato agmine, ducere exercitum quadrato agmine; contra *longum agmen* in longitudinem porrectum est (*der Colonnenmarsch*). Quae duo genera agminis Polybius explicat libr. VI, 40. Vide etiam de agmine quadrato bene agentem Nastium in Antiquitatibus milit. Romanae p. 233 sqq. Nunc autem *agmen quadratum* de stante tali acie est, ut saepe agmen de stante exercitu, et consistat in agmen interpretatur Forcellinius: sistat se agmine quadrato (*in Schlachtordnung*) disposita. Wunderlichius de constructione comparat Tacit. Annal. II, 16: *Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.* — Pergit: ut rectus ordo decurrat aequatis frontibus, h. e. aequata fronte, veluti Seneca de Beata Vita c. 4. dicit: *Idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, et aut in cornua sinuata media parte curvatur aut recta fronte explicatur.* Aut Liv. XXXVII, 39: *Consul tria millia ferme peditum aequata fronte instruxit.* Aut ibid. XXII, 47: *Tandem Romani diu ac saepe connisi aequa fronte acieque densa impulere hostium cuneum.* Quae iam Vulpius comparavit. Est igitur *frontibus* ut *πρόσωπα* Graece pr. fronte dictum. Ceterum vides totum versum antecedenti explicando et amplificando inservire, ne nimis nuda sit descriptio harum rerum, ac male Vossius e nonnullis „*rectus an*" reposuit, ut scilicet aliud genus aciei inferret contra grammaticam. — duplicem seiunctim cernere Martem. Proba lectio est. Seu placeat, ait, ut duplex seiunctim Mars pugnet, separatis duobus cornibus exercitus nec media interposita acie. *Cernere* ut Virg. Aen. XII, 709: *Inter se coisse viros et cernere ferro.* Vides autem ipse quomodo haec bipartita acies opponatur antecedenti faciei pugnae. Cum enim separatim pugnent haec cornua, non stant eodem recto ordine ambo, sed prout utrique commodum. — Dexter uti laevum teneat, etc. h. e. ut miles in dextro cornu stans sinistras adversariorum copias detineat pugnando, qui autem in sinistro cum dexteris confligat. Quibus verbis clarius duo cornua designat, in quae nunc divisus exercitus, cum medius miles non memoretur. — sitque duplex gemini victoria casus, h. e. sitque duplex quodammodo victoria gemino discrimine periculoque reportata. Itali coniecerant „*geminis castris*" quod vulgo probatum est; sed

cornua duo unius exercitus iisdem in castris habiti quo iure castra gemina dici possunt? Neque enim de duobus exercitibus duorum ducum hic agitur, veluti Vossius censet, sed de unius ducis Messalae laude. — V. 106 sqq. Pergit ad res gestas Messalae praedicandas. — Iapydiae miles. Iapydes, gens bellicosa, quae Liburniae partem tenebat, nunc Morlachiam appellant, inter flumen Arsiam et Tedanium, cum aliis Illyrici et Pannoniae populis rebellarunt ann. urb. 718 et 719. suntque domiti ab Octaviano et ducibus eius, inter quos Messala fuit, qui Arupinis debellatis et in Pannonia laudem egregiam meruerat, ut hic discimus. Ab eodem, quod tamen auctor non memorat, Salassi quoque, Inalpinus populus, incolens vallem Aostae hodie dictam, qui similiter cum vicinis suis armorum societate inita surrexerant, ann. 720. devicti traduntur. Vid. Dion. XLIX, 34-38. et quos praeterea Brouckhusius laudat, Strabon. libr. IV, p. 205. 207. libr. VII, p. 314, Appian. de bell. Illyr. 16-24., Flor. IV, c. 4 et 12., Sueton. Aug. 21., Vellei. II, 90., Paul. Oros. VI, 21., Liv. Epitom. 131. 132. 133. 135., quibus locis omnibus horum populorum rebelliones describuntur. Annotarunt haec, praeter Brouckhusium, Heynius et Vossius. — fallax Pannonius. Etiam in Pannoniam, vicinam Iapydiae, duxerat Octavianus exercitum. *Fallāces* autem Scaliger eos propterea dici putat, quod Sisciae munitae urbis et Segestae deditione promissa portas iterum clauserunt, vid. Dion. XLIX, 37. — passim disiectus in Alpes. Annotat Heynius: „Alpium extremi fines per Iapydiam continuantur Strab. VII, p. 482. B. Alpes enim Iuliae s. Carnicae in montes Albios desinunt. Itaque bello circa Sisciam gesto Pannonios fugatos in Alpium latebris se abdidisse mirum non est.“ Obloquitur Vossius: „Nullam, inquit, pugnam novimus, qua eiecti Pannonii e finibus suis. In Albios autem montes etiam propterea non credibile est eos fugisse, quia hanc partem terrarum Romani tenebant.“ Ipse coniicit: *gelidaque Salassus tectus ab Alpe*, ut huius populi mentio fiat, quemadmodum olim Ayrmannus in vita Tibulli §. 35. post *passim* inserens *et* Salassos inferre volebat, quasi passim habitantes in Alpibus. Sed inepta est haec ratio, Vossii autem audacissima coniectura non minus reiicienda. Sequor haud cunctanter Heynium. Non e finibus suis fugerunt Pannonii, sed in suos

ipsorum montes se disperserunt, quos Alpes appellat auctor, bene explicante Heynio. Sic Auctor Eleg. ad Liviam v. 390: *Summaque dispersi per iuga Pannonii.* Faciunt ita tales populi. Etiam Lachmannus comma post *Pannonius*, quod posuerat, nunc delendum monet. Ac vide poetam: in omnibus membris addit, quod significet superatos esse hos populos. In primo membro *victae* posuit, secundo hoc, modo explicatum, comma addidit, Arupinos autem finita descriptione longiore v. 117. dicit subiectos. Salassos autem non memoravit omnino poeta, fortasse prius contra Iapydes bellum et posterius, proxime secutum, contra Salassos pro uno habens, ut satis videretur partem nominum memorasse. Omnino non tenuit accurate situm locorum, qui *Arupinos* distinguat ab Iapydibus, quorum pars fuerunt nobilissima. Ceterum hic lectio dubia. Scaliger *Arupinas* scripsit, quam formam a veteribus non agnosci Vossius monet. Ipse vero coniicit: *pauperque et natus in armis*, ut *Arupinus* retineatur. Mihi Lachmannus optime *est* pr. *et* coniecisse videtur (Bachium *et* pr. etiam accipientem taceo), sive *Arupinis* legatur c. Cuiaciano, seu quod malo *Arupinus*, producta ultima in caesura, ut v. c. *fatigamūs* Virg. Aen. IX, 610. Huschkius proponit: *pauper, sed natus in armis*, ubi statim *sed* displicet. Est vero *pauper* propter steriles agros. Strabo VII, p. 315. laudatus ab interpretibus de Iapydum terra: *λυπρὰ δὲ τὰ χωρία καὶ ζειᾷ καὶ κέγχρῳ τὰ πολλὰ τρεφόμενοι.* Memorat autem poeta paupertatem ut duram vitam innuat ad bella factam. Quod non sensit Huschkius *sed* proponens. — *natus in armis.* Confert Vulpius cum Brouckhusio Senecam de Ira 1, c. 11: *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque.* Addit alia similia Vulpius. — V. 111 sqq. vetus aetas, senectus. *Veteres senes* vidimus I, 8, 50. — Pyliae famae, Nestoris Pylii. Pindarus Pyth. III, 113: *Νέστορα καὶ Λύκιον Σαρπηδόν', ἀνθρώπων φάτις.* — Post hunc versum legitur in nonnullis libris hic: *Namque senex longae peragit dum saecula vitae*, quem Vossius male revocavit substituens tamen „*tempora vitae*“ in fine. Sine his verbis dubitari posse in sequentibus censet utrum Nestor an Arupinus intelligendus sit. In quo fallitur. Secutus Vossium

Bachius est. — Renovaverit annos — Ipse tamen, h. e. quasi dixisset: quamvis renovaverit — tamen; neque tamen revera omissa est talis particula, sed dictus coniunctivus pr. faciamus ut. Sed apud Horat. Epist. I, 1, 28. *non possis* est pr. non potes in his: *Non possis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.* — Ceterum operam perdunt Bachius et Huschkius ut vitium scripturae *revocaverit*, comparens in nonnullis, defendant. Verbum aptum aliis locis ab iis allatis quis non sentit hic non bene positum iri? — Ipse tamen. Nemo profecto dubitat de Arupino sermonem esse, etsi absit versus a Vossio supra revocatus. — edere corpus super equum est attollere in equum, insilire in equum. — validis habenis. Non sunt dativi hi, ut Wunderlichio et Bachio visum, sed ablativi pendentes a v. *moderator.* Pro egregia autem lectione sedet moderator mirandum est Huschkium cum Vossio probare deterius „*sedens moderatur*", ubi quis non videt ieiunum esse *sedens?* — domator scil. equorum, facile quod repeti potest ex antecedentibus. De Arupino loquitur. Huschkius Neptuni cognomen *Δαμαῖος* Pind. Ol. XIII, 69. comparat, ubi etiam *ἵππου* omissum sit, sed talia cognomina diversa sunt, ubi solemnis est brevitas. — non alias conversus terga, nullo alio tempore qui terga dedit. Quod etiam Appianus affirmat.

V. 118-176. De futuris rebus. Vaticinatur Messalam toto terrarum orbe habitabili famam nominis sui propagaturum.

V. 118 sqq. veracibus signis. Messala ann. urb. 723. h. e. post res in Illyria et contra Salassos gestas, consul fuit cum Caesare Octaviano. Inibant autem consules tum magistratum Kalendis Ianuariis, ut constat. Quo die cum sol splendidius luceret quam antecedentibus, et summa aëris, ventorum, maris tranquillitas forte orta esset omnisque rerum natura mirifice sileret, utitur hac re poeta et auguratur inde, tanquam ex luculento signo favoris deorum, novos triumphos et maiorem gloriam Messalae destinatam. — Amythaonium Melampodem et Melampodidas vates fuisse inter Graecos olim longe celeberrimos quis nescit? Vide Heyn. ad Apollod. I, 9, 11. et Müller. Hist. Dor. T. I. p. 253. — Quis certare nequeat, h. e. quibus veriora afferre nequeat. Est verbum more Graeco cum dativo iunctum, veluti

HORAT. Epod. II, 20. — **Tyrio subtegmine.** Est *subtemen*, seu ut hic et alias saepe scribitur in libris *subtegmen*, nunc non ut vulgo quod transversum in tela sub stamine texitur filum, sed complectitur ampliore significatione etiam stamen, et totam telam significat s. filum utrumque, ut passim factum FORCELLINIUS docet. Sic VALER. FLACC. Argon. VIII. v. 234: *croceo subtemine vestes.* Dicit igitur *fulgentem Tyrio subtemine vestem* poeta togam praetextam, fulgentem purpureo limbo in ora; nam praetextam, non purpuream togam cogitandam nescio cur HEYNIUS dubitet. — **fertilis anni.** Iterum posuit epico more ornans epitheton, nisi voluit hunc annum imprimis fertilem fuisse, ut VOSSIUS cepit. Similiter tamen supra *fecundos annos* dixit. — Mox **liquidis**, licet et ipsum perpetuum epitheton, non tamen plane otiosum esse senties, sed placere amplificatam vim aquae, cum solis fulgor recreetur undis. — **fera discordes**, apte cumulata epitheta, cum furorem ventorum, qualis ante mense Decembri fuerat, opponat praesenti quieti. Quare etiam PASSERATIUS errat *discordes* hic pro ornante epitheto perpetuo ventorum habens, quibus omnino nulla pax placeat. Loquitur poeta de tempestatibus modo praeteritis, ubi proeliabantur saepe venti secum (HORAT. I, 9, 10.). — **tenuerunt flamina**, cohibuerunt, ac confert HUSCHKIUS Aristoph. Thesmoph. 43: *ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθὴρ, κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω.* — **Curva**, vulgo perpetuum epitheton propter flexus sinuosos fluminum, cf. VIRG. Georg. II, 12. Nunc commode oppositioni inservit, positum eam ob causam in principio. — **egerunt assuetos cursus**, non impulerunt aquas suas tam cito, lentius fluebant. OVID. Amorr. III, 6, 95: *Aut lutulentus agis brumali tempore cursus.* CALPURN. Eclog. II, 15: *Et tenuere suos properantia flumina cursus*, quod tamen de stantibus est aquis. — **placidis constitit undis.** ENNIUS ap. Macrob. Saturn. VI, 2. comparatus a VULPIO: *Mundus caeli vastus constitit silentio.* WUNDERLICHIUS affert VIRG. Aen. VIII, 87: *tacita* (Thybris) *substitit unda.* — Mox **Nulla nec**, h. e. et nulla, cf. infra v. 164. Si construeres: nulla nec volucris, nec quadrupes, copula inter hunc et antecedentem versum desideraretur. Tamen hoc fecit BACHIUS. Eodem modo PROPERTIUS dixit, II, 19, 5. — Porro **aërias** iterum oppositionis causa additum

vides nervosioris, cum modo de mari dictum esset, ideoque est praepositum. Ceterum *aërias aures* reperias etiam ap. PRUDENT. in Symmach. I, 449. — quadrupes aspera, non saeva, immanis, sed omnino fera. Nam asperitas ingenii est omnium agrestium et silvestrium ferarum, quia procul ab humano cultu vivunt. Patet hinc non posse de mansuetis gregibus boum, ovium in saltibus cogitari quos HEYNIUS addit; quamquam hi etiam per se alieni ab hoc loco, ubi sic cogitatur rerum natura, ut est diversa ab humanis rebus. — tuis votis. Constat novos consules primo die magistratus solemniter vota nuncupasse in Capitolio pro salute populi, vide v. c. LIV. XXI. c. 63. OVID. Epist. ex Ponto IV, 4, 23 sqq. TACIT. Ann. IV, 70. — Quin largita sunt. Cum *quin* sit tradita genuinorum librorum lectio, eximie placet HUSCHKII coniectura: *quin largita tuis sit* etc. ac iam in Voss. 3. et ed. LIPS. tentatum erat: *quin largita tuis sint multa silentia votis.* Dicit poeta: nulla avis per auras volat strepentibus alis, nulla fera vulgo depascitur silvas, quae non tum quieverit et siluerit cum tu vota nuncupabas in Capitolio. Silentium est cum favetur linguis et omnino quiescitur, ne strepitu ominoso turbentur sacra. Muta, perpetuum epitheton, nunc aptissimum. Est igitur sententia clara et poetica, ac cum HEYNIUS longius petitam dixerit animalium in hac re mentionem, HUSCHKIUS comparat similem EURIPIDIS locum in Bacch. 1071-1074. iam a VULPIO citatum, ubi Baccho loquente, *σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη φύλλ' εἶχε· θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.* Vulgo cum BROUCKHUSIO scribitur e libris nonnullis: *Cum largita tuis sunt muta silentia votis,* ubi verbum largiri passive accipitur usu apud antiquiores aliquoties reperto, incommode autem hominum silentia immiscentur, quasi haec turbare noluerint animalia. De hominibus hic taceri debet; augustiora silentia, quae rerum natura his sacris largitur. Postremo ad totum locum moneo, ne quis nimiae exaggerationis poetam accuset. Observant enim peregrinatores hodieque, ut celeberrima femina B. DE STAËL in Corinna sua, tranquillitatem et silentium aëris universaeque rerum naturae tale, quale in meridionalibus terris incidat, incognitum esse apud nos et in nostris regionibus. — V. 130 sqq. Iuppiter ipse, in cuius templo sacrum factum, descendit ut praesens adesset. De aliis

diis hoc saepius legas, sed Iovem Optimum Maximum bene observat Heynius se non meminisse sic inductum. — levi curru, qui facili lapsu descenderet, ut vehuntur dii. — caelo vicinum, h. e. ex ipsis altissimis regionibus ad haec sacra descendens. — additus aris, exquisite pr. impositus. Propert. II, 13, 33: *Et sit in exiguo laurus superaddita busto.* Cave autem cum Wunderlichio *nam* suppleas quod ieiunum; immo haec est sententia: quo facto laetior eluxit ignis. Continent enim haec verba consecutionem antecedentium et sunt pro eorum apodosi (*da leuchtete, und alsobald leuchtete*). Quod genus constructionis ad Pindarum explicui, vide Excursum de Asyndeto Tom. I. p. 276. Sic finis loci est vere poeticus. — structos super acervos, intellige victimae partes arae impositas nec non tura incensa. — V. 135 sqq. Hortatur nunc Messalam, ut his ominibus parens iamiam ad maiora se accingat. — insistere, incumbere. Cicer. Acad. IV, 29: *rebus illustribus.* — Auguratur nunc poeta Messalam in omnibus orbis partibus clarum futurum, et plurima loca terrasque recenset, quas aditurus sit cum exercitu victore. Atque instabat isto anno bellum Octaviani contra Antonium, multis rebus gerendis ansam praebiturum. Ceterum Gallias revera debellavit Messala Aquitanico bello ut supra I, 7. vidimus, composuitque postea Ciliciam, Syriam, Aegyptum, ut certe in compluribus locis postea fuerit hic memoratis. — obvia, obviam facta ad proelium. — audax, ferox, bellicosissima, ut abunde constat ex Appiano in Ibericis. Adde Livium. — Theraeo tellus obsessa colono, Cyrene, cuius conditores olim duce Batto ex insula Thera venerant, cf. Herodot. IV, 47 sqq. et Pindar. Pyth. IV. et V. Adde Müller. Hist. Orchom. pag. 340 sqq. Hoc tempore parebant istae regiones Antonio et Cleopatrae. Ceterum adscripsit Huschkius duos versus similes, alterum Senecae ad Corsicam I: *Corsica Phocaeo tellus habitata colono*, et Petronii alterum V, 10: *Seu Lacedaemonio tellus habitata colono.* — V. 140 sqq. Nilus, ubi sedes regni Antonii et Cleopatrae. Cum autem Antonius plerosque reges et populos imperio orientali Romanorum vicinos, ut Dio refert libr. L, 6. cf. supra ad I, 1, 51., socios haberet, poeta magnificentiore oratione usus, quemadmodum etiam alii poetae gloriosius loquun-

tur de isto bello, totum illum terrarum tractum auguratur a Messala subiectum iri, et extremam Indiam ac Tanaim septentrionalem pro finibus memorat, quos aditurus sit Messala. Ceterum constructio verborum hic et in sequentibus est: nec remorabitur te tellus, qua Niius vel Choaspes profluit, etc. — regia lympha Choaspes, apud Parthos, cf. Plin. III, 31: *Parthorum reges ex Choaspe tantum bibunt, et eae aquae quamvis in longinqua comitantur illos*, ut antea apud Persas, cf. Herod. I, 188. — Profluit h. e. se effundit, προρέει Odyss. V, 444. — Cyri dementia Gyndes, fluvius Babyloniae, qui cum, Cyro Babylonem oppugnaturo, unum ex equis regiis abripuisset vi sua, iratus rex iuravit, eo se redacturum has undas, ut etiam a feminis transiri possent. Dispersit igitur alveum in 360 rivos; sed cum totam aestatem in hac re consumeret, fractus est militum ardor et Babylonii interim tempus nacti sunt ad vires suas colligendas. Vid. Herod. I, 189. 202. V, 52. Senec. de Ira III, 21. Paul. Oros. Hist. II, 6., quae iam interpretes laudarunt. — Mox cod. Cuiacianus: *Ardet Arecteis*, unde Lachmannus felici coniectura Aret emendavit; comminutus enim in tot alveos fluvius propemodum exsiccatus erat. Arecteos campos, quorum nomen ab *Arec* in Genes. c. X. deducunt, volunt Babylonios esse, Vossius *Darnaeos* coniecit, cum Herodoto teste I, 189. per hos fluat Gyndes, ubi tamen lectio incerta. Ipse in tam obscura re nihil addo. — V. 143 sqq. Nec qua regna vago etc. h. e. nec qua Tomyris regni finem fecit Araxen. Fuit haec Massagetarum regina, quae Cyrum temere ultra Araxen progressum vicit et occidit, restituitque fines regni sui. Cf. Herod. I, 205 sqq. Iustin. I, 8. In nomine feminae variant libri; *Tomyris* etiam Herodoto dicitur et Paul. Orosio I, 7. — vago Araxe, Horat. I, 34, 9: *vaga flumina*. Est igitur perpetuum epitheton fluminum multa loca adeuntium. — Padaeus. Recte dici poterat: Nec qua — finivit, impia vel — tenet, aut: impiaque in saevis etc.; nunc autem impia nec legitur, ubi *qua* omitti vix potuit recte per grammaticam, cf. Vossium ad h. l. Quare Lachmannus v. ultima — arva parenthesi inclusit, ut ad *Padaeus* suppleatur *remorabitur*. Quamquam dubites hoc voluisse poetam, si ad sequentia attendas. Ceterum de populo annotat Brouckhusius:

„Auctor est HERODOTUS III, 99. Padanos, Indiae populum versus Auroram, si quis aegrotaret, eum mactare solitos atque eius carnibus vesci, viri quidem viros, mulieris autem mulieres. Et si quis sanus ad senium pervenisset, eo itidem caeso epulari, atque ob eam causam perpaucos istic senes reperiri." Addit HEYNIUS eundem morem barbarum Essedonibus tribui a SOLINO c. 26. — Hebrus. BROUCKHUSIUS *Istrus* substituerat quaerens quid Hebro Thraciae fluvio cum Getis? Sed ut VOSSIUS observat, refert DIO CASS. L. I. c. 22. Reim. p. 656. Getas s. Dacos etiam cis Istrum usque ad Haemum pertinuisse, unde constat oriri Hebrum. Quare etiam ap. SENEC. Herc. Oet. 1044. *Hebrum Geten* dictum, atque apud STAT. Theb. II, 595. *Geticam Phlegram* monet. Adde quod omnino saepius apud STATIUM *Geticus* pr. Thracius ponitur. — Sed Magyni aut *Mosyni* in Sarmatia ad Tanain habitantes qui sint ignoratur. Mosyni enim saepius memorati alias regiones tenebant quippe Ponti Euxini accolae; Magyni autem plane ignoti. VOSSIUS *Gelonos* substituit satis audacter. — V. 147 sqq. Quid moror, VIRG. Aen. II, 102. Dicitur etiam: ne multis, pluribus morer. Res nota. — Oceanus. Usque ad ipsum Oceanum omnia tibi subiicientur. Ceterum cf. ad v. 53. — Britannus. Fuit tamen usque ad Claudii Imperatoris tempora libera Romano iugo Britannia. Intactum igitur etiam HORATIUS dicit Epod. VII, 7., nam Iulius Caesar escensionem tantum in littus fecerat, neque autem tum vera deditio fuit. — mundi pars altera, h. e. altera zona temperata et habitabilis ultra tropicum et torridam sita. — V. 151 sqq. Sequitur digressio de zonis. Nam circumfuso etc. Nam globus, ait, tellus est undique aëre cincta. Pro consistit alii *considit* malunt, sed non agitur nunc de origine mundi, cum elementa loca sua occuparent. Mox toto orbe est per totum orbem suum, s. totus orbis eius describitur in quinque partes. disponitur est dispescitur, dividitur. Ceterum confer de zonis VIRGIL. Georg. I, 233 sqq. ibique Voss., OVID. Met. I, 45 sqq. PLIN. Hist. N. II, 68. CICER. in Somn. Scipion. et ad id MACROB. II, 5 sqq. Quos locos etiam VULPIUS commemorat. Addit HUSCHKIUS Varr. Atacin. in Chorographia ap. Isidor. (WERNSDORF. P. Lat. Min. T. V. P. III. p. 1403.). — vastantur, ut incultae et desertae sint. Atque

autem WUNDERLICHIUS monet transitum facere ad singularum rerum explanationem. — nulla perlabitur unda, incipit labi, sed non perlabitur et decurrit ad quem finem tendit, incepto liquore, eo liquore, quo coeperat currere. Est *inceptus liquor* paullo audacius dictus, sed ferunt talem audaciam participia. — durata in glaciem, veluti notante WUNDERLICHIO Plin. Hist. N. XII, 19: *guttae durabantur in grana.* — Mox in nivem addit, *undam* etiam nubium aquas dicens, ac recte vidit WUNDERLICHIUS pluviam quoque non statuere poetam, ab aliis tamen tributam illis regionibus, ut ab HORAT. III, 3, 56. VIRGIL. Georg. I, 236., ERATOSTH. ap. Heracl. Pont. de Alleg. Hom. p. 476. — super egerit, adduxerit ortus suos super terram, elegans lectio, pr. ubi nunquam ortus sit sol super terram. Contulit BACHIUS Virg. Aen. IV, 118: *ubi primos crastinus ortus extulerit Titan.* Ceterum Titan nomen est non usurpatum Tibullo, aptum vero epicae magnificentiae. — V. 158 sqq. propior terris, propior nostrae zonae. Dixit vero ex vulgari usu loquendi. Similiter aestivum orbem dicit caeli regionem eam, ubi aestate nostra versatur sol. Ac poni *orbem* pr. caelo vidimus supra I, 2, 52. Alienum igitur est quod afferunt in orbem ire solem quotidie. — hibernas decurrere luces, hibernos dies peragere, quae spatia dierum cum breviora sint, addit celer et properat. — presso aratro, impresso. OVID. Met. III, 104. VIRG. Georg. II, 356. Est igitur simplex pro composito, cf. ad I, 2, 80. Porro exsurgit est attollitur excitatis glebis. Conferunt PASSERATIO praeeunte VIRG. Georg. I, 97: *Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga, Rursus — prorumpit.* HUSCHKIUS autem laudat PLIN. Epist. V, 6, 4: *Tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur,* nisi quod illic de tenaciore solo agitur. Ceterum bene factum, quod paullo pluribus depinxit huius zonae rationem; specialia amat poësis. — V. 163 sq. Non illic colit arva deus, cf. MITSCHERLICHIUM ad Horat. IV, 5, 18. — Nulla nec. Iterum vide duas negationes pro una, ut supra v. 127. Denique observa nec ex iunctum frequenti usu, cf. LACHMANN. ad Propert. p. 366. et HUSCHK. h. l. Porro ad v. exustas PASSERATIUS confert PLIN. II, 68: *Media vero terrarum, qua solis orbita est, exusta*

flammis et cremata, cominus vapore torrentur. — V. 165 sqq. inter — interque, repetita praepositione, ubi semel sufficiebat, noto usu. Vide multa allata ap. SCHMID. ad Horat. Epist. I, 2, 12. et HEINDORF. ad Sat. I, 7, 12. Similem quandam articuli repetitionem habet PIND. Nem. VIII, fin. — rigentes verior lectio videtur, non *rigentem*, modo teneamus, in sequentibus: Nostraque et — pars altera, particulas *que et* non disiunctivas esse, sed fere pr. una positas, ut τέ — καὶ Graece passim ponuntur, cf. HERMANN. ad Soph. Electr. 873. LOBECK. ad Phrynich. p. 410. Nam ambae sunt inter torridam et rigentes, unaquaeque autem inter torridam et rigentem alterutram est. Ceterum *huic nostro solo adversam* vides australem zonam esse. — similis vicinia caeli Temperat, h. e. similis caeli aërisque ratio ab utraque parte vicina temperat. Habet enim utraque torridam et frigidam a latere, et spirante hinc calido, illinc frigido aëre efficitur temperies optima, quia, ut poeta addit, *alter alterius vires necat aër.* Ad v. temperat confer cum HEYNIO Ovid. Met. I, 51: *Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.* Porro tenens est amplectens, ambiens. Denique necat, veluti MACROB. Sat. II, 7: *edera serpens vires arboreas necat*, SENEC. Hippol. 454: *Quid te coërces et necas rectam indolem?* Observabis etiam, cum logica ratio membrorum haec sit: temperat, altero aëre alterius vires necante, pro participio more poetarum frequenti finitum verbum positum, quod genus dicendi monuimus iam supra nervosius esse et plus vigoris habere. Etiam hunc locum corrupit VOSSIUS pr. *et necat* qui *ut necet* receperit perperam. Secutus tamen est BACHIUS. — V. 169 sqq. per tempora. Vertitur, ait, et volvitur annus placidus, nec nimis calidus nec nimis frigidus, per tempora quattuor diversa, cum sub zona torrida perpetua aestas sit, sub frigida autem perpetua hiems. — lenta vitis, flexilis. excelsos conscendere ramos didicit, ulmis quippe maritata atque etiam populis, ut maxime in Campania factum, PLIN. XIV, 1. — seges, nunc terra frumentis vel vitibus consita. Nempe, ut Lexica abunde docent, *seges* est omnino terra quae colitur, sive destinata sationi sive consita, et latiori sensu etiam pascua complectitur eaque loca, ubi sponte satae crescunt herbae, ut VIRG. Georg. IV, 128: *nec fertilis illa iu-*

vencis, Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho. Dixit de v. hic etiam Brouckhusius. Vides autem nostrum versum ad antecedentes duos referendum; cum enim de aratione et vitium cultura dixerit, nunc etiam de collectione utriusque generis frugum dicit, ut par est. Quare *tondere* ad aristas et uvas pariter pertinet. — Tondetur annua h. e. quotannis, ut supra II, 1, 48. — ferro tellus confinditur. Instrumenta rustica intelligit, aratrum et bidentem, ac ne male te habeat cum Bachio, quod iam dixit de cultura agrorum, observa artificium iam supra explicatum I, 10, 49. Additurus enim novam rem primum antecedentia verbo complectitur repetens, tum inde pergit ad aliud. — aere. Naves enim et clavos habent aereos et alio modo aere muniuntur. Ceterum Heynius acumen parum gratum iudicat. Sed in tali forma orationis propemodum sponte oppositiones se offerunt. — exsurgunt. Confert Huschkius Liv. VI, 4: *Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere aedificiis.* — V. 175 sqq. Pro ierint Lachmannus acute coniicit: *cierint*, h. e. moverint. Tamen debilior videtur locutio prae altera *per claros ierint*, ut Scaliger scripserat et vulgo probatum est. Recte opinor dixeris: facta per laudes hominum ire, per claros honores ire, h. e. experiri eos; ad quam normam si explicueris: ubi per triumphorum claros honores facta tua iverint, ornata fuerint splendore triumphorum, placebit magnifica forma sententiae. Bachius ad cantus militum in triumpho imperatorem celebrantium respici putat, non sentiens sic minui vim locutionis ad totum haud dubie honorem et gloriam triumphi pertinentis.

V. 177-ad finem. Exitus. Denuo excusat tenuitatem virium, et addictum se Messalae profitetur in perpetuum.

V. 177 sqq. Non ego sum satis. Lucan. I, 66. laudante Huschkio: *Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.* — praescribat, monstret et praecipiat. Sic pr. docere verbum legitur ap. Cic. de Divin. II, 59., loco ab Huschkio allato: *An Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest?* Nam improprie voce utuntur etiam alias. Atque hoc loco idem est quod alias *dictare, praecipere*, Propert. II, 1, 3. Horat. I,

24, 2. notante etiam Bachio. — Valgius. De C. Valgio Rufo nuper accurate egit vir doctissimus Weichertus in Poetar. Latin. Vit. et Carm. Reliqq. p. 203 sqq. Florens Augusto imperante hic vir vinctae et solutae orationis operibus famam aliquam consecutus est. Atque imprimis quidem rhetorica et grammatica studia tractavit, et scripsit etiam opus de usu herbarum ad Augustum, quod tamen morte oppressus non absolvit. Cum eleganti ingenio esset, tentavit etiam poesin, sed praeter elegias nihil videtur edidisse, et si quam laudem his carminibus sibi pepererat, etiam haec aliorum scriptorum laudi cessit, quorum paene frequentior est apud scriptores veteres et grammaticos mentio. Nempe nullo poeseos genere luculentius excelluit inter aequales, et fuisse eum insignem epicum poetam nusquam sane legitur nisi hoc loco. Censet igitur Weichertus etiam huic testimonio nihil tribuendum; temere et inscienter factum Valgium egregium epicum poetam ab ipso huius carminis auctore, qui sciret eum Messalae et Tibullo aequalem operam dedisse versibus scribendis. Quod tamen ego sic non dicam. Non nominasset poeta Valgium, nisi veri quid subesset rei. Nempe, ut suspicor, meditabatur Valgius tum epicum poema, et scripserat iam particulam praeclaram, quam viderat Messala atque etiam hic poeta aliique nonnulli, sed, ignotum quo casu, non absolutum est opus nec prodiit publice; unde de epica poesi Valgii nihil praeterea traditum. — propior non alter Homero. Non nimis urgenda talia. Propert. I, 7, init.: *Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae — Atque, ita sim felix, primo contendis Homero.* — V. 181 sq. Languida. Non bene omissa particula *At*, *tamen* hic. Sensus autem: Quamquam adversa fortuna utor, quae non favet poeticis studiis, non tamen otiatur industria mea nec patiar me abstrahi a laudibus tuis ut potero canendis. — labor ut πόνος de studio poetico. — ut mos est illi. Fortuna ut solet vexare homines, sic etiam me vexat inimica. Sic explicata verba non video quid offensionis habeant. Male Bachius distinxit: *ut mos est*, iungens *illi* (labori) *adversa*, quod valde ieiunum. — fatiget, vexet, Virg. Aen. VI, 533: *an quae te fortuna fatigat?* — V. 183 sqq. Cum ann. 713. post proelium Philippense Octavianus et Antonius legiones suas assignatione larga agrorum remunerarentur, etiam hic poeta

maxima parte avitorum bonorum exutus videtur, ut iam supra memoratum. Hae tristes rapinae sunt quae deplorari videntur in sequentibus. — domus altà, magnifica, niteret, bene culta esset ac splenderet divitiis, vox propria de opulentia, ut Horat. Sat. II, 5, 12. laudatus ab interpretibus: *res ubi magna nitet domino sene.* Contra sordida, squalida, obsoleta pauperis hominis domus. Horat. Od. II, 10, 6: *Caret obsoleti sordibus tecti*, ubi Mitscherlichius etiam *sordidam parvae domus fortunam* ap. Senec. Herc. fur. 200. comparat. — flavi sulci, messibus. At ordine quid sit, profecto obscurum. Brouckhusius explicat: suo tempore, alius post alium, neque enim omnes segetes simul maturescere. Sed inutilis et ieiuna talis observatio hic. Melius sit interpretari: ditantes quisque nullo excepto. Sed malim cum Heinsio et Heynio *horrea* scriptum, quo posito in sequenti versu elegans repetitio vocis habebitur, qualia supra vidimus, cf. ad II, 5, 31., et in disputatione de Elocutione Tibulli. — nimium furique lupoque, cf. I, 1, 33. 34. — Nunc desiderium superest. Laudari debet poeta quod indirecte maluit quam directe significare ereptionem agrorum. Quae autem post haec addit, ieiuna sunt. — cura novatur, renovatur, recrudescit. — admonet. Quidquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit, et ut Tullius ait, animum memoria refricat, ita dicitur, notante Gronovio Diatrib. p. 322. Et annos vides esse, cum nondum spoliatus esset. — V. 190 sqq. cadant, accidant, cf. ad I, 6, 85. — deficient memorare, desinent, absistent, veluti Sil. It. III, 111: *gelidos ut scandere tecum Deficiam montes coniux tua?* Vide Ruhnkenium ad Rutil. Lup. pag. 132. — V. 193 sqq. legemus verba Heynio iudice non digna ingenuo homine. Primum enim non comparabis quae amantes in fervore affectus iurant, v. c. Catull. XLV. Propert. II, 24. Tibull. II, 4, fin. Sed opponit Wunderlichius Horat. Epod. I, 11 sqq.: *et te vel per Alpium iuga Inhospitalem et Caucasum, Vel occidentis usque ad ultimum sinum Forti sequemur pectore*, et Propert. I, 6: *Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum Tulle neque Aegaeo ducere vela salo, Cum quo Rhiphaeos possim conscendere montes Ulteriusque domos vadere Memnonias.* Sentiet tamen lector etiam hic discrimen. Comitari velle fideliter

amicum vel ad periculosas terrarum plagas non est indignum ingenuo homine, et solent fere solemniter poetae sic declarare amoris amicitiaeque intimae magnitudinem, cf. MITSCHERLICHIUM ad Horat. II, 6, init. Nunc autem hic poeta pro Messala densis hostium turmis solus obsistere aut in Aetnae flammas se coniicere ausurus profecto modum excedit in talibus tenendum, et speciem habent haec sive iactantiae sive adulationis ineptae. Ceterum HUSCHKIUS defendit collocationem verborum *solus densis;* nam turmas densas esse, ait, non mirum. Sed poeta opponit credo cogitatione densis turmis singulos equites plures a variis partibus irruentes. Nec quod in sequenti versu *parvum* praeponitur, inde efficias hic *solus* praepositum fuisse ab auctore, nam suavis variatio in talibus, si licet variare. — subsistere h. e. obsistere, LIV. XXVII, 7: *Maxime movit patres Hasdrubalis transitus in Italiam vix Hannibali atque eius armis subsistentem.* — parvum corpus, credo ut omne corpus humanum parvum est prae tali flamma. Quo maior videbitur audacia. Atque ita DORVILLIUS cepit ad Charit. p. 636. Lips. comparans MANIL. V, 591. BURMANNUS vero ad Propert. I, 6, 3. p. 60. coniicit *pronum.* VULPIUS gracile ac tenue interpretatur, ut sit adolescentium elegantium et amatorum corpus; quod ineptum. VOSSIUS *Nec pavidum* scripsit, similem locum comparans CLAUDIAN. XVII, 194., ubi de iusto: *Irruet intrepidus flammis, hiberna secabit Aequora, confertos hostes superabit inermis.* HUSCHKIUS autem *nec parcam* emendat, eleganter sane, sed vereor ne inferamus elegantias in hoc carmen, de quibus auctor non cogitaverit. Equidem certe nihil hic muto. Manifesto enim v. *parvum* opposuit v. *Aetnaeae,* h. e. ingenti flammae Aetnae. — Aetnaeae flammae, ignibus quales Aetnaei, ait VOSSIUS. Sed quidni ipsius Aetnae? CICER. de Nat. Deor. II, 38: *eruptio Aetnaeorum ignium.* Adde supra v. 56. — V. 197. 198. optime interpunxit LACHMANNUS. — regna Lydia, III, 3, 29. — fama Gylippi, qui celeber est dux Lacedaemonius, Syracusanis in bello Peloponnesiaco adversus Athenienses a Spartanis auxilio missus. Centum et triginta naves Atheniensium cepit incenditque et Syracusas ab obsidione liberavit. Constat de eo ex THUCYDID. libr. VI. et VII. Add. ISOCRAT. in Archidamo, POLYAEN. Strategem. I, 42. Nihilominus mirum in

hoc nomen incidisse poetam. — Meleteas chartas, Homerica carmina. Nam *chartae* sunt scripta, sive poetica sive prosaica, cf. supra v. 5. infra v. 211. Martial. XI, 3, 7: *pangere chartas.* At *Meles* fluvius fuit urbem Smyrnam alluens. Plin. V, 29: *Regredientibus inde abest XII. mill. pass. ab Amazone condita, restituta ab Alexandro, in ora Zmyrne, amne Melete gaudens non procul orto.* Ad hunc Homerus natus ferebatur ipsiusque fluminis filius, cf. Vita Homer. II. p. 2. ed. Wassenbergh. in Paraphr. ad Iliad.: Ὅμηρος μὲν ποιητὴς πατρὸς μὲν ἦν Μέλητος, μητρὸς δὲ Κριθηΐδος, τὸ γένος κατὰ μὲν Πίνδαρον Σμυρναῖος, κατὰ Σιμωνίδην Χῖος. Vide plura ap. Brouckhusium et Vulpium, Heinsium ad Ovid. Met. II, 247. et Barth. ad Stat. Silv. II, 3, 60. Quae iam Heynius laudavit. — Posse — nec mallem vincere. Huschkius *pangere* coniicit, veluti Martialis dicit XI, 3, 7., ne scilicet immodestius loquatur poeta. Vossius, cum vulgo *mittere* sit in libris, *emittere* scripsit, quod vult esse pr. edere, non videns parum poeticum se verbum intulisse. Tu igitur tene *vincere.* Vossium secutus est Bachius. — V. 201 sqq. Quodsi versus meos tibi non ingratos esse cognovero, nulla fortunae iniquitas me a canendis laudibus tuis avocare poterit. Versus noster, collective pr. carmen meum. — totusve minusve. Putida distinctio. Verum Huschkius etiam barbariem orationis se hic videre clamat, in quo tamen fallitur. Sensus: totusve minorve pars toto, h. e. sive totum carmen sive pars eius, in sequentibus autem constructio ad potius genus, ad masculinum redit. — summo vel inerret in ore, bene dictum pr. si saltem levis interdum mentio eius a te fiat cum laude. Comparat Huschkius locutionem *in ore habere* (Cicer. Off. III, 21.), διὰ στόματος ἔχειν, Bachius Virg. Cir. 357: *sermo novus errat in ore.* — V. 204 sqq. Coniunctae particulae tunc — cum etiam propterea placent, quia surgens oratio pergit ad aliud idque tale tempus, de quo vulgo talia non exspectes. Coniunctas vidisti etiam supra III, 3, 9. Constructio autem totius loci paullo artificiosior haec est: Quin etiam his ossibus terra conditis tamen, sive equus sive bos sive avis fuerim, quando ex hac migratione in humanam naturam rediero, continuabo inceptum in priore vita opus. De sententia vides ipse quid iudicandum sit; est ut alia multa in hoc carmine

versificatoris, qui modum adulationis non novit et insolita captat, qualia meliori poetae hic non venissent in mentem. — matura dies est dies fatalis praematura. Huschkius e vulgari lectione librorum *fato*, quae ferri nequit, emendat *fati*, ut est *dies fati* Ovid. Heroid. I, 114. Sed nexus ceterorum plenam notionem offert. (Recte Germanice dicas v. c. *Sei es dafs eine frühe Stunde schnellen Tod herbeiführt.*) Nec displicet similium verborum cumulatio (*matura*, *celerem*, *properat*), nam et opponitur longa vita et res per se tristis est. Ceterum cf. Propert. II, 28, 25: *Quodsi forte tibi properarint fata quietem.* — rigidos. Videntur esse omnino duri, ut Heynius volebat; cum enim poetae in talibus oppositiones epithetorum ament, videtur hic durum terrae solum, ubi quadrupes incedit, opponi *liquido* aëri avibus dato. Sic hoc ipso loco tardi pecoris recte scriptum, cum ante de equo currente dictum sit, quod non animadvertens Vossius *torvi* substituit. Saepe vidi viros doctos non satis attendere ad has oppositiones epithetorum, quare nos ubique in his Commentariis de ea re monuimus. Hoc loco *tardi* etiam Bachius tuetur. — pecoris gloria taurus. Conferunt Brouckhusius et Heynius Ovid. Art. Am. I, 290. Virg. Eclog. V, 33. — volucris, ut aquila aut accipiter. Nobiliora enim animalia hic cogitare eum vides. — receperit, revocaverit ad homines, iterum admiserit inter homines (*zurück genommen hat*). — Inceptis chartis, incepto operi, subtexam carmina, novos versus addam. De metaphorico usu verborum *texere*, *intexere*, *contexere*, *detexere*, *pertexere*, *subtexere* dixit Brouckhusius.

E L E G I D I A.

DE SULPICIAE ET CERINTHI AMORIBUS.

PRAEFATIO.

Quae sequuntur elegidia, eorum auctorem cum aliis Tibullum habemus, cum nulla causa idonea adsit, quare non fuisse Tibullum contendamus. In quam sententiam disputatum est etiam in Nov. Mercur. German. (*Neuem teutschen Merkur*) Tom. I. p. 257 sqq. ubi tamen non omnia dicta probamus. Nos diximus de hac re explicate in Vita Tibulli et in Dissertatione de Poesi eius; nunc autem ipsa lectione carminum disces, quanta sit inventionis, compositionis et dictionis elegantia et cum Tibulliana ratione similitudo, quam sint ab omni parte digna tali poeta. (Bachium non satis magna cura et diligentia polita ea dicentem non intelligo). Origo vero eorum probabiliter sic explicari posse videtur: Sulpicia, nobili genere puella, iuvenis cuiusdam amore capta erat eique postremo nupsit, qui hic Cerinthus nominatur. Fuisse eum Graecum perperam opinantur Heynius, Vossius, alii, nomine decepti; fuit haud dubie Romanus, etsi fortasse ignobilior Sulpicia, unde fieri potuit ut mater de alio coniugio cogitaret (6, 15.). Erat amicus Tibulli, qui ad eum secundum et tertium carmen libri secundi scripsit; nam eundem esse hunc nemo iure negaverit. Sed nomen Cerinthus fictum ne dubita. Legitur idem ap. Horat. Sat. I, 2, 81. de pulchro puero, et fuit inter poetica nomina istius temporis. Iuvabit de nominibus fictis conferre Weichertum in Poet. Lat. Reliqq. p. 412 sqq. Sed cur Tibullo placuit fictum nomen? Qui Messalam et Macrum suis nominibus nominat, videri debet etiam huius amici iuvenis verum nomen in secundi libri carminibus duobus scripsisse, nec causa apparet quare illic quidem aliud substituere debuerit, at in his poematiis non

male statues statim ab initio fictum nomen praelatum. Cum enim egregia Sulpicia insigniter tacta esset amore huius iuvenis, Tibullus iucundam rem, poeticae tractationi aptissimam, elegidiis illustrare studuit, et Sulpiciae quidem nomen retinuit, pro iuvenis autem nomine aliud et poeticum substituit, ut cum veritatis specie poeticae fictionis coniungeretur iucunditas, nec ad historicam fidem omnia expressa viderentur exacte, et vera haberentur omnia verba Sulpiciae, sed sentiret lector poetice a poeta exornata esse quae fundamentum haberent historicum. Atque ita conveniebat poetae, si quando edere volebat haec elegidia, quod credo. Sin edere noluit, ipse retinere potuit verum nomen iuvenis, fictum autem substitutum est ab eo, qui post mortem Albii ultimos tres libros edidit. Idem etiam in duobus carminibus secundi libri Cerinthum nomen posuisse videtur, cum sciret eundem hominem fuisse. Confer quae in Vita Tibulli de his rebus iam dicta sunt. Atque haec quidem de Cerintho. Elegias Vossius epistolas inscripsit, quod nomen a grammaticis certe iis tributum vidimus ibidem. Hic tamen addendum non omnibus id revera convenire, nisi etiam carm. IV. ad Phoebum et carm. VI. ad Iunonem credas recte ita dici. Nec carmen VII. pro epistola haberi potest, ubi secum loquitur Sulpicia laetabunda. Nempe Tibullus cum hos amores elegidiis tractare constituisset, varias causas carminum posuit, variosque modos excogitavit, quosdam ex ipsa historia rei petiit, quibus eos depingeret. Nunc natalis Cerinthi est, nunc Sulpiciae, nunc iuvenis venatum abiit, nunc puella rus abire non vult, nunc Kalendae Martiae sunt et dona mittuntur, nunc morbo laborat Sulpicia, nunc suspicio de fide Cerinthi incidit, nunc amore perfruita eius exsultat puella, et sic porro, quae varietas rerum et formarum apertum est quantum iucunditatis habeat. Quod vero postea epistolarum nomen placuit tribuere his elegiis, spectata est maior pars, cui sane id applicari potest. Ac Vossius etiam quo ordine haec carmina per anni tempora sibi succedant, descripsit nobis, sed multa commentus, quae non insunt in iis. Haec enim res definiri nequit, nec voluisse videtur id Tibullus: voluptas poetica larga oritur ex varietate temporum, causarum, casuum, qui in cursu amoris accidunt et imaginem eius alia atque alia ex parte ostendunt, obscuritas autem ex ignorato ordine rerum nulla est. Sed

vis ipsa amoris, qui hic describitur, Tibulli ingenio ex superioribus cognito plane familiaris; aliter Propertius et Ovidius fecissent. Cerinthus quidem cum non auderet adspirare ad tale coniugium, primum timidior fuisse videtur (conf. de pudore modesto Cerinthi non ficto, sed vero supra II, 2, 10.), Sulpiciae vero ardor vividior est, et patet eam vivere nolle sine amato iuvene. Ac Vossius quidem ita interpretatur omnia in his carminibus, ut nihil sit modestius, nec virginitatem furtivis conventibus amantium laesam concedit, intactam virginem nobilem post nuptias in mariti amplexus venisse contendens. Sed verba tamen non semel aliter sonant quam ille narrat. Nimirum non secutus est hic Tibullus publicam severitatem morum, quemadmodum Vossius statuit, sed ardentiori colore ignes Sulpiciae depinxit ut in poesi, exhibens non vulgaris generis puellam, in qua singularis quaedam vis amoris regnat, et quam non pudet libere pectoris impetum sequi, ut olim simpliciori aevo factum, puri castique animi sibi consciam. Vossius ad historicam fidem omnia revocat, oblitus non historiam hic haberi, sed poesin.

CARMEN II.

INTRODUCTIO.

Kalendas Martias sacras festasque fuisse uxoribus Romanis et puellis, iisque tum munera missa a maritis et amantibus vidimus ad III, 1. Similiter nunc Sulpiciae puta a Cerintho munera mitti addito hoc carmine poetae. Laudatur in eo pulchritudo eximia puellae, in qua omnia placeant et qua nulla alia dignior sit vestibus aliisque ornamentis pretiosis. Neque vero directe ad ipsam

puellam hae laudes dicuntur, quod minus venustum fuisset, sed ut vulgo vocatur in festis deus, sic nunc in exordio Mars vocatur, ut veniat spectatum festo hoc die Sulpiciam ornatissimam, atque ita ei in medio carmine describit pulchritudinem puellae, quod sentis optime excogitatum. Descriptio ipsa magna elegantia placet. Deinde illud etiam observa, cum munera dubitari nequeat simul missa, quam praeclaro iudicio poeta haec quidem taceat, laudet vero puellam tanquam prae ceteris dignam ornamentis. Discant a Romano poeta quid deceat, qui hodie natalibus diebus puellis suis carmina mittunt cum donis. Exitus denique vota habet, ut multos in annos celebretur hoc festum; sententia in talibus legitima.

EXPLICATIO.

V. 1-4. Introitus. Verba ad Martem fiunt, ut ipse spectatum e caelo veniat ornatissimam Kalendis suis puellam.

V. 1 sqq. Sulpicia, Servii Sulpicii filia, cf. 10, 4. de qua vide quae diximus in Vita Tibulli. Nobilitatem gentis constat summam fuisse. Puella ut pulchra figura, ita culto fuit ingenio, 6, 2., in amore autem paullo calidior. — est tibi culta, ornavit se pulchre in tuum honorem, cf. infra 6, 3. Horat. I, 5, 4. -- si sapis, si tibi prospicis et commoda tua nosti, habebis enim adspectum pulcherrimum. Ita Wunderlichius. At Heynius minus vere explicat, si iudicium et sensum elegantiae habes, quae significatio aliis locis convenit. — Hoc Venus ignoscet, propter summam puellae pulchritudinem. Conferunt Brouckhusius et Heynius Propert. II, 28, 33: *Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno*, ubi Iuppiter oratur ut succurrat Cynthiae aegrotanti. Tamen illic tristis causa, nunc hilaris oratio est, nec sine lepore dicta sunt haec verba. Ceterum observa ultimam syllabam v. *ignoscet* productam, de qua re vidimus ad I, 10, 13. — violente, similiter *βιατὰς Ἄρης* dicitur Pindaro Pyth. I, 10., ubi

de Marte domito citharae cantu sermo. — arma cadant sive excidant, quod fere frequentius; accidere enim solet, quod nemo nescit, perculsis aliquo adspectu, ut quidquid manu forte teneant aut sinu, effluat et decidat. Multa exempla VULPIUS affert, ut PROPERT. IV, 4, 21. de Tarpeia: *Obstupuit regis facie et regalibus armis, Interque oblitas excidit urna manus,* et OVID. Heroid. XVI, 251. Met. XIV, 349.

V. 5-20. Medium carmen. Laudatur pulchritudo Sulpiciae.

V. 5 sqq. exurere defendit WUNDERLICHIUS contra VOSSIUM ex PETRON. c. 121: *neque enim minor ira rebellat Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas,* HUSCHKIUS autem afferens PLAUT. Bacchid. IV, 9, 15: *Bacchidem habuit secum: ille olim habuit ignem, qui signum daret, Haec ipsum exurit,* et SOPHOCLIS locum ap. Athen. XIII, p. 564, A. (Brunck. p. 641.) de Pelope ab Hippodamia laudato: *Τοιάνδ' ἐν ὄψει ἴυγγα θηρατηρίαν Ἔρωτος, ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων, ἔχει· Ἐνθάλπεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτᾷ δέ με.* Idem vir etiam alias similes locutiones comparat. Adde PINDARI Scolium in Philoxenum et quae ibi annotavimus pag. 643. et vide oculos cum facibus et flammis comparatos PROPERT. III, 3, 14. ibiq. KUINÖL. Nunc venusta inventione Amor suas faces inde accendit. — Acer Amor, acris flammae in pectore auctor, cf. II, 6, 15. — Mox male offendit cum HERMANNO HANDIUS ad Gronov. Diatrib. p. 196. ad variationem poeticam temporis agit — movit, unde WUNDERLICHIUS comparat VIRG. Aen. II, 12. et HUSCHKIUS Catull. LXIV, 148. Rara quidem res apud Tibullum in eodem disticho, sed quod substituunt *vestigia mutat*, quis non videt repugnare simplicitati Tibullianae dictionis? Ceterum *vestigia movere* elegantius dictum pr. pedes movere, ut vides. Porro decor proprie dicitur de motu, et sensus loci est: regnare per omnes puellae motus, sive agat aliquid sive incedat, decorem. Componit exquisitum verbum pr. ornat, decenter disponit, instituit; laudavit iam HEYNIUS Burmann. ad Petron. c. 67. et ad Ovid. Art. Am. I, 160. Ad sententiam confer PAUL. SILENT. Epigram. XXXIV. Anthol. Gr. Tom. IV. p. 52: *Μορφὴν τριχθαδίην Χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει.* — furtim. Neque enim arte quaesitus videtur decor, sed natus, ut non

animadvertas studium elegantiae, sed sponte omnia decenter fiant. Confert Heynius Quintil. I, 11, extr.: *Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.* — V. 9 sqq. Seu solvit crines cet. Notanda suavissima haec repetitionis et conversionis figura, usurpata saepius Propertio ut II, 1, 5 sqq., II, 3, 43. 44. 26, 28. imprimis vero Ovidio frequentata, quem Brouckhusius adeo primum credebat ea usum. Vide v. c. Amorr. II, 5, 43. 44. Art. Am. I, 195. 196. II, 199-201. 297-300. 303. 304. Ceterum quod Tibullus in antecedentibus carminibus suis hac figura non est usus, eo non magnopere offendor; aptior est in tali lepida poesi, quam ubi incitatior regnat affectus. Ac ne nunc quidem in primo versu distichi repetitionis legem accurate observavit, male enim Huschkius coniecit: *Seu fudit crines*, sed leviter tangit figuram. Vide Dissertationem de Elocutione Tibulli. — veneranda, *πότνια* interpretantur. Percellit augusta specie ornati capitis quasi deam videas. Ceterum Vulpius laudat Plaut. Mostell. I, 3, 17: *Virtute formae id evenit, te ut deceat quidquid habeas.* — Mox de palla feminarum exponit Boettiger Sabin. II, 140. Qui tamen male ad amictum eam refert, conf. annotationem nostram ad I, 7, 46. — voluit, placuit ei. — nivea veste, tunica candida, cf. I, 8, 13. Hanc solum gerebant domi, pallam superindutam habebant in publicum exeuntes. Cumulate vero dixit *nivea candida*, oppositionis nervosioris causa, ut saepe monitum est supra. — venit, in conspectum venit, ut supra I, 8, 15. Ceterum *nivea veste venire, Tyria palla procedere*, ut Propert. I, 2, 1: *ornato procedere capillo.* — V. 13 sq. Vertumnus, maxime olim in Etruria cultus, inde translatus Romam, fuit, ut videtur, deus anni fertilitatisque variae per temporum vices, exhibens copias rurales alias atque alias vere, aestate, auctumno, unde aptus dictus est in omnes figuras et ornatus. Locus classicus de eo est Propert. IV, 2. ubi vide interpretes. Adde Creuzerum in Symbol. II, p. 958. et Müllerum in libro de Etruscis Tom. II, p. 51. — felix, distinctus hac re, ut Heynius recte monet, inter ceteros deos Olympi. — aeterno. Miror Huschkio arridere lectionem alteram quorundam librorum

aetherio, quo nihil hic otiosius et ieiunius. De altitudine hic non agitur nec dicit poeta: talis in aethere Vertumnus, sed potius: talis apud immortales Vertumnus, epitheto nunc ad Olympum revocato. Sic PINDARUS pro diis immortalibus aeternum caelum dicit Nem. VI, 3: *ὡς τὸ μὲν οὐδέν, ὁ δὲ χάλκιος ἀσφαλὲς αἰὲν ἕδος μένει οὐρανός*. Comparat igitur Tibullus mortalem feminam cum immortali deo. — mille decenter habet. In prosa oratione dixisses: eosque decenter habet. Sed hoc non poeticum est, unde mille repetendum fuit. Similiter OVID. Amorr. II, 5, 43. laudante BROUCKHUSIO: *Moesta erat in vultu moesta decenter erat*. Ceterum qui comparatione similium locorum delectantur, videant descriptionem OVIDII Met. VIII, 25 sqq. — V. 15 sqq. Solam Sulpiciam pretiosissimis vestibus et ornamentis dignam dicit, mittens nonnulla huiusmodi simul. Caris succis, pretiosis. Succus autem notante VULPIO tribuitur conchyliis et ceteris piscibus, praesertim testa munitis. Ut non opus sit cum HEINSIO *fucis* reponere. — bis madefacta, dibapha. HORAT. Epod. XII, 21. PLIN. IX, 59. laudante BROUCKHUSIO: *Nepos Cornelius qui divi Augusti principatu obiit, me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi. — Dibapha tunc dicebatur quae bis tincta esset, veluti magnifico impendio.* Ceterum cum in quibusdam libris errore pr. bis sit *ter*, de quo dixit HUSCHKIUS, ieiune VOSSIUS scripsit „*permadefacta*“. Talia enim in poesi ieiuna sunt. — Possideatque, h. e. quae possideat. Conf. ad I, 8, 32. — odoratae segetis, h. e. fruticum odoratorum. SENEC. Herc. fur. 909: *Indorum seges*. CLAUDIAN. d. Nupt. Honor. et Mar. 94: *casiae seges*. Dixit vero cumulate *bene olentibus* — *odoratae*, propter praestantiam rei. — De Arabia odorifera vid. PLIN. V, 11. OVID. Met. X, 307 sqq. ibiq. GIERIG. et supra III, 2, 23. Ad v. 19. 20. cf. supra II, 2, 15. Lectionem gemmas optime contra HEYNIUM tuetur VOSSIUS; neque enim solum conchas s. margaritas (II, 4, 30.) sed etiam gemmas eiicere dicitur mare, ut II, 2, 15. Laudat VOSSIUS etiam CLAUDIAN. III, 386: *pontumque per omnem Ridebunt virides gemmis nascentibus algae*, et XXXIII, 252: *stellas accendit in auro, Ostro fundit*

aquas, attollit littore gemmis. Addit Huschkius eundem XXIX, 74: *Cantaber Oceanus vicino littore gemmas Exspuit.* — Mox Eois aquis, ut Propert. IV, 3, 10: *Ustus et Eoa discolor Indus aqua* h. e. ad Eoam aquam, recte explicante Lachmanno. Neque enim intelligo Huschkium, qui non vult iungi *ustus discolor*, et Strabonem laudat scribentem, fuisse qui Aethiopes nigros fieri vi aquarum putarent, et Ovidium Art. Am. I, 723. idem de nautis universe referentem: *Candidus in nauta turpis color, aequoris unda Debet et a radiis sideris esse niger.* De quo non cogitasse Propertium certum. Nam *ustus Eoa aqua* iungi nequit, et si *discolor Eoa aqua* construas, quorsum pertinebit *ustus?* Est enim profecto Indus una eademque causa *ustus* et *discolor.* Neque noster poeta, opinor, de ista opinione cogitavit, sed solis vicinia nigros fieri Indos putavit. Quorsum vero addidit proximus Eois aquis, quaeras, cum iam *rubro de littore* dixerit? Nempe oppositionis causa cumulate loquitur, ut v. 12. vidimus. Opponit enim arvis bene olentibus et odoratae segeti Arabum nunc littus rubrum et Eoas aquas Indorum cum gemmis. Quare non postulabis *equis* a Scaligero de coniectura repositum.

V. 21 - ad finem. Exitus. Celebretur hoc festum multos in annos, ornentque Musae cum Apolline etiam cantu toties puellam dignissimam, quemadmodum hodie mihi affuerunt.

V. 21 sqq. festis Kalendis, scil. Martiis. — testudinea lyra, cf. III, 4, 37. — superbe lyra, ut infra 4, 2: *intonsa Phoebe superbe coma.* Vides autem quid innuat. Musae voce canant, Apollo accinat lyra. — Porro multos in annos h. e. multos per annos, etiam Wunderlichio et Huschkio monentibus, ut Horat. I, 32, 2: *Quod et hunc in annum vivat et plures.* Sed corrupta est lectio librorum veterum hoc sumet, quae sola summam auctoritatem habet. Vossius scripsit *ut sumat,* et in principio *haec,* sed iure improbat Huschkius orationis formam: hanc cantate ut haec. Nec significatio placet. Accipiebat pr. fruendum sumere, consumere hilariter, ut Terentius dixit: *hilarum sumamus diem* Adelph. II, 4, 23. V, 3, 68. et Plaut. in Milit. Glorios. III, 1, 78: *In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est, in bono hospite atque amico quaestus*

est quod sumitur et quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est. Sed aliena antiqua verbi significatio a Tibulli oratione. Quare etiam Bachium non laudo, qui scripsit: *Hoc solemne sacrum multos haec sumat in annos*, h. e. hilariter peragat. Scaliger coniecit *consummet*, ut consummare sacrum pr. perficere est dictum monente Heynio ap. Senec. Herc. fur. 1039. Addit Huschkius Ovid. Trist. V, 5, 23., ut tamen ipse *consumat* potius a Scaligero repositum velit. Verum omnes hae narratae emendationes eo communi errore laborant, quod puellae subiectum inferunt, cum ex pentametro pateat de Musis et Apolline agi. Longe melius igitur est quod Lachmannus proponit: *hoc sumite*, h. e. sumite vobis ornandum, celebrandum. — choro, cantu chori. —

CARMEN III.

INTRODUCTIO.

Abierat cum patre Cerinthus aliquando in rus ad venationem aprorum, unde Sulpicia, ut est fictio poetica, hoc carmen ad eum scribit. Versatur autem summa eius in desiderio sollicito puellae, amati absentiam non ferentis. In quo orditur Sulpicia, ut par est, ab ipso maximo periculo deprecando, ne aper ei noceat, tum crescente affectu detestatur omnino silvas et venationem cum periculis et vulneribus venatori imminentibus. Sed tamen, pergit, ipsa etiam ferrem haec omnia, si tecum vagari, tecum requiescere possem, nunc cave ne alia forte illic puella favori tuo subrepat. Denique in exitu hortatur Cerinthum, ut quam primum redeat. Haec hactenus. Observa nunc compositionem. Apertum est aliam formam hic haberi, quam vulgo vidimus apud Tibullum. Non est enim thema in exordio, illustratio thematis in medio carmine, sed

ita divisum totum, ut primum pericula detestetur iuveni imminentia, deinde alteram maiorem partem doloris tractet puella, quod careat blanda praesentia amati, non fruatur amore castisque amplexibus eius, accedente etiam zelotypiae metu; ergo *priori parti* carminis *altera* aliud novum addit momentum rerum. Totum vero claudit exitus, complectens paucis desiderium, quod toti inest. Nempe qualis alias in antistrophicis compositionibus, talis passim etiam in elegiis ponitur divisio argumenti. Praeterea est carmen egregium etiam varietate affectuum notabile: vides metum ne aper noceat, detestationem venationis, fortitudinem amoris omnia toleraturi, zelotypiae angorem et iram. Qui ubertatem in his carminibus desiderant, ut BACHIUS, non legerunt, credo.

EXPLICATIO.

V. 1-10. Prima pars carminis. Metu agitata Sulpicia ad aprum verba facit, ne vulneret amatum iuvenem, tum omnino silvas et venationem detestatur.

V. 1 sqq. Parce meo iuveni. Cui ignoratur „*quem niveum quondam percussit, Adonis, Venantem Idalio vertice durus aper,*“ PROPERT. II, 13, 53? — bona pascua campi, sunt prata convallis inter montes, monente Vossio, at umbrosi devia montis intellige saltum in arduis montibus densum, quo nulla via ducit. Nam montes et valles clausas incolunt apri. — Nec tibi sit, nec tibi accidat et veniat in mentem ut acuas (*es komme dir nicht bei*), noli, ut PROPERT. III, 3, 41. Locutionem vidimus supra I, 6, 24. Aliis locis est: ne liceat, et *sit mihi* pr. contingat mihi. Similiter Graeci *εἴη, μὴ εἴη*, ut ibidem notatum. Nunc aliud genus dicendi addo, ubi *γίγνεσθαι* cum participio alius verbi iungitur, ut SOPH. Ai. 588: *ἱκνοῦμαι μὴ προδοὺς ἡμᾶς γένῃ*, ne fiat ut nos prodas, PLAT. Sophist. p. 217, C: *μὴ ἀπαρνηθεὶς γένῃ*, ubi HEINDORFIUS etiam SOPH. Philoct. 773. confert: *μὴ σαυτόν θ' ἅμα κἀμὲ — κτείνας γένῃ.* Minime sunt hae inanes circumscriptiones, ut vulgo censere videntur, sed suis locis positae eximie ad-

iuvant vim sententiae. Postremo noli cum Wunderlichio *nec sit* cogitate dictum accipere ut Graecum *οὐκ ἂν εἴη*, sed explica: *μὴ εἴη*. Fallitur enim Wunderlichius per totum Tibullum hunc usum particulae *nec* negans, de qua re ad I, 1, 37. diximus. Et nunc quidem *parce* per *nec sit acuisse* explicatur. — in proelia. Damnanda enim fuit lectio: *in pectora*, cum monente Vossio non petat pectora aper sed latera et coxas obliquo ictu. Ceterum dicitur in arboribus et saxis acuere dentes. — V. 5 sqq. procul abducit. Dixi videri Sulpiciam in urbe esse. Ceterum sensus: Sed heu! procul abducit eum Diana iniecta cura venandi h. e. studio, ut in fine dicitur. Sed igitur dolentis est. Bachius scripsit *curas*, Heinsii coniecturam, h. sensu: Sed Diana amoris curas ex animo venantis abducit. Sed ne alia respondeam, quis non sentit *procul* propter discessum in agros dictum? — Quis furor, cf. ad I, 10, 33. — quae mens, quae insania, quis stultus ardor, veluti Ovid. Met. V, 14: *Quae te — furentem mens agit in facinus*. Vide Bentleium et Schmidium ad Horat. Epist. I, 2, 60. Monet etiam Heynius hoc loco et Huschkius cum Statio. Wunderlichius confert Soph. Trachin. 882: *τίς θυμὸς ἢ τίνες νόσοι;* — densos indagine colles Claudentem. Apri cum maxime in vallibus concavis morentur, has fere cingunt retibus venatores, notante Heynio ad I, 4, 49. veluti Ovid. Art. Am. I, 46. Met. VIII, 334-338. Virgil. Aen. X, 707-710. Unde Vossius hoc loco damnat v. *colles* et *saltus* substituit. Sed defendit locum Huschkius ad I, 4, 49. et prius Weichertus in Epistola critica pag. 84. Est enim res eadem. Intelligitur cava convallis montium seu collium, quos cingens indagine vallem claudis. *Densos* autem puta arboribus et virgultis. Cicer. de Nat. D. I, 42. ex poeta, *quae Lemni Nocturno aditu coluntur Silvestribus sepibus densa*. — Porro claudere proprium esse venationi Heynius notat allatis exemplis. — Considerabis denique sententiam maxime convenientem puellae, quae tenera membra amati laedi non vult. Confert Vossius Bion. Idyll. I, 60. — hamatis rubis, aduncis spinis. Laudat Heynius Ovid. Met. II, 799: *et hamatis praecordia sentibus implet*. —

V. 11-22. Altera pars carminis. Toleraturam tamen se ipsam haec omnia affirmat, si modo cum

Cerintho illic esse possit, quem hortatur ne alius puellae illecebris capi se patiatur.

V. 11 sqq. retia torta feram. Servile officium. Ad sententiam Heynius confert Ovid. Met. X, 533 sqq. de Venere cum Adonide vagante et similem locum Phaedrae ad Hippolytum Heroid. IV, 37 sqq. Ceterum *torta retia* sunt ex filis tortis, ut notum, sive ex lino torto seu cannabi. Affert Wunderlichius *teretes plagas* Horat. I, 1, 28. ubi vide Mitscherlichium. — quaeram vestigia. Confert Heynius Callimach. Epigr. 33: *διφᾶν ἴχνια δορκαλίδος*. — demam vincla cani, copulam, qua canes venatici iungi et retineri solent. Ovid. Met. VIII, 331: *pars retia tendunt, Vincula pars adimunt canibus,* laudante Vulpio. Addit Heynius ibid. VII, 769: *copula detrahitur canibus.* — V. 15 sqq. si — Arguar. Haec verba non possunt verti: etiamsi accuser et in suspicionem veniam, ut volunt Wunderlichius, Vossius, Bachius, alii; nam veram rem vere creditam, non falsam opinionem hominum innui sequens distichon clare docet: *Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit aper.* Sententia Sulpiciae manifesto haec: Sic placeat venatio, si tecum vagari liceat; tunc placeant silvae, si in tuis lacertis requiescere possim. Dixerat v. 6: O pereant silvae deficiantque canes. Similiter nunc in duas partes dividitur opposita sententia, ut et *vagari* velit cum Cerintho et *concumbere.* Simul observa crescentem affectum in v. tunc — tunc. Ac dicit *arguar* et ferar *concubuisse* decentius pr. concumbam. Quae cum ita sint, etiam Heinsii coniecturam *sic* pr. *si* emendantis alienam esse patet, quam tamen cum Brouckhusio, Vulpio, Heynio etiam Huschkius servat. Nihil vidi perversius hac ratione: Ut tecum vagari liceat — tunc placeant silvae — sic tecum arguar concubuisse. Post haec aliud restat considerandum. Atque in Observationibus etiam Heynio *si* visum est non spernendum. — Concumbere Vossius cum Heynio quam decentissime accipit, quemadmodum etiam *Veneris cupidae gaudia.* In quo mihi quidem vim facere videtur verbis. Frustra ad publicos mores civitatis revocaveris huius virginis amores, quos potius ad mythicae aetatis similitudinem expressos dicam. Tib. II, 3, 71: *Tum quibus adspirabat Amor, praebebat aperte Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.* Adde Sulpiciae verba carm. VII., ubi

clare vides contemnentem in affectu suo sermones hominum. — lux mea, ut infra 12, 1. Saepius ita Propertius; Tibullus alias non utitur formula. Homerus dixit γλυκερὸν φάος, Odyss. XVI, 23. — tunc — abibit. Missa conditionali forma sententiae, phantasiae puella vivida ipsam rem quasi futuram ponit. — V. 19 sqq. lege Dianae, ut iubet Diana casta. Suspicatur Vossius proverbium exstitisse, quod castitatem commendaret venatoribus, si bene succedere sibi vellent venationem. — tange. Tuentur verbum ipsa adiecta: casta manu. Videntur autem credidisse, quae non casta manu essent tacta retia, rumpi facile et viam dare feris. Quae Heynius opponit lectioni, nullius momenti videntur esse. — subrepit, amorem mihi debitum intercipiens. Est verbum insidiarum, et confert Vulpius Catull. LXXVI, 3: *Siccine subrepsti mi atque intestina perurens Ei misero eripuisti omnia nostra bona.* Cave vero praesens expellas librorum auctoritate commendatum. Sensus enim: Si qua nunc, dum abes, insidiatur forte amori meo. — saevas feras, lupos.

V. 23. 24. Exitus. Redi quam primum.

V. 23 sq. Venandi studium. Locutionem Brouckhusius et Vulpius exemplis illustrant. — parenti. Vossius Sulpiciae patrem intelligit propter v. 11-18. quae decentius sic dicantur, quam si Cerinthi patris agros cogites, in quos exire velit puella. Sed cum Sulpicia v. 11. dicat: *ut liceat*, hisque verbis significet sibi non licere, sed hypothetice se haec omnia loqui, vides non multum effici hoc modo. Ac si grammaticam consulimus, *tuo* potius supplendum videtur ad *parenti*, hoc enim sensu proximum est, non *meo*. Nec video cur non etiam Cerinthi pater fundum habere potuerit ubi venari liceret. Qui Sulpiciae patrem intelligere maluerint, dicent Cerinthum haud dubie receptum fuisse inter amicos domus, ut patet etiam ex carm. VI, 6. atque ita invitatum a Servio Sulpicio ad venationem. Vossius nunc iuvenem apud Sulpicium fuisse etiam ex carm. VIII. et IX. concludit, ubi alia omnia potius videas quam hoc. — in nostros recurre sinus. Comparat Heynius Propert. III, 20, 10: *in nostros curre puella sinus*, Brouckhusius et Vulpius apponunt Ovid. Heroid. XV, 95: *Huc ades inque sinus formose relabere nostros.*

CARMEN IV.

INTRODUCTIO.

Aegrotante Sulpicia poeta, amicus Cerinthi, Apollinem invocat ut medeatur puellae, et hanc puta summam carminis. Est autem ter repetita invocatio dei, et habet carmen pulchram divisionem partium. P r i m u m enim vocat deum ut morbum formosae puellae expellat, ne turpetur corpus macie et pallore, atque etiam maiora mala avertat. Ac par erat ab his initium fieri. Tum i t e r u m eum vocat cum medicamentis omnibus et cantibus, ut etiam iuvenis amantis anxietas solvatur, qui mortem puellae timeat, hunc autem ipsum hortatur ut bono animo sit et optima speret, cum deus non laedat amantes. Denique t e r t i u m invocat Phoebum, et nunc quidem complectens primae et secundae partis summam, precatur ut in uno corpore servato duos restituat, spondetque ei certatim ab utroque amante offerenda dona et ipsorum in Olympo deorum gratulationes. Patet formam carminis antecedenti similem esse. Facta vero divisio argumenti nunc quidem secundum personas, et ortae sic etiam hic ad similitudinem antistrophicae compositionis d u a e c o n g r u a e p a r t e s, altera Sulpiciam, altera Cerinthum spectans, quas denique e x i t u s coniungit tanquam epodus. Sed quod non vidimus in antecedenti carmine, redit simul forma quaedam tractationis per omnes partes, repetita ter invocatione dei; explicui vero abunde etiam de repetitione formarum, quam dico, in Dissertatione de Poesi Tibulli. Atque haec hactenus. Vides pulchram compositionem elegiae ab eleganti ingenio profectam, et agnosces verum poetam etiam in brevi carmine. Nam etiam in singulis locis elegans tractatio est, ultimo autem disticho nihil fingi potest suavius.

EXPLICATIO.

V. 1-8. **Prima pars. Invocat Apollinem, ut morbum formosae puellae pellat.**

V. 1 sqq. **morbos**, morbum, ut infra 11, 3. — **expelle**, ut Horat. Epist. II, 2, 137: *Expulit helleboro morbum bilemque meraco.* Usitatiu *depellere* est, illud fortius videtur. — **intonsa superbe coma.** Plane ex more Tibulli intonsae comae mentio, cf. I, 4, 38; II, 3, 12. Non est autem otiosum hoc praedicatum, quale malus poeta poneret, sed ex sequentibus quid sibi velit explicandum. Phoebe, ait, qui et ipse iuvenili pulchritudine gaudes, succurre formosae puellae, ne turpetur morbo. Suavis sententia. Ceterum Apollinem medicum vidimus II, 3, 13. — **nec te iam pigebit**, scil. si properaveris. Heynius futurum pr. coniunctivo, ne pigeat, dictum credit, quod ieiunum in tali sententia. — **pallida** haud dubie corruptum. Placuit *candida'* quam coniecturam Heynius reposuit. Vossius cum ea confert Horat. III, 27, 53: *Antequam turpis macies decentes occupet malas.* Sed post *pallentes artus* exspectaveris epitheton, quod *aegra* significet membra. Brouckhusius *squalida* coniecit, quod tamen nimis grave et horridum vere iudicat Heynius in puella. — **informis color**, luridus. — **quidquid triste timemus**, cum euphemismo, ne mortem dicat. — **In pelagus — evehat.** Mittebantur morbi a diis propter culpam etsi non semper gravem; expiatio culpam cum malo tollebat, purgamentis in aquam profluentem deportatis, de quo ritu cf. interprett. ad Virg. Ecl. VIII, 101. et omnino Brouckhusium ad h. l. Verbum *evehat* Heinsius mutavit in *devehat* propter consuetudinem, veluti Brouckhusius laudat Ovid. Fast. VI, 227: *Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta Detulerit flavis in mare Tibris aquis*, et Huschkius Art. Am. III, 386: *Nec Tuscus placida devehit amnis aqua*, et Liv. XXV, 12. ex carmine Marciano: *multaque millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera.* Tamen his nihil efficias, quod cogat. *Evehat*, quod etiam Vossius et Bachius revocarunt, est: abducat in apertum mare.

V. 9-20. Altera pars carminis. Vocatur denuo Apollo ut veniat cum medicamentis et cantibus, liberetque metu anxium amantem, quem poeta bono animo esse iubet.

V. 9 sqq. sapores, succos herbarum salubres expressione collectos, χυλούς. Vide Scaligerum h. l. et Salmasium in Exercitt. Plinian. p. 1285. Probant Heynius, Vossius, Wunderlichius, Bachius, Golberyus, et a Vossio quidem conferuntur *iussi sapores* Virgil. Georg. IV, 62. Tibullus supra I, 7, 35. vina uvis expressa dixit *sapores*. Alieni vero sunt *sopores*, qui Brouckhusio et Vulpio placuerunt, et nuper Huschkio, recte monente Heynio atque etiam Vossio. — corpora fessa, aegra, cf. 11, 2. et supra I, 5, 9. — V. 11 sqq. fata, mortem, cum euphemismo. — aspera verba, cf. ad I, 3, 52. Qualia tamen amantibus condonant dii. — non laedit amantes, erepta puella, et soluto foedere amoris. Aliud significat locutio Propert. III, 16, 11. — V. 17-22. diverso ordine leguntur in libris. Quem in textu vides, induxit Aldina secunda ann. 1515., secuti sunt Muretus, Statius, aliaeque editiones plurimae, etiam Heynius, Vossius, Bachius, Huschkius, Golberyus. Nam verba: At nunc tota tua est, referuntur manifesto ad pentametrum: Si quando fuerit tristior illa tibi. Hic igitur praemittendus cum hexametro suo. Tertium vero distichon, Phoebe fave sqq. ultimam partem carminis orditur. Perversus igitur ordo codicum et editionum plurimarum: *At nunc tota, Phoebe fave, Nil opus est.* Perversa etiam Puccii et Statii emendatio: *At nunc, Nil opus est, Phoebe fave*, recepta a Brouckhusio. Explicate de hoc dissensu Huschkius dixit. — tristior, irata. Propert. I, 6, 10: *illa minatur Quae solet ingrato tristis amica viro*. Addit alia multa Brouckhusius. — candida male Brouckhusius p. formosa interpretatur, hoc enim plane otiosum hic esset praedicatum. Immo recte Vulpius, Heynius, Wunderlichius, Vossius, Bachius senserunt de animi candore agi. Te cogitat, ait, candide, candida mente, sincere et ex animo redamans. credula turba, amatorum puta, amari se opinantium. — sedet. Brouckhusius supplet *ante fores*, collato v. I, 1, 56. Vulpius sedentes in deorum aedibus et vota facien-

tes intelligit. Dure. Melius HEYNIUS haud dubie *sedet* pr. assidet (*dasitzen*) accipit. Solent enim officii nomine invisere aegrotantem admiratores et amici et sedere apud eam. Verbum *assidere* habes v. c. OVID. Epist. XXI, 191. laudante HEYNIO. Atque ita nihil duri video. VOSSIUS qui hoc reiicit, explicat: sedet exspectans. Ubinam? Haud dubie domi apud se quisque. Quid exspectans? Tabellas, opinor, quae eum vocent ad puellam. Viderit lector ipse, num haec explicatio melior et simplicior sit. Ego nihil simplicius video HEYNII sententia: puella te solum secum cogitat, admiratorum turba frustra adest praesto.

V. 21 - ad finem. Exitus carminis. Tertium invocat Phoebum, et nunc quidem pro ambobus amantibus preces facit.

V. 21 sqq. in uno — restituisse duos. Duxit hinc colorem OVIDIUS Amorr. II, 13, 15. notante BROUCKHUSIO et HEYNIO: *Huc adhibe vultus et in uno parce duobus.* Addit WUNDERLICHIUS Heroid. XX, 234: *Quid dubitas unam ferre duobus opem?* Laudat denique HEYNIUS etiam PROPERT. II, 28, 41. 42: *Si non unius, quaeso, miserere duorum, Vivam, si vivet, si cadet illa, cadam.* Adde denique OVID. Met. XI, 388: *animasque duas ut servet in una.* Et contrarium dictum ibid. III, 473: *Nunc duo concordes anima moriemur in una.* — Pergit poeta: Iam celeber, iam laetus eris. Sensus monente HUSCHKIO, qui etiam NAGELIUM laudat Actt. Soc. Traiect. T. IV. p. 259. clarus est hic: Iam celebraberis et hac laudum tuarum commemoratione gaudebis. Laetantur enim dii laudati ab hominibus, EURIP. Hippol. 8: *Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.* — debita, ex voto. PROPERT. II, 28, 60. laudante WUNDERLICHIO: *munera — debita redde.* Adde MITSCHERLICHIUM ad Horat. I, 36, 2. — Porro laetus, ut, optime notante HEYNIO, *vota solvimus laeti,* unde frequens est in monumentis: V. S. L. M. Suavissima vero, ut vidit VOSSIUS, haec servatoris et servatorum laetitia, et erravit HEYNIUS prius *laetus* in *clarus* mutare cupiens. Neque tamen in eo assentior VOSSIO, quod sponsalia, nihil aliud, contendit hoc disticho nuntiari, ubi manifesto de redditis pro restituta valetudine votis agitur. — Postremo notabis quam suaviter poeta a tristi initio ad hilarem finem carmen deduxerit, primum consolans

Cerinthum, mox laetitiam amborum amantium depulso malo, et dei servatoris, et Olympi gratulantis describens. Lygdamus ne unum quidem elegidion potuisset facere, quale hoc est.

CARMEN V.

INTRODUCTIO.

Sulpicia die natali Cerinthi vota pro amoris mutui constantia facit. Quae res sic tractatur. In exordio affirmat sanctum sibi semper fore diem natalem amati, quo olim ei Parcae nascenti regnum in puellas dederint, cum ipsa uratur amore prae aliis, optans eum simili igne incensum. Tum in medio carmine preces fiunt: oratur Genius ut tura capiat et faveat precibus, oratur Venus ut valida catena vinctum teneat utrumque, cum etiam Cerinthus idem optet, licet tectius pudore. In exitu denique iterum precatur Natalem puella, ut annuat. — Compositio carminis simplex est, at non minus partibus suis absoluta. Nam ut alias in natalitiis carminibus primum dies festus nuntiatur, deinde preces fiunt ad deos pro eo, quod optatur, denique in exitu id agitur, ut eventum habeant vota, similiter factum est manifesto etiam in hoc carmine, quod usitatam formam Tibullianae compositionis habet.

EXPLICATIO.

V. 1-8. Exordium. Affirmat puella semper sibi sanctum fore et festum natalem Cerinthi, cuius

amore uritur prae aliis, et quem simili igne cupit incensum.

V. 1 sq. hic mihi sanctus etc. Discriminis causa conferre iuvat VIRG. Aen. V, 49. ubi contraria res, funeris dies, designatur: *Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum, Semper honoratum, sic di voluistis, habebo.* — V. 3 sqq. Parcae cecinere, cf. ad I, 7, 1. — regna superba, imperium potens, sic I, 9, 80. At dederunt non solum est: vaticinatae sunt, sed tribuerunt, nentes stamina, futuram rem. Est saepe de fato, Parcis, diis, ut HORAT. I, 11, 2. pr. decernere. — de nobis, de nostro igne, ut dimidia pars sit in utroque. Praepositione hac partem significari, constat, vid. I, 1, 34. — per te, cf. de collocatione ad I, 5, 7. — Perque tuos oculos, cf. ad III, 6, 47.

V. 9-18. Medium carmen. Precatur Genium et Venerem puella, ut secundent vota sua.

V. 9 sqq. Mane Geni. Est vox *manus*, sanctus, bonus, cascae antiquitatis, aliena ab elegantia huius carminis. Revocavit eam tamen LACHMANNUS in textum, cum variae possint emendationes tentari. Coniectatum vero *Alme* est et *Magne*, quorum illud HEYNIO placebat, BROUCKHUSIO hoc, cum Genius titulo solemni ac proprio deus magnus diceretur, ut in Lapide Puteolano ap. GRUT. p. CX, 7. — cape tura libens votisque faveto. Stabat Genius in domo Cerinthi, unde VOSSIUS a Cerintho oblata dona et vota facta putat. Male. Misit puella Genio dona, et nunc vides verisimilius esse *tura.* Nam et codicum auctoritatem habet, et per se probabile est puellam sola tura misisse, non etiam cetera omnia, merum et liba, quae in domo solebant offerri Genio. Quare non laudamus eos, qui *dona* praetulerunt. — votisque faveto, quae facio pro salute Cerinthi et amore nostro. His igitur faveto, si modo ille vere me amat, et subito sanguinis animique motu, ut HEYNII verbis utar, incalescit, quoties recordatio mei animum subit. — alios suspirat amores, cf. supra I, 6, 35: *Te tenet, absentes alios suspirat amores.* Videtur timidior fuisse Cerinthus, cf. v. 18, et qui non auderet Servii Sulpicii filiam petere; unde suspicio nata puellae, fortasse aliam ab eo magis amari. — infidos focos, infidi amantis, revocato epitheto statim ad locum. Stabat autem ad focum effigies Genii, cf.

ad I, 7, 51. — V. 13 sqq. **iniusta Venus**, ut me magis uras quam Cerinthum et fortioribus vinculis constringas. — Mox **uterque** est de unoquoque singulatim spectato, veluti ap. Cic. ad Attic. VIII, 12: *Fabius amantissimus utriusque nostrum* et Catull. L, 4. Deinde vero **teneamur uterque** pr. ambo. Porro iunge **aeque vinctus**, et *servire Veneri* recordare iam supra lectum II, 3, 30. — **catena**, vide de his metaphoris Mitscherlichium ad Horat. II, 5, 1. — **pudet**. Puella de modestia iuvenis cogitat, quamquam simul etiam matrem timere potuit, conf. carm. sq. v. 15. —

V. 19-20. **Exitus. Repetitur invocatio Natalis.**

V. 19 sq. **Natalis**, idem qui Genius, cf. II, 2, 1. — **quid refert, clamve palamve roget?** Viri docti certatim reponunt *clamne palamne*, ita editt. Pulmanni, Gryph. 1575., Dousae 1592., Passerat., Brouckhusius, Vulpius, Vossius, Wunderlichius, Bachius, Huschkius, Golberyus, ut sit cum indirecta interrogatione: utrum clam an palam roget, de quo dixit Bentleius ad Horat. Satir. I, 2, 63. At enim quidni aeque recte construamus sic: quid refert, sive clam sive palam roget? Quare recte Lachmannus revocavit librorum unicam lectionem et scriptorum et editorum ante Muretum. Ceterum vulgo clara voce precabantur veteres; qui clam, aut pudore retinebantur, cf. II, 1, 84, aut mala vota habebant, cf. Schmid. ad Horat. Epist. I, 16, 60., aut minus intente et serio optabant. Atque hoc nunc respicitur. Etsi clam rogat, ait, non minus ex animo rogat Cerinthus, facit enim pudore. Quare audi. Audiebant enim dii maxime palam invocati, ut iam ad II, 1, 85. dictum.

CARMEN VI.

INTRODUCTIO.

Carmen poetae nomine scriptum ad Iunonem in natali puellae, quae Sulpicia est, etsi nec eius nomen occurrit nec Cerinthi. In introitu viam sibi parat poeta ad summam sententiam carminis, invocans Iunonem ut recipiat dona puellae, narransque suaviter ut ea eleganter compta hodie in honorem deae, simul tamen alii cuidam placere velit. Adsunt enim festo amici familiae, inter quos Cerinthus. Iam sequuntur in medio carmine ea in quibus summa vis inest. Imploratur auxilium Iunonis ad amorem Sulpiciae et Cerinthi firmandum et tuendum. Cura, ait, ne divellantur amantes, sed iuveni mutuum amorem inspira, sic bonum et firmum erit foedus, non dispar et laxum. Tuere deinde etiam conventus furtivos eorum et mille vias fallendi custodes ministret Amor. Atque haec sunt, in quibus consilium carminis continetur. In exitu iterum repetitur invocatio. Obtestatur deam per sacra, quae offeruntur, ut annuat iis quae modo petiit. Velle enim puellam nihil aliud, licet matre dissentiente, et uri eam vehementissime. Nempe amor puellae nunc paullo disertius describitur, ut faciat dea quae ante rogata sunt. Atque ita claudit carmen, optans ut cum proximus annus venerit, iam vetus et inveteratus sit amor nec dissolvi amplius possit. Sic poeta. Vides rursus compositionis rationem, qualem habere hic solent natalitia carmina, habetque etiam antecedens. In exordio vocatur dea ut adsit et capiat dona, medium carmen preces habet pro amore mutuo amantium, exitus denique id agit ut rata fiant vota. Accedit vero nunc hoc, quod ter repetitur invocatio, quemadmodum in carm. IV. ad Phoebum vidimus factum.

EXPLICATIO.

V. 1-6. **Introitus. Invocatur Iuno, ut capiat dona puellae amantis.**

V. 1 sqq. Natalis Iuno. Ut viri Genium, ita feminae Iunonem natalem colebant, cf. III, 6, 48. — turis acervos. Haec lectio sola auctoritatem habet, licet pulchrius videatur quod alii quidam libri offerunt, *honores.* Sic Tibullus I, 7, 53: *tibi dem turis honores.* Adde Brouckhusium ad nostr. loc. et Passeratium ad Propertii IV, 6, 5: *Costum molle date et blandi mihi turis honores.* — docta est culto ingenio puella, quae poesin intelligit et iudicare de carminibus potest, ut Cynthia Propertii, cf. I, 7, 11. II, 13, 11., aut etiam ipsa versus facit, cf. locos ap. Brouckhusium, ut Sempronia Sallust. Catil. 25. et doctissima Perilla apud Ovid. Trist. III, 7, 31. Res nota. Monuit etiam Vossius in Praefatione ad Translationem Germanicam. Talis fuit etiam Sulpicia, quam iure colligas versus facere potuisse, cum septem horum carminum poeta finxerit eam scripsisse, id quod aliter non videtur facturus fuisse. Conf. etiam carm. VII, 3. Redeamus in viam: cur nunc hoc epitheton positum? Nempe commendatur Sulpicia favori Iunonis; esse non vulgarem puellam sed cultissimi ingenii. Etiam quod *teneram manum* commemorat, revocabis ad totius personae laudem, quemadmodum aliis multis locis vidimus. — Tota tibi est hodie, totam se hodie tuo cultui et honori destinavit. De locutione cf. Propert. I, 13, fin. — tibi se compsit. Comparat Wunderlichius Horat. I, 5, 4: *cui flavam religas comam.* Vide supra ad IV, 2, 1. Induta erat etiam vestibus melioribus, ut par est; sed poeta instar omnium capitis ornatum laudat. — laetissima, lubenti animo ideoque diligenter, quippe maxime te venerans et magnam spem in te ponens. — conspicienda, cf. supra I, 2, 72: *Insideat celeri conspiciendus equo.* — V. 5 sq. ornandi causas tibi relegat, ad te refert. Vulpius confert Quintil. Instit. Orat. Praefat. libr. VI, med.: *Frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus.*

V. 7-12. Medium carmen. Proponitur deae, quid ab ea expetatur.

V. 7 sq. neu quis divellat amantes. Primum precatur, ut stabile sit foedus amoris, mutuis vinculis firmum. Incendat igitur dea Cerinthum aequali amore, hoc enim vult dicens: *iuveni mutua vincla para.* Vossius explicans: para iuveni nuptias, certe plus infert quam per se inest. Nec conveniunt vss. 11. 12. ubi de fallendo custode sermo. Melius idem commendat *neu quid divell. am.*, si modo critica faveret. Displicere potest *quis*, si matrem (v. 15.) tangi statuis; tamen nexus sequentis versus oppositi eo potius ducit, ut solutus amor intelligatur. Vult: ne quis malevolus avertat Cerinthum. Hinc Lachmannus olim ad Propertium I, 9, 19. emendabat: *fors.* Sed elegantius ceteris omnibus est haud dubie *quid.* De lectione *nox* non est quod dicamus; explosit Vossius. — V. 9 sq. Sic bene compones. Bene Huschkius: *Sic*, id est, si mutua vincula parabis iuveni, *non impares formas atque animos sub iuga mittes*, ut de Venere Horatius scribit I, 33, 10, *sed bene compones.* Componuntur, iunguntur, copulantur bene, in quibus similes voluntates, similis amor. Vulpius comparat Ped. Albinovan. ad Liviam, ubi v. 301. de Druso et Antonia coniugibus est: *par bene compositum*, et eum usum verbi notissimum, ex quo gladiatorum paria componi dicuntur. — Servire — dignior, cf. II, 6, 43. ut ἄξιος Graece construitur. — V. 11. 12. Hoc est alterum quod a Iunone rogat, ut adiuvet conventus amantium. De Amore vias fallendi ministrante confer supra I, 8, 56.

V. 13-ad finem. Exitus. Repetita invocatione obtestatur deam ut annuat, causam precum subiiciens in amore puellae maximo positam.

V. 13 sqq. purpurea perlucida palla. Vidimus Coas vestes II, 3, 53. — Talis nunc etiam haec tenuis et perlucida palla purpurea, qualem etiam Cleopatra gestat apud Lucan. X, 141, notante Vossio. Ad *perlucida* Wunderlichius confert Iuven. Sat. II, 78: *Cretice pelluces*, h. e. pellucida toga incedis. Est *perlucere* lucem transmittere, idque ad ipsam personam transferri potest. Nunc tunica cernitur per superiniectam pallam. Postremo sensus loci: Veni quam ornatissima. Est enim faventis et propitii

dei, bene ornatum adesse festo, cf. II, 5, 7. — fit, sacrificatur. Res nota. — De libo cf. ad I, 7, 54. et vide II, 2, 8. Veni, ait poeta, ipsa visura honores tuos et fave. — V. 15 sqq. Praecipit et natae etc. Alienum est *en* vulgo lectum. Sensus vero hic: Praecipit quidem mater studiosa etiam filiae quod optet et roget deam, ut ipsa preces facit, illa vero aliud tacite precatur. — studiosa, explicant: commodis filiae prospiciens. Sed potius pr. adverbio *studiose* accipias et ad *praecipit* referas, ut dixit v. 3: *se laetissima compsit*, et 4, 19: *candida cogitat.* — iam sua. De significationibus variis pronominis diserte exponit Vulpius; nunc *iam sua* est: iam suum arbitrium, suos affectus sequens. Insuave hoc dicunt et probant Heinsii coniecturam *clam sibi.* Tamen quae ita facit, nonne est *iam sua?* — ut celeres flammae. Ardentibus in foro ignibus sacrificii praesentis causa, suaviter inde petitur comparatio. — Nec sana fuisse velit, h. e. non uri. Ceterum cf. supra II, 5, 110: *Et faveo morbo, tam iuvat ipse dolor.* Addit Heynius Anthol. Lat. III, ep. 194: *Hic furor, hic, superi, sit mihi perpetuus.* — V. 19 sq. Difficilis locus. Lectiones antiquiores sunt *Si, Sis, Sic iuveni grata.* Lachmannus, qui comma post velit posuit et Si recepit, coniicit *gratae.* Videtur igitur sic intellexisse: Nec sanari velit, si modo, cum iuveni gratae, beneficiorum tuorum memori, proximus annus veniet, hic idem amor adsit votis. Alius puncto post *velit* posito *Si* pr. utinam accipiat. Verum *iuvenis* de puella in his carminibus non dicitur, ubi Cerinthus ubique hoc nomen fert. In editionibus ante Scaligerum emendatio exstat: *Sit iuveni grata, adveniet cum.* Lipsii Excerpta praebent *ac veniet*, uti etiam a Passeratio emendatum. Atque has correctiones cum aliis probarunt Heynius, Vossius, Wunderlichius, Bachius, Huschkius, Golberyus. Iam erit sensus: *Quare fac ut cara sit Cerintho, ac post annum iam inveteratus sit hic amor.* Quae aptissima sententia est in exitu carminis, observante etiam Vossio, nisi quod pr. grata mallem *cara.* Huschkius eleganter coniicit: *Sic iuveni placeat*, quam huic verbo glossam „grata sit“ videri possit aliquis olim adscripsisse. Mihi quod in his displicet maxime, asyndeton est, *placeat, veniet.* Nam quod Huschkius damnat copulam ut languidam, in eo fallitur haud dubie; praestat hic certissime mol-

lior iunctura. — votis iam vetus adsit amor, h. e. festo et votis, quae tunc suscipientur, tamquam vetus socius adsit hic idem amor, stetque firmatum foedus iam spatio anni. Ceterum non deum Amorem hic intelligi, ut Vossio visum, ipse sentis.

CARMEN VII.

Potita tandem votis suis puella et perfruita teneris amplexibus amati iuvenis, qui timidior ante fuerat, laetabunda in haec verba erumpit, quae secum loquitur, opinor; neque enim pro epistola ea habemus.

V. 1 sq. qualem texisse pudori etc. h. e. qualem magis pudori sit fama texisse quam nudasse, s. qualem magis pudori mihi sit, si dicar texisse, quam nudasse; peccarem enim in deum datorem gaudiorum, si puderet me rei. Vocabulum fama esse propter locutionem *pudori sit* electum ipse vides. Veram igitur habeo restitutam a Lachmanno lectionem. Nam locutio *pudori sit* est hic sine dubio propria et nulla alia aeque convenit. Vulgo scribitur: *qualem texisse pudore Quam nudasse alicui sit mihi fama minor*, in quo *minor* ab Italis est. Sed magnopere displicet locutio, laus, honor, gloria mihi sit texisse quam nudasse talem ardorem. Quis enim in tali re haec verba ac non potius pudoris nomen exspectet? Vulgo enim pudori est nudasse gaudia amoris. — nudasse alicui. Constructionem ceteroquin raram, nudare alicui aliquid, illustrat Huschkius afferens Liv. XLII, 63: *Fama equestris pugnae vulgata per Graeciam nudavit voluntates hominum;* Claudian. XXXIII, 212: *Viderat haec dudum summa speculatus ab arce Iuppiter ac Veneri mentis penetralia nudat.* Idem contra Heynium monet non dici „nudare palam". — Quam praemissum comparativo nemo igno-

rat. Sic nihil est quod addam; nam perversam collocationem verborum, quae Vossio videtur, nego esse. — V. 3 sq. Exorata meis Camenis, ut Sappho in Venerem carmen scripsit notissimum, quo opem eius implorat. — Attulit. Magna suavitas est sententiae, amorem a Venere allatum et in sinu puellae depositum. Nam illum haud dubie ad amorem pertinet, quamquam subest loco sensus hic: formosum iuvenem a Venere adductum in amplexus puellae. Perperam igitur Vulpius et Heynius ad *illum* supplent *Cerinthum* nondum memoratum. Quis vero non sentit quanto illud sit pulchrius? Discas autem hoc claro exemplo, quid intersit inter veram personificationem et speciosam; non est hic deus Amor, ut nec supra in fine antecedentis carminis, sed ardor amatorius cum gaudiis suis, loquitur vero de eo *tamquam* de persona vel re corporali. Conferre iuvabit Pindar. Nem. VIII, 6: *οἷοι* (*ἔρωτες*) *καὶ Διὸς Αἰγίνας τε λέκτρον ποιμένες ἀμφεπόλησαν Κυπρίας δώρων*, ubi pariter de hac re monui. — Postremo de coniunctione singularis et pluralis meis — nostrum cf. I, 9, 48. et infra 11, 5, 6. Non erat quare hoc negligentiae tribueret Heynius. — V. 5 sqq. Exsolvit promissa Venus. Est probabile inter vota, cum urerentur tura, puellam aliquando omen felix sibi visam observare, cf. II, 2, 10. — mea gaudia narret etc. h. e. differant invidi, si lubet, qui talibus non sunt potiti. — non habuisse sua, cum haec lectio commodum sensum praebeat, non est quare *suam* postulemus. — Non ego signatis etc. Ego vero, dicit quo nunc est in affectu puella, tam parum celari amorem meum cupio, ut apertas possim epistolas meas ad Cerinthum mittere et sensu animi etiam aliorum oculis exponere. Neque tamen facit ita aut factura est, sed sunt haec calida verba puellae, quae postquam certissimis signis amorem Cerinthi cognovit, vix sustinet occultam ferre felicitatem suam. Et certe nunc parentibus suis indicavit se nolle alii quam Cerintho nubere. — signatis tabellis, epistolis amatoriis, quales inter amantes discurrunt. Ceratis tabulis inscriptae litterae, ut constat, obsignabantur annulo. — Ne legat id nemo. Notabis duas negationes cum vi pro una positas, ut ap. Propert. II, 19, 32: *absenti nemo ne nocuisse velit.* V. D. Nitzschius in Disputatione de particulis et pronominibus negativis Graecis et

Latinis, praemissa Indici Scholarum Kiliensi ann. 1832. semestr. hibern. pag. XIV., laudat *Me legat ut nemo*, quod Vossius, Wunderlichius, Bachius reposuerunt. At enim, cum vera ratio sententiae manifesto haec sit: ut nemo me legat, vides pronomen *me* perperam initio collocari, quod potiorem vim plane non habet hic. Ea in negatione est (*dafs ja niemand lese*). Porro quam — ante, veluti Propert. II, 25, 26: *Septima quam metum triverit ante rota.* — Mox vultus componere famae, vultu dissimulare rem famae causa. Est *famae* dativus commodi quem dicunt. — cum digno fuisse ferar. Usum absolutum v. *dignus* illustrat Bentl. ad Horat. Sat. II, 1, 85. Phrasis vero *esse cum* nota, ut Ovid. Art. Am. III, 664: *crede mihi, mecum non semel illa fuit.* Plura affert Brouckhusius. Adde Westerh. ad Terent. Andr. I, 1, 58. et Burmann. ad Anthol. Lat. V, ep. XIV, p. 491. Monet Vossius turpiorem significationem locutioni per se non inesse, sed e nexu orationis, ubi reperiatur, nasci, afferens v. c. Terent. Heaut. I, 2, 11: *Quam vellem Menedemum invitatum ut nobiscum esset hodie amplius.* Corn. Nep. Alcib. X, 5: *Erat cum eo quidam ex Arcadia hospes,* alia similia. Opponas tamen ibi de feminis omnino non agi, et Varron. de Ling. Lat. VI, 80: *Violavit virginem pro vitiavit dicebant; aeque eadem modestia potius cum muliere fuisse quam concubuisse dicebant*, et ipsius Sulpiciae verba *peccasse* se dicentis. Quae cum ita sint, quid dicemus? Sulpicia experta furtim oscula et amplexus Cerinthi non habet turpe quod passa erat, utpote puri castique amoris sibi conscia, ceteroquin magna in affectu secum loquens necdum ad sedatiorem statum animi reversa. Ac poeta exhibet virginem magni animi, puris sensibus, at in summo ardore puellari.

CARMEN VIII.

Dicit Sulpicia invisum sibi esse natalem suum, si ruri et sine Cerintho celebrandus sit, rogatque Messalam, qui eo abducturus erat puellam, ut iam quidem itinere desistat.

V. 1 sqq. Invisus natalis adest. De suo natali loqui Sulpiciam verba clare docent; neque enim Cerinthi natalem dixerit invisum diem sine Cerintho agendum, monente etiam Heynio. Mire Vulpius Messalae natalem cogitat. — an villa sit apta puellae, ut in ruris solitudine diem ducat procul a gaudiis urbis? — Arretino agro. Illic igitur apud Arretium in Etruria fuit villa Messalae; nam quod oppositum est huic lectioni a Cyllenio, Scaligero, aliis, remotiorem hanc regionem ab urbe esse, quam ut eo animi causa duceretur puella, per se non sufficit ad eam convellendam. Quid enim, respondeat aliquis, si eam ipsam ob causam placebat hoc iter parentibus, qui remotam filiam vellent e vicinia Cerinthi? Sed nolumus hariolari; illud vides in re incognita, ubi plures cogitari possunt itineris causae, abstinendum esse a temeraria mutatione lectionis; emendavit autem Cyllenius *Eretino* ab oppido Eretio non longe a Nomento, Huschkius *Reatino*, quem sequitur Golberyus. Sed pr. v. amnis cum Heinsio, Heynio, Vossio, Bachio *Arnus*, quod codex Thuaneus habet, ab auctore carminis positum credo; nam ieiunum hic appellativum, quia indefinitius est, optimum vero nomen proprium. Fuit Arnus huius regionis, descendens ille ex Apennino, ac quod frigidus dicitur, videntur Vossio nebulae frigidiores circa flumen respici, prope quod villa, quales isto tempore anni potuerunt esse. Huschkius male *annus* revocavit, frigidum annum interpretans auctumnum, qui hiems est Virg. Aen. VI, 311. — nimium mei studiose, officiose, quiescas, desistas ab isto studio tuo et cessa me premere. Plaut. Mostell. V, 2, 51: *Quiesce hanc rem modo petere.* — Mox Non tempestiva via est iter non

tempestivum, instante quippe natali die. Mira hic comminiscitur Vossius. — saepe propinque. Verba corrupta, ut iudicarunt Heynius, Huschkius, alii. Wunderlichius comparans Graecum ἐγγὺς εἶναι τινός, explicat: saepe tu iter intempestivum suscepture, h. e. qui non semel mihi molestus fuisti itineribus intempestivis. Similiter Vulpius: Qui profectionem et discessum identidem cogitas, afferens locum Lucani VI, 1. repetitum ab Huschkio: *Postquam castra duces, pugnae iam mente propinqui, Imposuere iugis.* Tu, credo, mecum sentis ineptam et perversam hic esse talem dictionem. Heynius coniecit: *Non tempestivam sic properare viam,* modo ne haec longius a tradita scriptura recederent. — Hic, Romae. Vides ante iter scripta haec esse in urbe, minime vero in villa, ut Vossius censet, qui omnino fabulas excogitavit ad hoc carmen. Verum vidit Wunderlichius cum Heynio, assentitur Huschkius. — abducta, ex urbe procul a Cerintho meo, cf. II, 3, 61. Non ubique significat vox invitum duci, at hoc loco. Iam ut fit (veluti infra 13, 9. 10. verba *secretis silvis* pentameter amplificat sic: *Qua nulla humano sit via trita pede*) in eandem sententiam subiicit pentametrum: Arbitrio quoniam etc. h. e. quoniam mihi vim infers nec me sinis ipsam domi manere. Supplebis igitur *me.* Quod emendavit Heinsius *arbitrii — mei,* constat hodie non temere inferendam esse in haec carmina formam genitivi, quam primus Propertius admisit poetarum Augusti senescentis aetate. Esse arbitrio meo dictum videtur pr. in arbitrio meo. —

CARMEN IX.

Nuntiat amicus Cerintho abiectum consilium itineris et licere puellae in urbe manere natali suo, quem nunc laetissimum diem fore.

V. 1 sqq. iter ex animo sublatum puellae, scis, ait, curam, tristitiam, metum istum de itinere suscipiendo sublatum e puellae animo? Similiter alias passim res ponitur aut persona pro imagine, cogitatione eius. Sic VIRGIL. Aen. I, 712. *abolere Sychaeum* pr. eius desiderium et memoriam. SIL. ITAL. I, 61: *abolere Aegates*, v. 345. ibid. *haustus medullis Hannibal*, h. e. verba Hannibalis. — Mox legendum cum ALDO aliisque suo est, h. e. iam licet puellae Romae esse natali suo. Nam sive a puella scripta est epistola, ut HUSCHKIO et GOLBERYO male videtur, sive ab amico Cerinthi, ut sequens distichon probat, *tuo* ferri nequit, quia de Sulpiciae, non de Cerinthi natali sermonem esse ad antecedens carmen vidimus. — Omnibus ille dies etc. Clara sunt omnia, si amicus Cerinthi loquitur, inepta, si Sulpicia. Celebrabimus, ait ille, omnes amici tui laetum diem, qui tibi praeter exspectationem nunc venit. Ac Cerinthus apud Sulpiciam erat futurus, amici alio ad convivium conveniebant, nisi apud se quisque domi observabat hunc diem. Haec igitur clara. Absurde vero dicat hic Sulpicia: Celebrabimus omnes natalem meum, qui tibi amanti nec opinanti venit. Male etiam: Celebrabimus omnes natalem tuum (si *tuo* v. anteced. defendas), qui tibi nunc inopinanti venit. — agatur, celebretur, HORAT. IV, 11, 14: *idus tibi sunt agendae.* VOSSIUS denique *genialis* recepit, quod vel propterea ferri non posse dicas, quia non Genio, sed Iunoni sacer erat Sulpiciae natalis. — nec opinanti et forte, cumulate cum vi. Recte; nam eo iucundior res, quo minus exspectabatur.

CARMEN X.

Inciderat forte aliquid, unde Sulpicia suspicaretur Cerinthum alia puella vulgari captum. Quare memor nobilitatis suae his litteris carpit et exagi-

tat eum amara cum ironia, et minatur se amorem suum in digniorem translaturum.

V. 1 sq. Gratum est, placet, iuvat, alias etiam: gratias ago, formula usitatissima exemplis multis illustrata a Vulpio, nunc ironice ponitur. Iuvat vero, inquit puella, quod de me et de amoris mei patientia tibi promittis, ne iniuria quidem me provocatum iri putans ut alii amori cedam. Librorum quidem lectio est *Permittis*, veluti Quintil. Instit. Orat. I, 4. dicit: *Grammatici libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserunt sibi.* Iam si construas: *Gratum est quod iam tibi de me permittis*, primum exspectet aliquis *in me* pr. *de me*, intelligitur enim defectio a Sulpicia, deinde hoc quidem factum vix est gratum ei, neque huc pertinet ironiae risus. Negari igitur non debet egregiam esse Heinsii emendationem vulgo receptam Promittis. Horat. Sat. I, 4, 102: *si quid promittere de me possum aliud, vere promitto*, laudante etiam Huschkio. Nunc iunge: *Gratum est quod tibi de me promittis.* Quid vero hoc est? Toleraturum puellam perfidiam Cerinthi. Atque haec opinio est, hanc ridere licet, hic igitur locum habet ironia puellae. Cetera difficultatem non habent. Cur enim sibi promittit illud? Quia multum securus est ne male inepta cadat puella. Recte igitur primum iungitur securus multum h. e. plane non veritus, notante Wunderlichio et Huschkio, et minus commodo hic sensu cum aliis Heynius *multum promittis* construit. Deinde male inepta est: nimis stolida, ut alias passim *male* auget significationem adiecti verbi, veluti *male dispari* Horat. I, 17, 25. *male parvus* Satir. I, 3, 45. cf. Bentl. ad Horat. III, 14, 11. et Huschk. ad nostrum locum. Nunc perquam stulta esset puella, sic censet iudicare Cerinthum, quae tam pulchrum iuvenem posthaberet alii forte minus formoso. Laudat Heynius Propert. II, 29, 14. Denique cadam est: peccem, cf. Plaut. Pers. IV, 4, 104. ibiq. Taubmann. et Senec. Controv. I, 3, fin. — V. 3 sq. Si tibi cura togae potior, si tu meretricem praefers. Libertinae non stolam gerebant et pallam, sed versicolorem tunicam breviorem et pallium etiam *togam* dictum, unde togatae appellabantur, vid. Horat. Sat. I, 2, 63. ibiq. interpretes Torrentium et Heindorfium. — pressumque quasillo Scortum, quasillaria, quae

contemtissimae ancillarum, ut e PETRONIO c. 132. liquet, collato BOETTIGERO in Sabin. Tom. II. pag. 104. Erat vero *quasillum* calathus, in quo ancillae pensa diurna reponebant, cf. laudatos iam ab aliis interpretes ad PROPERT. IV, 7, 41. et ad CICER. Philipp. III, 4. Ac *premi quasillo* est tenere, portare, circumferre quasillum grave lana. Postremo moneo, quod ipse vidisti, me initio sententiae lectioni *sit* praetulisse coniecturam HEINSII si, utpote melius convenientem rationi carminis. Ridet puella Cerinthum quod nimis securus sit de favore suo. Erras, ait, quod aeternum credis favorem meum. Si tu aliam amas, sunt etiam mihi admiratores. Sin ponas *sit*, dicet: habeas tibi alias, nihil refert, non doleo, sunt mihi alii admiratores. Sed haec non est mens eius; revera dolet et ne ironice quidem permittere vult credo quod sic ponimus. — V. 5 sq. Solliciti sunt pro nobis. De constructione WUNDERLICHIUS confert TACIT. Hist. IV, 58: *Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior aut pro me securior.* HEYNIUS ex Gellio XIX, 1: *sollicitus pro vita* affert, et HUSCHKIUS ex Appulei. Met. V. p. 99: *sororibus pro tua salute sollicitis.* — Quae sequuntur verba: quibus illa dolori est, refer ad sollicitos illos admiratores Sulpiciae, qui indignantur vilem illam tali puella potiorem haberi. Postulat hoc etiam oppositio: Si tu, inquit, praefers vilem puellam, sunt contra mihi amici exosi illam, qui nolunt me cedere et posthaberi tali ignoto toro et colunt, honorant data opera. Ne iungas igitur cum HEYNIO nobis — quibus, in quo etiam illud displicet, quod Sulpicia directe fatetur dolori sibi esse istam vilem. Nec latebit te sic hoc colon omnino inutile et ieiunum additamentum fieri. Ceterum *dolori esse alicui* est: ira afficere. — Verba: Ne cedam ignoto toro, male HUSCHKIUS cum amico HEYNII explicat: ne tibi, obscuro homini, nubam, quasi talia verba aequo animo ferre Cerinthus potuerit. Stultissima fuisset Sulpicia talia iaciens, vilissimus homo Cerinthus, si in tali contemtu non discessisset indignabundus. Ceterum ignotus torus supra dictus III, 6, 60. quemadmodum Graece toties λέχος de amata aut amato, de uxore aut marito. — maxima causa. Quod multi probarunt *maxima cura*, manifesto tenuius est et debilius hoc fortiore et ponderosiore verbo, quod bene LACHMANNUS revocavit. Est vero *maxima*

causa nunc ipsa praestantissima puella, maximo certamine digna, a forensibus rebus ducta locutione. Initio versus cave *nec* probes pr. *ne*.

CARMEN XI.

Ex febri laborans Sulpicia unice de Cerinthi sui amore sollicitam se esse ait. Verissime iudicatum est suavissimum esse hoc poematium.

V. 1 sqq. pia cura. Ovid. Heroid. VIII, 15: *At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste.* — Mox calor est febris. — Quod vexat. Non opus Heinsii coniectura *Dum.* — Ad verba evincere morbos Vulpius confert Columell. de Re Rust. VI, 5: *Evincendi autem sunt quamvis pestiferi morbi et propulsandi.* — V. 5. 6. Est hoc distichon quodammodo conversio praecedentis, in qua ratione blandi quid inest. Probamus vero At cum Lachmanno, siquidem opposita haec est sententia. Cupiam sanari, ait, si te quoque velle putem, at non cupiam, si tu me non ames. Ceterum lento est duro, non commoto, ut constat. —

CARMEN XII.

Puella repentino animi motu hesterna nocte amantem Cerinthum deseruerat, qui ad eam venerat. Nunc excusat ei hanc stultitiam.

Verba: Ne tibi sim sqq. sunt asseverantis. Sic, ait, non tam ardenter a te amer ac paucos ante dies amabar, nisi stulte feci quod te reliqui. —

Perlectis singulis elegidiis omnibus non spero te invenisse, quod certo dici possit alienum a iudicio Tibulli. Est ubique aliquid argumenti diversitas; nihilominus aegre reperias quod Tibullianae dictioni similius sit his elegidiis. Paullo ornatius quidem primum est, sed in Sulpiciae laude recte iudicavit Tibullus maiorem ornatum ponendum.

CARMEN XIII.

INTRODUCTIO.

Quid intersit aliorum aliquis an suos amores canat, clarissime hoc carmen docet comparatum cum antecedentibus. Suavia illa sunt et venusta eleganterque composita ut vidimus, ac habet magnum ardorem Sulpiciae affectus, sed tamen abest proprius ille Tibullo insignis vigor affectuum, qui in primo et secundo libro conspicuus, nunc tota cum vi sua in hoc carmine redit. (*Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra Lumen, et in solis tu mihi turba locis!* Quis in talibus non agnoscit Tibullum?) Nunc enim se ipsum poeta iterum exhibet, ante aliorum sensus imitabatur. Est autem verisimile in Glyceram scriptum carmen, ut in Vita Tibulli exposui, post mortem vero Tibulli repertum, sic editum esse cum antecedentibus. Nam Nemesis nullo modo esse potest, quam alloquitur: puella avara et superba, quae praeter Tibullum etiam alios admittebat saepe, quomodo de Tibulli perfidia queri potuit? Foederis, quale hic in primo disticho commemoratur, nullum vestigium videas in carminibus ad Nemesim, neque huius generis fuit iste usus. Similis potius hic amor ei, quem ex carminibus ad Deliam novimus. Neque tamen Delia cogitari potest, cuius nusquam servitium commemoratur, nec cadit huiusmodi quid in hanc mitem puellam. At Glycera immitis erat. Ne multa; hanc mecum intellige. Videtur vero Glycera tum dubitasse de amore Tibulli, suspicione forte orta alius consuetudinis,

unde respondet ei poeta. Neque enim ulla harum elegiarum sine certa quadam externa causa est scripta. Videamus nunc argumentum. Summa, ut alias, statim in principio legitur enuntiata: Nulla alia abducet me a te, tibi in perpetuum me addixi. Atque in his explicandis versatur elegia. Tu enim sola mihi places, pergit, atque utinam alii nemini placeas; lubens careo celebritate ea quod insignem puellam habeam, tecum possim in silvis et solitudine vivere, ac licet e caelo mittatur amica, Venus ipsa non me poterit artibus suis a te avocare. Effunduntur haec vividissime, uno impetu, magis magisque incalescente animo. Nunc attende quomodo finem inveniat elegia. Ecce repente ex affectu redit ad se. Quid facio demens? Prodo imprudens ardorem meum puellae, quae nunc secura amoris mei, difficilis erit et superbius me uret. Quid igitur? Manebo vel sic, pergit, in servitute puellae, a qua discedere omnino non possum. Ac si durius habeas, confugiam ad aram Veneris, quae punit iniustos et supplicibus favet. Vides bene novam gradationem sententiae additam, si quidem vel crudelius habitus non desistet ab amore suo, et tamen finitur et absolvitur etiam aptissime elegia cum hoc considerate repetito consilio perpetuae constantiae speratoque auxilio Veneris. Ceterum de structura carminis notabis, non discretum hic haberi exordium, sed confusum cum sequentibus una perpetuitate, quod semel hic admisit Tibullus in parva elegia. Exitus vero distincte separatur a ceteris.

EXPLICATIO.

V. 1-16. Prior pars carminis. Iurat poeta in perpetuum se addictum puellae suae, et nullam aliam unquam sibi placituram.

V. 1 sq. subducet lectum, dolose surripiet, blanditiis suis me abducens a te, explicante bene Heynio, qui confert Propert. I, 8, 45: *Nec mihi rivalis certos subducit amores.* Porro *lectus* est consuetudo, amor, ut notum, et comparant Statius Heyniusque Soph. Electr. v. 116. ubi εὐνὰς ὑποκλεπτόμενοι viden-

tur esse, quibus furto ereptus est torus. — Hoc foedere, hac lege. Hoc, ait, iuravi tibi, cum primum lectum tuum conscenderem. Iungere Venerem vidimus supra I, 9, 76. — V. 3 sq. Tu mihi sola places, formula usitata, ut notant, veluti PROPERT. II, 7, 19: *Tu mihi sola places, placeam tibi Cynthia solus.* OVID. Art. Am. I, 42: *Elige cui dicas, tu mihi sola places.* Hic a libris maiorem auctoritatem habet lectio: *tu modo*, qui tamen potest error esse natus ex compendio m̄, notante HEYNIO et HUSCHKIO; ut enim potuerit *tu modo sola* cumulate dici pr. unice (*du nur allein*) quamquam exemplum non habeo, nisi quod *solummodo* dicitur, at hoc quidem loco aegre carebimus pronomine *mihi.* — Formosa oculis meis. Imprimis frequens, ait WUNDERLICHIUS, pulchrum, bellum, formosum esse alicui. VULPIUS confert PROPERT. IV, 4, 32. — V. 5 sqq. utinam possis — displiceas aliis, h. e. displiceas vero aliis. Quare cum una haec constructio sit, probamus *possis*, licet codicum lectio sit *posses.* Defendas quidem hoc sic, si separetur a sequentibus hexametri constructio, tum repeti alio modo statuatur sententia antecedens verbis: *displiceas aliis*, et huic colo coniungantur ultima: sic ego tutus ero. Est tamen paullo artificiosior haec ratio, ut ipse vides, nec causam idoneam eius indices, quare redeo ad alterum simplicitati Tibulli convenientius. — gloria vulgi, fama inter vulgus, quod praestantem pulchritudine puellam amem. At CYLLENIUS, DOUSA pater, STATIUS de iactantia vulgarium hominum explicant, qui quae pulchra habent, ostendunt. Sic sine causa etiam homines hic carpit aliter sentientes; satis vero est de gloriae contemtu dici. — in tacito gaudeat ille sinu, fruatur tacite et cum nullius invidia bono suo. Comparat similem sententiam BROUCKHUSIUS Senec. Epist. 105: *Sic vero invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere.* — ille, cf. ad II, 3, 26. Paullo nervosior sic fit hortatio. — Sic, ubi nemo te mihi invidet. Ad restitutum vero indicativum possum compara superius colon: *sic ego tutus ero.* Substituit hunc pro conditionali modo vividior phantasia poetae. — Ad v. 11. 12. confer cum WUNDERLICHIO Propert. I, 11, 23: *Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes, Omnia tu nostrae tempora laetitiae*, ubi vide KUINOELIUM

Homeri notissimum locum et alios laudantem. Tibulli verba imprimis gravia sunt. Ac recordaberis quae supra in Dissertatione de Poesi Tibulli cap. I. de praeclaro hoc loco dixi. De anaphorae vi ibidem cap. III. dictum. — V. 14 sqq. deficietque Venus, deficientque artes Veneris, quae me a te ad aliam puellam abducere studuerint. — Iunonis tuae, cf. paullo ante carm. VI. — Lectionem: Haec tibi sancta — numina iuro pr. per numina, defendit et illustrat Brouckhusius, quem sequitur Huschkius. Sic Virg. Aen. XII, 197: *Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera iuro* sqq. ubi cf. Servium: *et ornatior locutio et crebra apud maiores, quam si velis addere praepositionem, ut dicas: iuro per maria, per terras.* Vide etiam Aen. VI, 324. 351. Ovid. Met. II, 101. Drakenb. ad Sil. It. VIII, 105. — Quae sola ante alios etc. Natalem Iunonem puellae suae sibi ait omnium deorum esse maximam.

V. 17 - ad finem. Exitus. Vel dura in servitute profitetur se velle perdurare.

V. 17 sqq. mea pignora cedo, siquidem puellae timorem iuramento adimo, qui solus eam poterat in officio continere. Erat timor ne abiret aliquando Tibullus, pignus fidei et amoris. — Nunc tu fortis eris, ferox, superba, timore ademto. — Iam faciam quodcunque voles. Patienter se subiicit necessitati. — notae, cuius servitio semel assuetus sum. Propert. I, 4, 4: *assueto vivere servitio.* — V. 23. 24. Superbius tamen habitus implorabo Venerem, ut servi male habiti a dominis fugiebant ad aras deorum. Res nota. Eurip. Suppl. 267: *ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, Δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν.* Liv. XXVII, 17: *Ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque iniurias pati.* Vide multa apud Vulpium. — vinctus, cum vinculis meis s. catenis, ut servus miser, nisi quod vincula tropice intelliges. — notat, punit, et quidem sic ut nota exsistat in corpore. Veluti laudante Vulpio Horatius III, 26, 11. Venerem precatur: *Regina sublimi flagello tange Chloen semel arrogantem.* Levem notam intelliges, sed tamen notam in corpore formoso, quo genere poenae nihil videtur aptius ad puellam terrendam.

CARMEN XIV.

Miri leporis et urbanitatis Epigramma. Suspicatur Vossius praeludi gravioribus elegiis libri secundi, ubi Nemesis avaritiam et superbiam acerbe castigat Tibullus. Non credo; nihil magis alienum ab isto amore his versibus. Tu mecum Glyceram intellige. Quidquid est, poeta peccata nondum plane certa hac eleganti epistola leniter carpit, non puellae, sed rumori rem tribuens.

V. 3. Crimina facta. Haec est lectio, sed emendatio non plane certa; nam Pontanus *iacta* coniecit, alii *ficta.* Mens vero poetae clara. Ceterum conf. de locutione *crimina facere* Propert. IV, 4, 43. et Burmann. ad Ovid. Art. Am. II, 633. —

* * *

CARMEN PRIAPEUM

inter *Priapea* nr. 82.

Notat Scaliger: „Quidam nomine Perspectus, qui aerarii dominici primum custos, hoc est dispensator, postea rusticationi operam dabat, hoc Epigramma fecit Priapo. Quod nomine Tibulli in antiquis Tibulli codicibus inveniri et alii in editionibus suis admonuerunt et nos inter opera Tibulliana in optima scheda reperimus. Dicunt tamen nonnulli repertum in agro Patavino litteris vetustate paene consumptis. Quod tamen non impedit quin Tibulli esse possit.“ Vide plura apud Burmann. Secund. in Anthol. Lat. T. II. p. 557. Recte vero abiudicare videntur hoc genus poeseos Tibullo Brouckhusius aliique plurimi.

V. 2 sqq. Haec templa, sacellum puta, cf. Epigr. II. et L. inter Priapea ap. Burmann. — Postremo verba: Hunc tu — sed taceo aposiopesin habent. Sic Ovid. Epist. XX, 51: *Nos quoque — sed taceo.* Sentis vero ipse de nequitia hic agi. Supplendum: traiice, perfora conto, fascino pedali, collat. Epigr. Priap. XI. XXVIII. LXXXVIII. ap. Burmann.

CARMEN PRIAPEUM

inter *Priapea* nr. 83.

Querela de inguinis inertia ad Priapum.

Annotat Scaliger: „In veteribus excusis Tibulli nomine editur hoc politissimum poematium, itemque in vetere membrana Tibulli, quae est penes te Iacobe Cuiaci. Totum ex puris iambis constat. Et sane multum spirat illam venustatem, quae hodie percipitur in elegiis illius suavissimi poetae.“ Sed recte hoc carmen et hoc genus poeseos, ut dixi, abiudicare videntur Tibullo Broukhusius et alii. Vide etiam Burmannum in Anthologia.

V. 1 sq. nuntiat, portendit, minatur. — Silente nocte, quiescentibus animalibus omnibus. Pro ratione locorum nunc concubia, nunc provectior nox intelligitur. — V. 6 sqq. Placet, Priape? h. e. itane Priape? Elegans formula in expostulatione, de qua vide Burmann. in Anthologia ad hunc loc. et Ruhnken. Dictat. ad Terent. p. 131. Sic Martial. XI, epigr. 34: *Pierios vatis Theodori flamma penates Abstulit, hoc Musis, hoc tibi, Phoebe, placet?* Saepe sic Terentius et Cicero. — sub arboris coma, cf. supra I, 4, 1. Tum pr. revinctus metri causa *revincte* emendat Scaliger, ut sit vocativus pro nominativo, cf. ad I, 7, 53. Denique ad Ruber cf. I, 1, 17. — V. 9 sqq. Triphalle. *Τρίφαλλος* ut *Ἰθύφαλλος* est cognomen Priapi, qui magnum phallum habet. *Tri* in compositione auget, cf. plura ap. Burmann. — Tuas sine arte comas, incomtas et hirsutas. —

deligavimus novis floribus, ligavimus, cinximus corona. Carm. Priap. nr. 84: *vere rosa, auctumno pomis, aestate frequentor Spicis, una mihi est horrida pestis hiems.* Add. carm. 85. ibid. — Senexve corvus impigerve graculus — feriret caput, compara Carm. Priap. 62. — debeo tibi nihil. Adscripsit Brouckhusius Virg. Aen. XI, 51: *et nil iam caelestibus ullis Debentem.* — V. 16 sq. Iacebis inter arva, proiectus in viis. — pallidus situ, absterso rubro colore. Propert. IV, 5, 70: *immundo pallida mitra situ*, quae luridum, squalidum colorem contraxerat. Quamquam passim permutantur in libris *pallidus* et *squalidus*, atque etiam hoc loco *squalidus* videbitur melius. Tamen ut carm. Priap. 26. *pallidus* recte defenditur a Burmanno oppositione v. *ruber*, sic etiam nunc videri potest poeta in mente habere oppositum versum 8: *Ruber cum rubente fascino.* — V. 19 sqq. grave, Gravi, cum vi repetita voce. Tum pia lege est: iusta. Proprie iungitur *ius piumque* ut *ius fasque* noto usu, cf. Ovid. Art. Am. I, 200. Heroid. VIII, 4. — noxiam, culpam, quod tum quievisti perperam. — Patebit, verbum de iis, qui alii se praebent in re turpi, Ovid. Met. XIV, 133: *si mea virginitas Phoebo patuisset amanti.* — Pro imminente toro, quod intelligi nequit, alii coniecerunt *ingemente*, ut placebat etiam Brouckhusio, veluti Iuvenal. Sat. IX, 78. dicit: *testis mihi lectulus et tu, Ad quem pervenit lecti sonus.* Possis etiam emendare *intremente*, collato Ovidio Amorr. III, 14, 26: *spondaque lasciva mobilitate tremat.* — Mox Iuvante arte, ut contra legitur ap. Ovid. Art. Am. II, 480. laudante Burmanno: *arte Venus nulla dulce peregit opus.* — V. 25 sqq. Fovebit, cf. Ovid. Amorr. III, 7, 73. — lucidum femur, videtur esse candidum, formosum, ut Ovid. Heroid. XIX, 133: *lucida Alcyone*, nisi scribendum *lubricum* ex Pithoei schedis. — Bidens amica Romuli senis memor, est anus grandaeva, quam Romuli tempora dicas vidisse, et cui duo tantum dentes supersunt. — Paratur, adducitur. — specus, cunnus, abditus iacente pantice, ventre. — Vaga pellis est: laxa, carnis macilentia fluens et flaccida. — annuo gelu, dum per totum annum gelu adest. Metaphora de septentrionalibus locis petita, ut monet Scaliger, annua nive damnatis. — Araneosus

obsidet fores situs, ut solent loca deserta, vetustate et squalore deformia araneis esse obducta. Hic comparant CATULL. XXV. ad Thallum: *vel pene languido senis, situque araneoso.* — V. 31 sqq. profunda fossa, cunnus. Cf. SCALIGER. ad Priap. 79. fin. — ter aut quater Voret, penitus demissum in se recipiat et abscondat. — lentior, flexibilior, non rigidus. — Vagum caput, laxum, non contentum, et Superbia ista est inertia. — V. 39 sqq. inultus auferas semel. TERENT. Andr. III, 5, 4: *id inultum nunquam auferet.* Adelph. III, 5, 8: *nisi facient, quae illos aequum est, haud sic auferent.* — sonante pede, cf. supra I, 2, 20. OVID. Met. V, 616. — excubet, in excubiis sit, praesto sit et paratus.

DOMITII MARSI EPIGRAMMA.

Domitius Marsus vixit temporibus Augusti, aequalis Horatii, Virgilii, Tibulli. Scripsit epica et elegiaca carmina imprimisque epigrammatis excelluit, cuius generis etiam hoc est epitaphium consecratum amico suo. Egit de hoc poeta BROUCKHUSIUS imprimisque WEICHERTUS in Poetar. Lat. Reliqq. p. 241 sqq.

V. 2 sq. campos misit ad Elysios. HUSCHKIUS reposuit *in Elysios* et supra I, 3, 58. mavult *ad Elysios.* In quo fallitur. DOMITIUS *ad* scripsit, cum nihil dicat nisi: absumpsit, misit ad inferos, Tibullus vero ipsa illa loca describens disertius, in quae introducat Venus, in quibus vita beata futura sit, bene praetulit *in.* — Mox forti pede est: hexametro heroico, et placet suavis oppositio etiam ab HUSCHKIO illustrata, in locutionibus elegis molles amores flere et canere forti pede regia bella, h. e. regum ut dicit VIRG. Eclog. VI, 3: *cum canerem reges et proelia.* Sunt amores per se molles, sed additum est epitheton, ut nervosior oppositio esset. Quod denique *flevisse* dicitur Tibullus *amores*, abunde explicatum vidisti in Dissertatione Carminibus Tibulli supra praemissa, cap. I. —

I N D E X
RERUM ET VERBORUM.

A.

D.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

CORRIGENDA.

Pag. XVII. l. 19. 20. omitte verba: in Tibull. ed. Huschk. T. I. p. XC.
— XXXIX. l. 5. leg. susurros pr. susurrus
— 49. l. 33. leg. credas et pr. creda set
— 69. l. 19. leg. p. 41. pr. p. 112.
— 72. l. 5. leg. dolorem pr. doiorem
— 126. l. 13. leg. in pr. n
— 177. l. 17. aliud agens cum HEYNIO comparavi HORAT. Sermon. II, 3, 72, qui locus huc non pertinet. Credo cum aliis Tibullum scripsisse *lacrimas*.
— 195. l. 3. leg. pocula pr. popula
— 238. l. 12. 13. dele VULPII verba: „et si feminae erant, vulva extracta.“ Nam ovaria quidem deleri possunt, vulva autem extrahi nequit. Praestat nonnisi castratos boves intelligere.
— 266. l. 1. leg. commoveri pr. commover
— 329. l. 16. leg. EUHEMERI, cuius libellos transtulerat ENNIUS,
— 369. l. 19. leg. versus pr. versans
— 380. l. 30. leg. merito pr. merita
— 391. l. 20. leg. poeseos pr. poesios
— 397. l. 27. leg. de pr. e
— 399. l. 23. leg. φησίν· pr. φησὶν:
— 402. l. 18. leg. leves umbrae pr. levis umbrae
— 407. l. 21. leg. compescere pr. campescere
— 417. l. 23. leg. descensionem pr. escensionem
Ubique leg. BROUKHUSIUS pr. BROUCKHUSIUS.

NAME OF BORROWER.

s	[2445]	Dec 20
	[2445]	Jan. 9
ns	2615	Apr 23
is	2212	May 16